


92/93 0101

OPERA SPIRITUALIA

IOANNIS PHIL. ROOTHAAN

SOCIETATIS IESU PRAEPOSITI GENERALIS XXI

VOLUMEN PRIMUM

LUDOVICUS DE JONGE ET PETRUS PIRRI SACERDOTES S. I.

EDIDERUNT



ROMAE

APUD POSTULATOREM GENERALEM S. I.

5, BORGO S. SPIRITO

1936

IMPRIMI POTEST

Romae, 27 Mart. 1936.

RAPHAEL BITETTI,
Praep. prov. Rom. S. I.

IMPRIMATUR

Romae, 27 Mart. 1936.

† IOS. PALICA
Archiep. Philipp., Vic. ger.

ROMAE - TYPIS PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

LECTORI SALUTEM

Opera Spiritualia Servi Dei Ioannis Philippi Roothaan edituri, pauca verba praefanda nobis esse censuimus de scriptis, quae reliquerit.

Praeter epistolas, quarum ferme viginti milia supersunt, ingens scriptorum numerus, omne genus codices, libelli, chartae, scidae in Archivo Curiae S. I. inveniuntur. Tantus est, ut difficile sit decernere, utrum maior fuerit pietas filiorum, qui minimas etiam carissimi Patris res conservaverint, an scriptoris assiduitas, qua per totam vitam quidquid sibi, scholastico, magistro, contionatori, confessario, missionario, superiori in officio fungendo utilitati esset, sive meditans adnotaret sive legens excerperet. Quae quidem « reliquiae » non omnes, ut sunt venerandae, ita etiam in lucem edendae esse videntur. Aliae enim breviores sunt, interruptae, nimis ieiunae, memoriae tantum adiuvandae vel stili exercendi causa notatae, aliae e variis libris desumptae vel in compendium redactae, aliae in scholarum tantum usum compositae. Ut autem omnium scriptorum aliquis conspectus habeatur ea hac ratione in tabulas digessimus.

I. Litterae. — *Oratiunculae* (Amstelodami, Dunaburgi, 1800-1806). *Notata Graeca et Latina* (Dunaburgi, 1806-1809...?). *Carmina Latina* (Dunaburgi, Polociae, Puszae, Orszae, Brigae, 1806-1823). *Partes Orationum S. Io. Chrysostomi in Latinum conversae* (Puszae, 1813-1816). *Excerpta Graeca* (Dunaburgi, Puszae, 1806-1816). *Ars Poetica* (Puszae, 1813?). *Tractatus brevis de Eloquentia Sacra* (Brigae, 1821). *Locutiones quaedam Germanicae* (Brigae, 1821).

II. Historia. — *Annuae Collegii Dunaburgensis 1780-1807* (Dunaburgi, 1807). *Historia Collegii Dunaburgensis a. 1808* (Ib. 1808). *Vitae nostrorum quorumdam* (Ib. 1806-1809). *Sum-*

marium Vitae C. Wilhelmi Lauwers (Ib. 1808). *Compendium Vitae P. Anselmi Eckart* (Ib. 1809). *Compendium Vitae M. Ioannis de Coullemont* (Puszae, 1812). *Res quaedam memorabiles Collegii Puszani* (Puszae, 1816). *Excerpta* (Brigae, Taurini, Romae?). *Breves Adnotationes de Rebus Societatis in Alba Rossia et in Italia* (Romae, 1844). *Ex Audientiis* (Romae).

III. Philosophia. — *Theses e Philosophia* (Polociae, 1809-1812?). *De Pseudophilosophis* (Taurini 1823-1829?). *De Relatione Operum in Deum* (Taurini 1823-1829).

IV. Theologia. — *Scripta ad omnes fere Tractatus pertinentia* (Polociae 1809-1812... ?).

V. S. Scriptura. — *Brevis Explanatio Psalmorum ex V. P. Roberto Bellarmino* (Polociae 1809-1812?). *Loci S. Scripturae* (Ib.?). *Elenchus alphabeticus locorum S. Scripturae* (?). *Excerpta* (ex opere q. i. S. Scriptura adversus incredulos vindicata, Taurini?).

VI. Paedagogica. — *Historiae utiliter Iuventuti proponendae* (Dunaburgi, 1806-1809...?). *Methodus catechizandi* (Romae, ...?). *Varia de Ratione Studiorum* (Alia aliis locis et temporibus). *Istruzione pei Tutori degli Orfani* (Romae, 1839).

VII. Ascetica. — *Excerpta varia e variis materiis asceticis* (Non uno loco nec tempore). *Spiritualia seu Adnotationes et excerpta de rebus spiritualibus* (It.). *Exempla e Vita Sanctorum* (It.). *Documenta aurea* (Puszae 1812-1816). *De Ratione Meditandi* (ib.).

VIII. Meditationes et Instructiones. — (Plurimae numero, aliae aliis locis et temporibus). *Series Exercitiorum* (?). *Mysteria* (Romae, 1830...?).

IX. Contiones. — (Plurimae numero, aliae aliis locis et temporibus).

X. Adhortationes. — *Epistolae (encyclicae) ad Patres et Fratres Societatis Iesu datae* (Romae 1830-1851).

XI. Exercitia Spiritualia. — *S. P. Ignatii de Loyola, cum versione litterali ex autographo hispanico notis illustrata* (Romae, 1835...).

XII. Scripta Privata. — *Diarium* (Dunaburgi, Polociae, Puszae, Orszae, Brigae, 1804-1822). *Octidua* (Romae, 1829-1852). *Reliquiae Cogitationum* (Romae... 1830-1852).

Iamvero hunc indicem consideranti apparet, illa scripta, quae quinque prioribus locis enumerata sint, a proposito nostro

aliena esse. Etsi enim a viro summe spirituali composita sunt, non tamen opera spiritualia dici possunt. Sed neque quae deinde sequuntur singula in lucem edenda esse videntur. Ut diximus, alia eaque multa nimis breviter, alia minus elaborate, velut contiones polonice et germanice habitae, notata sunt. Quare omissis inutilibus delectus faciendus erat, quo Servi Dei vita spiritualis et zelus gloriae Dei proximorumque salutis procurandae et gubernandi ratio plana fierent. Haec sunt quae virum efficerunt. Haec tria arctissime inter se nexa, ex Exercitiis Spiritualibus S. P. Ignatii, etiam atque etiam summo cum studio et ardore repetitis, hausta, ex omnibus paginis elucent. Unum monere liceat, Servum Dei non solum ut omnes, qui vitae sanctitate excelluerint, humilitatem summo studio coluisse, sed in ea persequenda re vera ad imum, ut aiunt, descendisse. Ab inito novitiatu ad mortem usque quaecumque in se animadvertebat vel animadvertere sibi videbatur peccata, offensiones, neglegentias, immo vel levissimam eorum umbram, inclementer iudicabat et ut « semper contra se essent » durioribus verbis scripta conservabat. Siquidem candidae animae luce caelesti non solum illustratae sed omnino imbutae, si terrestre quid sibi incidebat, dolori et horrori erat.

Frequenter tam in adnotationibus privatis quam in aliis scriptis errores philosophicos, morales, theologicos aetatis suae, modo clarius modo obscurius, designat et redarguit, frequenter etiam vexationes, quibus Ecclesia et imprimis Societas Iesu premebatur, commemorat. Quos quidem locos singulos notis ornare supervacaneum duximus.

Omnibus, quorum consiliis aliisque officiis usi sumus, beneficii memores maximas gratias agimus.


DIARIUM

Libelli, in quos Servus Dei ab ipso Tirocinii, initio sive rettulit quod sibi acciderat, sive collegit quod e libris spiritualibus hauserat, sive adnotavit lumina quae in meditationibus aliasve mentem illustraverant, vix non omnes supersunt. Desiderantur tantum praeter aliquot paginas vetustate detritas commentarii annorum 1823-1829, quibus Augustae Taurinorum Rector « Collegiis Provinciarum », quae dicebantur praefuit.

E quibus adnotationibus eae, quas ante initum Generalatum scripsit et velut in unum corpus collegit, nunc primum Diarii titulo in lucem eduntur, omissis quibusdam precibus, piis praxibus, meditationum punctis, quae a noviciorum Magistro cum omnibus alumnis communicatae fuisse videntur.

Manuscriptum invenitur Romae in Archivo Curiae Generaliciae S. I.

Fidelis DEUS, per quem vocati estis in Societatem Filii Eius IESU Christi D. N. (I Cor., 1.)

Profectus sum ex Babylone Amstelaedamensi	Anno	1804	die	29 Maii
Perveni Dunaburgum	»	»	»	1 Iulii
Accepi vestem Soc. Iesu a R. P. Rogalinski (1) R. Coll. et M. N.	»	»	»	13 eiusd.
Incepi Exercitia menstrua S. P. Ignatii, duce R. P. Eckart (2) V. M.	»	»	»	24 Aug.
Inscriptus sum in erectam Polociae Sodalitatem sub titulo SS. Cordium IESU et MARIAE	»	1805	»	m. Febr.
Suscepi Clericatum et Minores Ordines ab Illss. Excllss. Revss. Dno Ioanne Benislawski (3)	»	»	»	28 Iulii
Vota simplicia prima vice emisi Dunaburgi in festo Assumptionis B. V. MARIAE . . .	»	»	»	27 Aug.
Absoluto Tirocinii biennio vota nuncupavi celebrante R. P. Rogalinski, Dunab. in festo S. Aloysii	»	1806	»	21 Iulii
Docui ibidem in scholis per triennium sub eodem Rectore usque ad annum	»	1809	»	3 Iulii
Adveni Polociam pro discenda Theologia	»	»	die	12 Aug.

(1) Iacobus Rogalinski (1761-1813), Rector et Magister Noviciorum.
(2) Anselmus Eckart (1721-1809), Socius Mag. Nov.
(3) Ioannes Benislawski (1736-1812), Ep. Gadar. i. p. i. Coadi. Ep. Mohilev., promotor insignis restituendae Soc. Iesu.

Suscepi S. Ordinem Subdiaconatus Polociae ab Illmo. Io. Benislawski	»	1812	»	23 Ian. V. S.
. . . . . . Diaconatus .	»	»	»	25 »
. . . . . . Presbyteratus	»	»	»	27 »
Examen ex Univ. Th., ibid. .	»	»	»	27 Apr.
Veni Puszam pro docenda Rhet. nostros, Rectore R. P. Rogalinski	»	»	»	25 Sept.
Veni Orszam, Rectore R. P. Swietochowski (4)	»	1816	»	9 Aug.
Veni Mscislav pro officio excurrentis, Rectore R. P. Rypinski (5)	»	1818	»	25 Sept.
Veni Orszam pro officio concionatoris, Rectore R. P. Richardot (6)	»	»	»	25 Oct. V. S.
Feci professionem sollemnem in manu R. P. Prov. Swietochowski	»	1819	»	2 Febr.
Profectus in exsilium ex Russia, Orsza	»	1820	»	11 Apr. V. S.
Veni Brigam in Helvetia . .	»	1820	»	23 Iul. N. S.

N. B. - *Perspicuum est tam ex ipsis litteris quam ex atramenti colore, hunc brevem conspectum vitae, in Russia actae, a scriptore procedente tempore esse confectum.*

Cfr. Epistolae Io. Ph. Roothaan. *Vol. I, epp. XIX-LII. Romae 1935.*

(4) Stanislaus Swietochowski (1759-1831), Rector Coll. Orszani, postea Praep. Prov. Rossiae et Galiciae.

(5) Iosephus Rypinski (1781-1819), Superior Res. et Miss. Mscisl.

(6) Desiderius Richardot (1769-1849), Rector Coll. Orszani, postea Praep. Prov. Galliae.

De beneficio vocationis

Quantum sit beneficium vocatio ad Societatem, ad oculum patebit cuivis consideranti, quod 1° per illam removentur pleraque impedimenta salutis, et 2° per illam acquiruntur omnia quae ad salutem consequendam plurimum conferunt *in vita, in morte et post mortem.* Et haec quidem Societati cum reliquis Religiosis Ordinibus sunt communia. Magnitudo beneficii crescit, si particularia considerentur. *Societas* enim *habet altissimum finem,* sanctitatem propriam in perfectissima Christi imitatione et studium animas lucrandi, quod Divinorum omnium divinissimum appellat S. Dionysius. *Singulariter a Deo amatur*; id patet in eius fundatione, propagatione, in mira complurium vocatione, in conformitate quam cum Christo habet, scil. persecutiones iniustas, in mirabili Eius conservatione, in manifesta assistentia, qua dispersi inter tot pericula cum aedificatione vivunt, mutuam inter se caritatem et in populo pristinam auctoritatem inter turpissimas calumnias conservantes, in specialibus erga Eam favoribus, de quibus V. P. Lancicius et P. Nadasi, v. gr. connexa cum perseverantia in Societate gratia finali, eximia gloria in coelo, singulari Sanctissimae Matris MARIAE protectione, etc.; *habet media particularia ad suum finem efficacissima, copiosissima; aestimabatur summe ab omnibus sanctitate illustribus viris;* Pontifices Institutum *digitum Dei* et *brachium Ecclesiae dexterum* appellabant; adde laudes SS. Philippi Nerii, Caroli Borromei, Fr. Salesii, Theresiae, BB. Iosaphat M. et Archiep. Poloc., qui dicere solebat, *non esse e praedestinatis, qui non sunt amici Societatis.* Quid autem ex his omnibus?

1° Si tantum donum DEI est vocatio, ergo gratum te praestare debes, et quotidie pro dono perseverantiae preces et mortificationes offerre.

2° Si tanta ac tot media habet ad finem consequendum, his mediis constanter uti debeo. Ratio erit gravior, quo DEUS fuit liberalior.

3° Finis primarius est salus propria, secundarius salus proximorum: quomodo sanctificabis alios ipse non sanctus? Exempla verbis praestant. Prudentis est, sibi primum consulere.

4° Si Societas est in ea quam meretur apud omnes aestimatione, sollicite caveam oportet, ne moribus non satis compositis maculam ei inuram. Famam Societatis ubique mecum circumfero.

Speculum semper prae oculis habendum

« Homines mundo crucifixos et quibus mundus ipse sit crucifixus, vitae nostrae ratio nos esse postulat; homines novos, qui suis se affectibus exuerint, ut Christum induerent; sibi mortuos, ut iustitiae viverent; qui, ut Divus Paulus, in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu Sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis se Dei ministros exhibeant: et per arma iustitiae a dextris et a sinistris, per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam, per prospera denique et adversa, magnis itineribus ad caelestem patriam et ipsi contendant et alios etiam quacumque possunt ope studioque compellant, maximam Dei gloriam semper intuentes ». Haec est summa, hic scopus Instituti, ad quem assequendum plurimum iuvabit omnium Regularum et Constitutionum exacta strictaque observantia.

Dicebat S. P. N. IGNATIUS, perpaucos ac forte vix ullum esse, qui perfecte intelligat, quantum DEO volenti in se cooperari ipse impedimento sit, quantumque DEUS in nobis efficeret, nisi a nobis ipsis impediretur. — « Itaque cum metu « et tremore salutem vestram operamini. DEUS enim est qui « operatur in vobis et velle et perficere, pro bona voluntate » (Phil. 2).

Idem S. P. Coadiutorem quemdam ex nostris, qui negligentior in re quapiam fuerat, interrogavit: « Quid quaeris? « Quid spectas in Religione? ». Qui cum DEUM se spectare respondisset, « Si DEUS, inquit IGNATIUS, propositus tibi « finis est, graviter certe multaberis. Nam mundo servire ac « vanitati indiligenter, haud magnum sane crimen est, DEO « vero spectante oscitanter aliquid facere atque ignave, into- « lerabile est ». *Maledictus qui opus DEI facit negligenter.* Hier. 48.

Formula Votorum Simplicium

« Omnipotens sempiterne DEUS, Ego Ioannes Roothaan licet undecumque Divino tuo conspectu indignissimus, fretus tamen pietate, ac misericordia tua infinita et impulsus tibi serviendi desiderio, voveo coram Sacratissima Virgine MARIA et curia tua coelesti universa, Divinae Maiestati tuae PAUPERTATEM, CASTITATEM, et OBEDIENTIAM perpetuam in Societate IESU, et promitto eandem Societatem me ingressurum, ut vitam in ea perpetuo degam, omnia intelligendo iuxta ipsius Societatis Constitutiones. A tua ergo immensa bonitate et clementia, per IESU Christi Sanguinem peto suppliciter, ut hoc holocaustum in odorem suavitatis admittere digneris; et ut largitus es ad hoc desiderandum, et offerendum, sic etiam ad explendum gratiam uberem largiaris ».

Pia desideria non sunt nisi flores, fructum promittentes qui nisi successerit, arbor sterilis est et excidenda et in ignem mittenda.

Quaestiones quaedam et reflexiones frequenti meditatione alte menti imprimendae et notabilioribus casibus, qui sive laeti sive tristes accidant, applicandae.

Ad quid venisti?

Qualis debet esse vita tua? Religiosa, *martyrium* continuum, vita Socii Iesu.

Quid hoc ad aeternitatem?

Quid hîc sensisset Cor IESU? Quinam essent in his circumstantiis affectus SS[i]. huius Cordis?

Quid hoc est? Unde venit? Quare fit? Quomodo hîc mihi agendum ut DEO placeam?

Quare nunc laetor? Quare tristor?

Quid hic et quomodo agendum, ut maior DEI gloria hinc resultet?

Quomodo obiecta amoris et odii, desiderii et timoris mei conveniunt cum iis quae amabat aut abhorrebat IESUS?

Quomodo adimpleo in me proprietates *victimae, mortui, statuae, baculi*? iumenti?

Quomodo facis *dignos* fructus poenitentiae? Arbor es infructuosa nil proferens bonorum fructuum, sed tantum folia et flores.

Daemon insultat DEO de servitio quo tu Ipsi servis, tot beneficiis praeventus.

Humilitas quae est Fundamentum Perfectionis. Motiva et variae considerationes ad hanc virtutem directae.

Humilitas est Fundamentum perfectionis; serio ergo illi incumbere debet quicumque perfectioni studet. Qui sine hac virtutes colligit, pulverem in vento portat, aquam haurit cribro, aedificat in arena, quin potius destruit quam aedificat, cum virtutes omnes sine humilitate magis ad perniciem ducant quam ad salutem. Certe etiam Deus multo magis abominatur eum, qui opera sua perfecte quidem obit sed de eo superbit, quam eum qui humiliter de se sentit, quamvis alias esset magnus peccator et scateret defectibus.

DEUS superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Superbis resistit. Qualem haec verba picturam exhibent malitiae ac temeritatis superbi: et simul quantum horrorem superbo debent incutere! Vides quasi miserum et abiectum vermiculum sese erigere adversus Maiestatem infinitam, quae solo nutu ipsum in nihilum reducere ac disperdere potest; hanc autem veluti de solio suae gloriae surgentem pugnam inire cum illo misero. Quanta superbi temeritas! Quam horrenda sors illius, cui DEUS summae Maiestatis ac potentiae resistit! *Humilibus autem dat gratiam.* Quanta spes! Quid non poterit is, cui DEUS favet et quem DEUS adiuvat.

Quaenam est origo tua? Quid eras ante annos aliquot? Nihil. Nisi nihilum istud DEUS respexisset, esses adhuc nihil. — Nisi DEUS, qui te ex nihilo traxit, te conservaret, quovis momento recideres ad nihilum, quod olim eras. — Undequaque ergo ex te nihil es: nihil habes ex te, sed quodcumque demum habeas a DEO habes; ipsum tuum esse a DEO accepisti et quidem ita, ut Ipse in omnia retineat ius plenissimum, et nihil diutius tuum sit futurum, quam DEUS pro sua benignitate illud tibi permittere voluerit.

Quod autem a DEO tali ac tanto originem ducas, non modo non efferre te sed magis humiliare debet. Qui ex magna et celebri stirpe prognatus degener est filius, an talis nobilitatis suae gloriam iactare audeat? Imo vero id ipsum est, quod eum omnibus contemptum reddit. Degenerum autem filium te esse a DEO, clamant praeter innumeras miserias et peccata tua,

ipsa haec superbia, qua te effers. DEUS est perfectus in omni perfectione. Tu vero ne unam quidem perfectam virtutem habere facile evinceris, si es superbus. Humilitas enim est radix omnium virtutum, et fundamentum perfectionis, unde sequitur, ut superbus nullam habeat virtutem.

Nonne videretur tibi intolerabilis superbia, si quis mendicus, e sordibus extractus liberalitate alicuius divitis, opes suas iactaret, et oblitus pristinae conditionis de praesenti insolenter superbiret? Nonne talis arrogantia merito omnibus nauseam moveret? — Substitue te, o superbum nihil, tali mendico, et imaginem tui non nisi tenuissimam habebis. Talis enim homo saltem iam aliquid erat et ex eo quod erat meliorem adsecutus foret conditionem: tu vero nihil eras, et ex nihilo factus es, quod es. — Etsi autem talis mendicus se non iactaret nisi inter sui similes, seque non efferret nisi supra eos, qui eiusdem fuissent conditionis; an non sic quoque eius vanitas foret abominabilis? — Etiam si nemini se praeferret nisi iis, qui minori gauderent conditione, an id adhuc ullo modo videretur tolerandum, si spectatur, eum non superbire nisi de iis quae gratis accepit, nec se aliis praeponere nisi iis, quibus non tam larga quam ipsi liberalitate donatum est? — Et quidem qua ratione princeps liberalissimus servum exciperet vilissimum, qui sua liberalitate libertate et opibus donatus, sese hoc nomine efferre et aliis se praeponere auderet? Vere, de donis DEI superbire est *tentare DEUM.*

Quid potes sine DEO? Nihil... Quid? nihil? neque hoc quidem potes, sed peccare potes! sed non nisi peccare potes! quin imo non peccare non potes, nisi DEUS te adiuvat!

Si omnes gentes sunt coram DEO quasi non sint; si totum universum est coram DEO, *quasi gutta roris antelucani* (sicut S. Scriptura loquitur), quaenam est ergo substantia tua nisi nihil, cum vel comparatus cum universo etiam sic iam vere nihil sis!

Omnes creaturae DEI voluntatem implent; ut tu perfectius illi obedires, dedit tibi liberam voluntatem. Hoc summo beneficio, quod tibi DEUS concessit ad maiorem suam gloriam tuamque utilitatem, abuteris, et id ipsum quod te magis gratum deberet reddere et ipsi te totum devincire, te ab ipso abalienat. Quae maior ingratitudo esse potest? Nonne ergo vere indignior et abominabilior es creaturis omnibus, etiam irrationabilibus?

Caecum esse magna est infelicitas, sed si caecus sibi persuadet quod bene videat, id profecto est summum malum, nam praecludit omnia media, quibus adiuvari posset: sic etiam pauper, qui se divitem esse imaginatur, et ideo neque stipem accipere vult, fame pereat necesse est. Talis autem est superbus.

Propter naturae dotes et intellectus atque ingenii bonitatem se efferre est maxima stultitia et sane homine sapiente indignissimum, nam sic fiet ut ipsum illud DEI donum, quo superbit nunc et quod ipsi gaudium adfert, fiat ipsi causa aeternae damnationis, ubi illud idem sine fine detestabitur, in quo sibi modo complacet.

Et sane, qui Regem sapientissimum Salomonem, quem hoc nomine ipsa Scriptura Sacra praedicat, turpiter in stultissimam idololatriam incidisse considerat, habet profecto quod timeat et tremat, si dotibus a DEO naturalibus donatum se conspicit.

Minus etiam praesumendum esse de praeclara aliqua et excellenti conditione, ad quam quis a DEO vocatus sit, patet. Nam praeterquam quod DEUS talem gratia vocationis suae privat et gratiam perseverandi saepe non dat, habemus exemplum sane horrendum in Iuda, qui cum esset ex numero intimorum IESU discipulorum, ad quem ordinem ex tot millibus hominum, qui in mundo tunc temporis erant, non nisi 12 fuerant electi, tamen miserrime lapsus periit.

Homo, cum vere nihil habeat boni neque possit orare sine peculiari DEI gratia, nonne similis est pauperi mendico, qui nihil habens neque rationem sciens mendicandi, quo aliquid accipiat, etiam hoc ipsum ab eodem divite, sine cuius auxilio fame peribit, debet edoceri?

Qui semel letale crimen commisit est tam indignus quam diabolus et, spectatis DEI in ipsum pluribus quam in daemonem beneficiis, diabolo indignior. Quid qui saepius mortaliter peccavit?

Qui non est humilis, eius cor non est simile Cordi IESU; attamen certum est, quod quisque tantum placet DEO quantum IESU est conformis.

Quam perversa sit hominis natura, vel ex hoc solo colligitur. Pauci sane homines sunt, etiam ex iis qui credunt, qui

perfecte DEUM diligant. Attamen quid magis naturale, quid magis conveniens est rationi, quam ut *summum et unicum bonum* ametur? Vere « *sine DEI numine nihil est in homine, nihil est innoxium* ».

IESUS omnia, quae passus fuit, non tantum passus fuit ut nos redimeret, sed etiam ut nobis monstraret, qua via esset eundum ad caelum. Itaque et humiliationes subiit, illasque amavit, ut nos illas cum gaudio quaeramus. Contemptum dilexit, honorem fugit, ut nos idem faceremus.

Gratissimum DEO sacrificium est honoris contemptus; in hoc ipse suam gloriam ponit, quod manifeste in Christo patet. Cum enim is humiliabatur, canebant Angeli: *gloria in excelsis* etc. et Pater aeternus ipsum *dilectum suum filium* esse proclamabat. — Hoc autem et quocumque sacrificio sane infinite dignum est summum et unicum Bonum, summa et immensa Maiestas.

Soli DEO honor et gloria. Omnium rerum utilitatem DEUS homini, redundantem ex iis gloriam nemini concedit: hanc sibi reservat. Haec ut sibi tribuatur vult summa cum aemulatione et summo iure etiam. Quia nec in homine nec in ulla re aliquid est boni, quod non sit a DEO. Itaque quicumque laudem ab hominibus accipit aut desiderat, eamque non refert DEO, munus occupat iniuste ipsi datum, et iniuriam facit DEO eo quidem maiorem, quo maiori cum aemulatione DEUS honorem exigit.

Superbis DEUS numquam utitur ut instrumentis ad sua opera exsequenda; illa committit DEUS ei, qui primum agnoscit se ex se nihil posse, ut in successu rei gloria et laus non homini attribuatur nec eam ipse sibi vindicet, sed semper amplificetur DEI honor.

Quando DEUS a nobis humilitatem exigit, non exigit nisi ut simus veraces. Si iubet ut simus parvuli, nil aliud iubet nisi ut agnoscamus nos esse tales, quales sumus.

Parvulus ne vel in plano solo, nedum in lubrico, incedere potest; labitur et fere non labi non potest. Lapsus non potest surgere. Tantum abest ut cibum sibi queat conquirere, ut etiam necesse sit, ut cibus iam conquisitus ipsi ad os porrigatur; si autem non sit tener cibus, non potest ipse illum sumere, masticare, digerere. Loqui non potest, ut suas ipse necessitates significet, et verba, quae mater ipsi praedicit, non nisi

balbutiendo effatur. Quod autem miseriae summum est, miserias suas ipse non agnoscit. — Haec autem omnia nonne quam apertissime inveniuntur in nobis, quales sumus ex nobis, in rebus spiritualibus?

Cum autem homo adeo miser sit ex se, quid esse possit magis naturale, quam ut diffidat de suis viribus, quas vere habet nullas. Hic autem summa est miseria: hanc ipsam *de se diffidentiam* non potest habere nisi ex peculiari gratia DEI.

Homo sibi derelictus non posset sine lapsu manere ex naturae imbecillitate et malitia: quid ergo modo? ubi tot ipsi undique a mundo et diabolo laquei tenduntur.

Cum homo sit vere infans, nec loqui possit, ut DEO suas necessitates proponat, nil melius faciet, quam clamare tantum sicuti pueri solent: qui clamore suo sine voce articulata significant, quod illis aliquid desit.

Superbo DEUS numquam dat illustrationes illas mentis, quae amorem ipsius fovent, quia illae non ita DEI amorem quam superbiam in tali foverent. In hoc quidem apparet amor DEI, qui tali poena superbum humilem efficere conatur, sed simul etiam, quod omnis qui in DEO amore proficere desiderat, humilitati primum studere debet.

Mira res. Infiniti tituli sunt, qui hominem humiliare queant: attamen pauci humiles inveniuntur. Tot miserias impudentem hominem non humiliant, et tantillum boni illum extollit. Ita constituta est hominis conditio ex se, ut si iuberetur superbire, deberet sane sedulo et ubique quaerere aliquod motivum, unde posset superbire, et vix inveniret: et tamen nunc cum iubeatur humilis esse, in tot miseriis constitutus adhuc multae considerationes et lumina DEI requiruntur, ut humilis fiat. Quanta caecitas!. — Mirum deberet videri si aliquis inveniretur superbus: et ecce nunc prodigium reputatur, si quis sit humilis. — Difficile videri posset, ut quis superbiat, et nil magis naturae consentaneum quam ut sibi vilescat: et tamen contrarium experimur. Quanta perversitas!

Considerationes magis particulares ad te peculiariter humiliandum

Ut summopere confundaris saepe recogita serio, quod R. P. Rector semel tibi dixit, sc. *esse superborum, existimare se dignos et bonos, cum vere mali sint et indigni, ac nihil omnino habeant laudabile.* Nam hinc haurire potes uberrimam confusionis tui materiam, quia adeo vana complacentia laboras, et te saepe ab omnibus aestimari stulte putas.

Qui DEO placebant, displicebant semper sibi, qui sibi placebant, displicebant DEO. Exemplum ex una parte Pharisaeus, ex altera publicanus et omnes omnino Sancti. Quam terribilis hinc tibi conclusio facienda, cum tantopere tibi placeas.

Considera saepe bene, quod habeas vere ingenitam et altis radicibus infixam superbiam; nam de vitiis et malis superbire, et in iis ipsis arrogantiam sequi, est sane summum superbiae fastigium. Quid? Superbis in ipsis humilitatis actibus! Quodnam ergo est remedium tuae superbiae, si ipsa eius remedia illam apud te fovent? ... Es vere obsessus quodammodo a daemone superbiae, qui in viscera tua et in intimas usque medullas penetravit. — Siste ergo te velut energumenum coram IESU et ora, ut ipse, qui tot obsessos in vita sua liberavit, et in cuius nomine tot daemones fuere expulsi, etiam ex te hoc daemonium superbiae sua virtute eiiciat. Idem pete a IESU in Missa, dum meditaris, quomodo anima Christi descendebat ad inferos, et animabus ibi detentis daemonem devictum nuntiabat.

Considera bene quid tibi sit agendum: 1° debes *superbiam* omnium vitiorum scaturiginem in te rescindere et evellere; quod, cum illa tam profundas apud te radices egerit, labor erit non vulgaris; 2° debes veram *humilitatem* induere, ita ut mente concipias et vere persuasum tibi sit, te non esse nisi contemptu dignissimum et omnibus abominandum. — Et si haec omnia consecutus fueris, tunc demum nil attigeris nisi fundamentum, adeoque infimum gradum perfectionis.

Nonne stultus esset miles, qui potenti principi nomen dans, ut militet adversus hostem eius validissimum, se solum hostium exercitus dissipaturum confideret? Haud minor sane tua

est stupiditas, si in certamine adversus superbiam, hostem tuum capitalem, tuis viribus confidis.

Ut te humilies sub iis, quibuscum versaris, haec meditare:

1° *Qualis fuisti?* Multis magnisque peccatis implicitus fuisti, et quidem talibus, quae forsan ne vel nomine quidem nota fuere fratribus tuis. Revoca tibi illam iram, in qua verba protulisti quibus tibi damnationem optabas.

2° *Qualis es?* Praeter incertitudinem tui status, magna tibi causa timendi, cum superbum te esse clare videas. Iam vero etiamsi haberes omnes virtutes, una excepta humilitate, esses adhuc detestabilior in oculis Domini, quam maximi peccatores, in suis oculis viles. Quod autem fratres tui immensum te superent in omnibus, patet, cum in omnibus videas humilitatem, quae tibi deest, tu autem superbus sis, et cum superbia nulla possit adesse solida virtus.

3° *Qualis futurus es?* Eris forsitan aeternum damnatus, dum fratres tui salvabuntur. Infernum meruisti; hoc certo scis. DEUS proinde non foret iniustus, si te damnaret: hoc per se patet. Time, treme et humiliare!

Antequam conceptus fuisti, eras *nihil!* Ex eo momento quo conceptus es in utero matris tuae, fuisti in iniquitatibus, et obiectum DEO per se odiosum, adeoque *nihilo peius!* Et progressu temporis peccata cumulasti, adeoque et vilitas tua cum tempore crevit, etc. Disce ergo, quae DEI in te benignitati debeas, et quo maiores gratias ab ipso accipias, eo te indigniorem iis reputa.

Eo magis aliquis DEO placet, quo magis est conformis Filio suo unigenito. Iam vero IESUS humiliationes sibi elegit, eas quaesivit et ultro subire voluit: magni nominis aestimationem aperte contempsit. Quomodo ergo tu placere DEO potes, aut potius quomodo tu ipsi summopere displicere non potes, cum prae tua superbia inter te et IESUM tam parum similitudinis intercedat, quam inter damnatum et Sanctum, et adhuc infinities minus. Qui ergo fieri potest, ut tibi miser placeas, cum tam manifeste DEO te displicere perspicias.

Undenam, quaeso, superbis? Quid est, ob quod tibi vane complaceas? Estne *nobilitas generis?* Non, dicis, nam sum ex obscura familia natus, et quamvis ex honestis non tamen ex divitibus parentibus. Infinitas DEO laudes agere debes, quod te non ex nobili stirpe progenitum voluerit: hoc enim fuisset nil nisi incitamentum exsecrabilis tuae superbiae.

Suntne *talenta et naturae dotes*? Nimis eheu! sed

1° Quot sunt, etiam ii, qui tecum vivunt, qui te longe superant?

2° DEUS qui dedit auferet eas in poenam tuae superbiae. Salomonis exemplum sapientissimi Regis te doceat, qui a DEO derelictus in extremam devenit stultitiam.

3° De his talentis magis debes timere quam superbire, cum eo strictior tibi reddenda erit ratio.

4° Si DEUS tibi plura dedit, DEO magis pro tot ac tantis beneficiis debes; sed quid requirit? Cor humile.

5° Si maiores a DEO et plures gratias ac dotes accepisse tibi videris, magis te hinc debes humiliare, cum eo maior sit ingratitudo tua, quo plura sunt DEI in te beneficia.

6° Quid proderunt tibi haec talenta, si tibi cedant in aeternam condemnationem? Cedent autem certe in interitum, si ex iis superbia tibi oboriatur, et in illis tibi vane complaceas. Stulte! nonne vides, quod sic in aeternum deplorabis et detestaberis id ipsum, quod te nunc inaniter delectat? O quot sunt in inferno, qui forsitan essent salvati, si non habuissent talenta illa, quibus superbierunt in vita! Ora igitur saepe sincere DEUM, ut potius omnes ingenii facultates tibi auferat, quam humilitatem sinat deesse. Nam sine humilitate non perseverabis in Societate IESU: sed sine istis ingenii dotibus poteris saltem, DEI id misericordia permittente, in statu Coadiutorum temporalium in hac sancta Societate vivere et mori.

Suntne bona spiritualia? Si quid te deberet humiliare, id certe, quod cum adeo pauper sis, tot scatens defectibus, tamen tam superbus sis, ac si virtute omnes antecelleres. Id sane maxime te deberet humiliare, quod cum sis adeo pauper, te divitem aestimes, et omnes hae considerationes non sufficiant ad te humiliandum. Sed nimirum superborum est se sanctos putare cum sint maximi peccatores: sanctorum e contrario se pessimos iudicare. Inter quos ergo tu adnumerandus?

Considera autem saepe cum diligentia paupertatem tuam spiritualem ex sequentibus punctis:

Quam fere omnibus omnino vitiis et defectibus sis implicitus; nam revera nullum in te non invenies.

Quam sis miser sine ulla virtute; nullam enim in te reperis. Quod ipsum a priori facile demonstratur, cum sine humilitate, quae est fundamentum, nulla vera virtus consistere possit.

Quam semper in eadem peccata labaris, post toties promissam emendationem.

Quam parum respondeas perfectioni adeo sublimi, quae in Regulis est proposita.

Quam parum sit quod facis tu respectu eius quod fecerunt antecessores nostri.

Quam sis imbecillis in fide, quam languidus in spe, quam frigidus in charitate, quam tepidus in zelo gloriae DEI, quam segnis in mortificationibus, quam torpens in meditationibus, quam insensibilis ad ea, quae maxime etiam durissimos moveant, ut sunt Passiones Domini. Nam, si vides canem interfici crudeliter aut aliam quamvis bestiam, plus moveri soles, quam saepe ex consideratione immensae Passionis Domini tui. Quam sis in communicando aridus, quam parum ex tot efficacissimis mediis proficias, quam sensualis sis et alacris ad cibum sumendum etc., quam turpiter creaturis adhaereas, quam parum proficias in virtutibus paupertatis, castitatis, obedientiae, quam parum habeas teneri illius amoris erga DEUM, erga B. Virginem MARIAM, erga caelites reliquos, qui tamen est unum e signis praedestinationis. Quod sis tam pronus ad impatientiam, quod tam aegre leves, etiam iustas, contradictiones feras.

Quod non tantopere gaudeas cum accedis ad SS. Sacramentum Corporis Domini quam saepe laetaris, quando tempus est refectionis.

Quod amor tuus erga IESUM longe minor sit, quam odium Iudaeorum in illum.

Quam vere non modo nihil sit in corde tuo conforme SS° Cordi IESU, sed revera omnia omnino dissimilia et contraria.

Quam infructuosa manent in te tot lumina ac proposita.

Quam plenus sis vitio humani respectus.

Quam vere habeas spiritum illum Pharisaicum Christo Domino maxime odiosum.

Et, quod sane maxime te humiliare debet, est, quod omnes illi defectus, quos in te vides, non valeant tibi eximere istam vanam tui aestimationem. Profecto ut tu humilis fias requiruntur insignes humiliationes, quas itaque a DEO... (1).

Ergo est stultitia, sibi aliquid praesumere de eo quod longe magis plagas meretur quam gratias! Quid? Si omnia quam perfectissime ageres esses *servus inutilis*; sed quid nunc?

Summa perfectio ad quam Christus et Regulae adspirare iubent, semper te humiliet, cum ne illum quidem gradum umquam attinges, in quo dicere poteris: *servus inutilis sum.* Vere demerita tua semper erunt innumera. Si perfectus esses non faceres plus quam debes facere: sed quid nunc?

---

(1) Cetera huius capituli desunt.

Signum est evidens te esse pessimum, cum tam saepe iniqua de proximo iudicia tibi oboriantur. Aegrotus, qui morbi vehementia gustum habet perversum, optima etiam esculenta amara esse iudicat, scil. iuxta gustum suum. Idem de te iudicare debes, qui ideo male agere proximum putas, quia ipse malus es.

Dedit tibi DEUS intellectum sanum? Memineris eum esse medium ad finem tuum consequendum, qui est DEI gloria non tuus honor.

Quotiescumque desideras magni fieri, aut gaudes de honore quem apud homines occupes, desideras aut occupas rem, quae DEO debetur, et quam DEUS magnopere expetit sibi soli retinere, et quam summo iure sibi reservat. Quare fecisti millies iniustitiam DEO maximam, furando ipsi quodammodo, aut saltem desiderando illi surripere, rem quam ipse maximi facit.

Toties iam proposuisti vitae emendationem, quae tamen numquam secuta est. Nonne mirum, quod nondum de te ipso diffidas? Id scil. est mirandum prodigium tuae superbiae. Confuge ergo tandem ad DEUM, et implora Eius gratiam, sine qua tui diffidentiam, quae tamen fundamentum est, numquam acquires.

An posset aliquis, qui tot tuos defectus sciret, credere, plerasque tuas tentationes esse vanae gloriae, et superbiae cogitationes potissimam esse materiam tuarum confessionum?

Sanctissima desideria si in te bene perspexeris, potissimum ex inordinato et malo fonte provenire invenies. Quanta miseria!

Si quem vides pretiosis ornatum vestibus, sed multis sordibus maculatis, an non vestes illae pretiosae magis illum despicabilem reddunt quam aestimatione dignum? Sic etiam gratiae divinae, si quas egregias tibi accepisse videris, magis in tuum despectum vertunt, cum tu pretiosas illas vestes intolerabili incuria turpiter macularis.

Omnes et singulae actiones tuae non sunt sine defectibus: non sunt ergo dignae DEO et Christo. Atqui arbor infructuosa excidetur, et in ignem mittetur; servus inutilis mittendus est in gehennam.

Es vere arbor infructuosa, profers flores propositorum sat multos. Sed magna pars horum perit, dum adhuc flores sunt: pars decidit cum iam in speciem fructuum sunt mutati, sed nondum maturi, scilicet dum post aliquod tempus e propositis desistis. Quod si tandem aliquos fructus ad maturitatem reducis, illos vermes id est defectus corrumpunt, adeo ut nullus omnino bonus fructus a te DEO proferatur. Et superbis!

Si vel semel peccasti maiorem cordi Divino afflictionem attulisti, quam per totius vitae tuae quantumvis multa bona opera Ei gustum adferre queas. — Quid nunc, cum non semel sed toties cor Patris benignissimi ingratus afflixisti? — Quantum motivum, ut 1° *in humilitate, pudore,* et contritione ambules coram DEO ob commissa peccata; 2° in timore et sollicitudine, cum adhuc possis idem committere!

Proposita quaedam ad Humilitatem spectantia

Cave ne te umquam alicui praeferas, sed omnibus potius inferiorem te reputa: quod si non eo perveneris ut hanc persuasionem animo impresseris, saltem ita cum omnibus age, ac si vere te maiores, tui superiores essent.

Omnibus subiectus obedi omnibus, in quantum fieri potest, ac si vere tui Superiores essent: nam etiamsi Sacrae Regulae et ipsa S. Scriptura id non iuberent, tamen hoc iustum foret, cum adeo indignus sis, tot peccatorum tibi conscius, et tam male respondeas pluribus gratiis, quas DEUS in te contulit. Vix sane aliquem invenias, qui tot donis acceptis tam ingratum se praestiterit quam tu.

Si quem vides etiam gravissime peccare, cave ne te ideo meliorem illo reputes, sed potius magis humiliare, DEOque gratias age, quod te indignum efficaciori sua gratia conservare dignetur.

Neminem ullo umquam respectu contemne, nihil enim contemptu dignum habere aut facere potest aliquis, quod tu ipse non habeas aut feceris respectu DEI. Nam non est ullum peccatum, quo DEUM non offendisti.

Cum videris aliquid ab alio non benefactum, excusa, si potes; quod si excusationi locus non est, vide an in te non sit

idem vel etiam maius malum, et humiliare. Quod si id nunc in te non videas, vide an umquam fuerit, aut simile quid. Certe semper invenies sufficientem materiam ad te humiliandum.

Si alii bene de te iudicant, hinc humiliare; nam id signum est, quod te sint longe meliores. Quisque iudicat de alio iuxta proprium suum animae statum.

Quod DEUS tantopere animam tuam expetat, hinc magis humiliare, quod ipse eam tam leviter et negligenter custodias. Imo bene considera, quod superbia tua animam hanc DEO reddis detestabilem.

Quoties male profectus spiritualis succedat, adscribe soli tuae tepiditati et malignitati; quoties bene, non tuae diligentiae, sed DEI efficaci gratiae ac misericordiae.

Si tibi videris plures exteriores mortificationes adhibere quam alii, reputa te esse in via purgativa, illos in unitiva, eosque exterius omnino mundo mortuos interiori cum DEO unioni esse intentos.

Frequenter pericula quibus undique anima tua circumdatur serio recole, unde discas te ipsum quidem humiliare, in DEO autem solo confidere.

Tracta te efficaciter ut inferiorem omnibus, sic paupertatem etiam exercebis sumendo tibi quaecumque viliora.

« Beati pauperes spiritu ». Si vis esse *pauper spiritu,* debes non tantum bonis terrenis, sed etiam propriae existimationi et tibi ipsi renuntiare.

In exercendis actibus humilitatis adsiduus esto, nam humilitas exercitio, veluti pretio, a DEO emitur, sicut et caeterae virtutes.

Praevides occasiones te humiliandi? cave tunc ne particula boni tibi dilabatur. Quod si quando occasionem humiliationis praetermiseris, numquam id aliquomodo punire omitte.

Ut proximam peccandi occasionem evita omnem cum altero tui comparationem.

In colloquiis cave a dictis, quibus tibi aliquam comparare possis existimationem.

Frequenter hanc intentionem ante opera tua constitue: *Ut divinae Maiestati debitum obsequium praestem Eique me humiliter subiectum exhibeam.*

Videns in alio aliquid laudabile, DEUM lauda.

Si laudaris ab hominibus aut illis te placere advertis, dic cum intimo sensu: *Soli DEO honor et gloria.*

Quotidie aliquoties descende in considerationem tuae malitiae et miseriae; occasiones talium considerationum, quae sane non deerunt, sedulo arripe.

Exteriora exercitia humilitatis exerce cum interiori etiam humilitatis exercitio et non cogita: *nunc facio actum humilitatis,* sed potius dic Domino: *Domine, etiam indignus sum ad haec officia pro te facienda.*

Constanter et fervide a Deo pete, ut permittat te humiliari et contemni, praesertim a Superioribus.

Noli, ut homines ullo modo de te cogitent, ideo saepe hunc actum elice: *Te laudent omnes, Domine, de me autem nemo cogitet. Sim despectus et oblivioni traditus!*

Sit tibi familiaris oratio S. Augustini: *Noverim Te, noverim me.* Haec pauca continent absolutam diffidentiam de se et confidentiam in DEO.

Cum nihil omnino boni facere possis ex te, cura ut ante quodvis opus maioris momenti, praesertim ante spiritualia, DEI implores auxilium; v. g. *Adiuva me, Domine, propter nomen sanctum Tuum.* In hac oratiuncula exercentur simul renovatio intentionis et diffidentia sui et confidentia in DEO.

Videns in alio defectus contra minoris momenti res, cogita DEUM id permittere, ut humiles maneant in solidis virtutibus quibus ab ipso ornati sunt. Cave autem sedulo, ne te iis praeferas, eo quod minima illa melius observare videaris.

S. P. Ignatii documentum: « Humilitas externa in gestibus, « verbis et operibus omnibus eluceat. Verbum humilitatem mi- « nus redolens, veluti blasphemia fugiatur; gestus humilitati « contrarius, perinde ac si honestati adversetur, vitandus est.

« Opera ab humilitate difformia ita caveantur sicuti Rex ca-
« veret, ne filius eius veluti belluarum custos indueretur ».

Nihil e dotibus DEI manifesta, nisi id DEI maior gloria postulet.

Si aliquando te vicisti, cave hac de re gaudeas tamquam tua esset illa victoria; sed DEO tunc gratias age.

Divide ac distingue semper in te quae a te sunt et tua, et quae a DEO et DEI: nam maxima etiam dona nullum ius dant efferendi se, cum DEUS maneat semper illorum Dominus. Sicuti homo qui pro altero magnum thesaurum transvehit non dicitur ideo dives, sic etiam ob bonum quod in te a DEO forsitan est, non tu laudandus, sed solus DEUS.

Consideranda saepe est magnitudo DEI, nihilum originariae tuae naturae, et pravitas tua, non tantum ea, cuius effectus fuere et sunt peccata etc. sed etiam ea quae est tibi originaria, quae ad gravissima peccata traheret sine gratia DEI praeveniente et subsequente; quod si consideraveris, potes te merito peiorem omnibus peccatoribus existimare.

Ex superbia tua hauri humilitatem, nam sicut pavo, dum pennas suas explicat et ostentat, pedum turpitudinem optime ostendit, sic tu, dum superbis, manifeste id monstras, unde humiliari debes.

Mortificatio socia humilitatis et gradus immediatus ad Amorem

« *Regnum caelorum vim patitur et violenti rapiunt illud* ».

« *Sicut misit me pater, et ego mitto vos* » non tantum dictum est a Christo respectu muneris Apostolici, sed etiam respectu imitationis: itaque si IESUS missus fuit a Patre ad Crucem ferendam et ad dura quaevis subeunda, etiam eadem nos patiamur necesse est. Quomodo sine mortificatione, sine cruce *socius IESU eris?*

Cruentum mortificationis cultum non tibi displiceat, si vitam vis degere religiosam, quae est continuum *Martyrium, vita poenitentis.*

Motiva mortificationis efficacissima sunt: amor DEI, cui nostra afflictio gratum est sacrificium; peccatorum commissorum gravitas, quae ut poenitentia reparemus, non modo aequum sed et necessarium est; futurum purgatorium, cum quo si comparatur vita durissima, sane nihil est quod hic pati possumus cum eo, quod in purgatorio pro unico veniali delicto patiemur; gloriae gradus, qui mortificatione quavis promeretur, cum e contrario in purgatorio anima patiens purgetur, non vero mereatur; timor, ne in peccata praeterita aut etiam maiora labamur, nobis ipsis indulgendo; desiderium impediendi peccata in aliis etc.

Sanctificetur nomen Tuum. DEO nil magis cordi est quam sanctitas. Si vis esse verus filius huius Patris, decet ut sis sanctus, adde quod haec sit DEI voluntas, quod hinc Eius gloria redundabit et (cum haec semper sint per Divinam bonitatem coniuncta) etiam utilitas tua. *Sanctus* autem esse nihil aliud est nisi DEO plane addictus et unitus. Ad hoc requiritur, ut sis liber a creaturis et a te ipso, i. e. ab amore tui et ab amore creaturarum. Haec autem acquiruntur per *mortificationem* et *humilitatem;* ideoque humilitas et mortificatio sunt quasi compendium omnis sanctitatis. In his ergo exercendis homo sit adsiduus oportet, qui ad veram sanctitatem adspirat.

IESUS passus est tota vita, B. V. MARIA, quae numquam peccaverat, summos dolores pertulit, et ego pati detrectem!

Numquam pacem habere debes cum tuis passionibus, si vis veram pacem habere tecum. Hoc probat, quod passiones ad tuam essentiam non pertinent, sed interni hostes sunt. Rex autem vere pacificus non quaerit pacem tenere cum seditiosis incolis (hoc enim ipsam turbaret pacem), sed eos omni ope debellat.

Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Qui nullas persecutiones patitur a daemone vel mundo, saltem non apertas, persequatur se ipsum, sensualitates suas, etc. mortificet. Tunc etiam persecutionem patietur *propter iustitiam.*

Optima praeparatio ad pugnam contra mundum et daemonem est pugnare contra se per mortificationem. Vincens se Xaverius reddit se victorem et mundi et daemonis, o quam gloriosum!

Nulla requies in hac vita est quaerenda; haec ad futuram est reservanda, et quo magis universaliter hic ab omni solatio

fueris abstractus, eo plenius erit gaudium tuum in coelo. Proin illum diem perditum existima, in quo nihil aut parum incommodi perpessus fueris, illum vero felicissimum, in quo plurimae obtigerint molestiae.

Qui IESUM maxime amabant propiores ad Crucem stabant. Sic etiam semper fere observatum, eos maxime cum difficultatibus conflictatos fuisse, qui DEO maxime erant amici. Ideo aliorum persecutiones et humiliationes sunt amandae; et si nemo te cruciat, te ipse crucia; si nemo te persequitur, persequere te ipse; si nemo te humiliat, humilia te ipse.

Nil tibi satis durum accidere potest in hac vita, meruisti enim infernum, omnibus malis maiorem.

IESUS tradit se pro te daemonibus i. e. daemonum instrumentis cruciandum: quibus ergo tu te tradere recusabis amore IESU?

Quis tu es, pro quo IESUS crucem patitur? Quis est IESUS pro quo illam patiaris? IESUS illam amat pro tua salute; quid te facere decet? An dignum est ut salus tua minus tibi cordi sit, quam IESU curae fuit?

Si, prouti debes, IESU passionem prae oculis semper habes, ipsi in acerbissimis doloribus aliquod levamen afferre satagas oportet mortificationibus; quibus etiam illud praevenies, ne peccando dolorem Eius adaugeas.

Religiosus Christi crucem portando sublevet oportet, praecipue *Socius IESU,* et his maxime temporibus, quibus Crux Christi tam gravis est propter peccata enormia, quae in mundo committuntur.

Quando aliquid offers DEO per mortificationem, semper cura ut optimum illi sacrifices; nam quis umquam auderet vel terreno Regi muneris loco offerre viliora quae habet?

Cum desiderium patiendi propter iustitiam sit ipsum donum DEI, instanter illud et adsidue a DEO pete; pete ardentem amorem erga ipsum, et desiderium illud sequetur.

Opifices et alii, qui labore manuum victitant, gaudent et felices se reputant, cum plurimum habent laborandum: quid ergo

tu non magis gaudere debes, quo plus patiendum occurrit? Nonne turpe est illos pluris facere fructum panis, quam tu aeternum gloriae pondus?

Motiva generalia desiderii Crucis

IESU exemplum. Veritas aeterna, quae errare nequit, elegit contemptum, etiam tunc, cum videretur expedire, ut honorem et aestimationem admitteret. Ab ipso vitae exordio incepit exemplo crucem praedicare. Cum esset in sinu Patris sciebat utique optime, quomodo DEUS magis glorificetur.

Gloria Dei. Nulla re magis glorificare possum DEUM, quam patiendo, quia hoc ipso magis fio similis Filio Eius, quem mihi viam dedit et exemplar, quomodo ipsum glorificare optime queam. — Veritatem amat DEUS; quo magis humilior, eo propius accedo ad illud, quod mihi iuste et vere competit. Locus meus est centrum nihili. Quid? per peccatum vel originale solum locus mihi competens est in inferno, adeoque esse obiectum odii et abominationis DEI, quod infinite maius est malum quam odio haberi et abominationi esse etiam omnibus creaturis simul sumptis. Si omnes, qui tecum vivunt, te contemnerent, quot adhuc essent homines, qui te non cognoscentes non contemnere possent? Et tamen etiamsi omnes homines qui vivunt in toto mundo, nemine excepto, si etiam omnes, qui vixerunt umquam, aut victuri sunt, si omnes simul daemones, imo si etiam omnes Angeli, omnesque electi DEI, omnes omnino creaturae te ut abominabilem detestarentur et odio haberent, id omne minus esset, quam uni DEO esse odio et abominationi. Cum vero hoc ultimum per peccatum merueris, evidens est numquam te in vita eo loci posse pervenire, ubi vere esse meruisti. Saltem ergo eo contendendum, quo pervenire potes, si veritatem amas. Contemptus ergo et cruces quaeras diligenter oportet, et oblata cum gaudio amplectaris, si veritatem amas. « Filii hominum usquequo gravi corde? Ut quid diligitis vanitatem et quaeritis *mendacium?* ».

Propria utilitas. Peccata praeterita et praesentia: per cruces deletur poena solvenda, meritum colligitur; per cruces optime amor DEI probatur; in omnibus aliis rebus semper magnum est periculum, ne proprius amor et alia potius inordinata intentio quam DEI amor te ducat.

Tempus huius vitae ad aeternitatem est valde breve. Melius illud impendi nequit, quam si ex DEI voluntate plurimum patiaris. Ad gaudendum cum DEO longa superest aeternitas, ad

patiendum et amorem tuum erga DEUM monstrandum ferendo crucem breve tantum huius vitae spatium. In bonis successibus, prosperitatibus, aliisque DEI beneficiis, semper magna est occasio timendi, ne DEUS haec in ira sua conferat: si vero cruces permittit pro gloria ipsius ferendas, haec mera sunt beneficia et quidem talia, quae nullum suspicioni locum relinquunt. Imo, etiamsi crux e propria culpa proveniat, demonstrat amorem DEI et gaudendi fit materia. Si enim DEUS hic arguit et corripit, non arguit *in furore suo,* nec corripit *in ira sua,* quod unice timendum.

Qui desiderat sincere crucem, potest certe dicere cum Apostolo: *quis me separabit?* Si enim sustuleris quidquid separationem hanc possit producere, imo illud converteris in augmentum unionis (quod qui crucem amat facit), separationi certe locus non datur.

Per cruces DEUS saepe salvandum videt hominem. Ipse scit quae via optime cuique conveniat. Scit etiam quid magis gloriae suae conducat. Insuper est zelosissimus gloriae suae et salutis uniuscuiusque. Qui ergo amat DEI gloriam et se salvum vult, recipiat cum gaudio oportet, quidquid DEUS de ipso statuerit. *Visitatio Domini custodit Spiritum.*

Cruces hominem in invocando DEO torpere non sinunt, ut S. Ignatius merito dixit Pascali, cum ad consolandum eum praediceret ei, multas ipsum cruces manere.

Cruces faciunt agnoscere exsilium et aspirare ad caelum ideoque conferunt multum, ad abstrahendum animum a terrenis.

Cruces praebent occasionem aliquid DEO offerendi in amoris tesseram.

Cruces ponunt hominem inter illos qui lugent, quos Dominus Beatos appellavit.

Cruces praebent occasionem uberem actuum multarum virtutum, et quidem heroicorum, proinde occasionem thesaurorum incomparabilium.

Cruces supplent poenitentiae defectum. Sunt autem illae afflictiones, quae nobis invitis a DEO immittuntur longe praestantiores et securiores, quam eae, quas nobis ipsi eligimus. Certior enim in his est voluntas DEI, nullum propriae voluntatis admixtae periculum.

Si DEUS hic peccata punit, signum est, eum nolle illa computare ad numerum, quo completo damnantur damnandi. Signum igitur quodammodo, quod talis homo sit ex electorum numero.

Qui non est in cruce, non videtur esse ex numero eorum,

qui ad militantem Ecclesiam pertinent. Nam ad quid illae toties repetitae invocationes Sanctorum, illa *Miserere,* quibus inclamatur assidue divinum auxilium? Haec omnia certe non denotant statum quietum et tranquillum.

Si DEUS quasi dissimulat se peccata videre, est poena omnium maxima. Orandum ergo: *Ostende* potius *faciem tuam* etiam iratam, *et salvus ero.*

Cruces sunt quasi vincula, quibus nos DEUS vult ligare, ne iterum deserto eius servitio tradamus nos diabolo, a cuius servitute nos Christus redemit.

Si in cruce DEO fidelis maneo, certior fio, quantum fieri potest, virtutem meam procedere ex motivo supernaturali, cuius rei plurimum interest.

Cruces ergo sunt inter eximia et summa DEI beneficia reputandae. Quam intolerabilis ergo ingratitudo, tanta beneficia vel cum indifferentia accipere, nedum cum murmure et querelis.

Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. Crucifixio non denotat mortificationem qualemcumque, sed valde dolorosam. Mortificatio et interna et externa; *carnis* cum *vitiis.*

Si tibi gravis accidit multumque te cruciat poenitentia et corporis afflictatio, id ipsum sit tibi motivum

1° *Ad gratiarum* infinitarum *actionem* Christo Summo Benefactori, qui sua morte id effecit, ne aeternum poenas numero et mensura infinitas patiaris.

2° *Ad gaudium,* cum detur tibi ut per haec, brevia et parva, aeterna possis innumeraque redimere.

3° *Ad* hanc ipsam *poenitentiam* eo ferventius agendam; nisi enim feceris, manet te longe gravior et diuturnior saltem in purgatorio, et sine merito. — Proinde id ipsum te excitet:

1° Ad cruces a DEO immissas amplectendas hilariter, siquidem DEUS ita tibi consulit cum ipse ad poenitentiam sis delicatus.

2° Ad abstinendum quam maxime voluptatibus etiam licitis, si quidem dolores et mala tibi incutere tantopera horres.

3° Ad faciendas saltem strenue et ferventer parvas illas et consuetas mortificationes.

N. B. Saepius relegendum ex P. Ludovici de Ponte Luminibus.

Motuum inordinationes rediguntur ad quatuor:

1. Est in cogitationibus et imaginationibus de rebus no-

xiis, vel vanis, vel impertinentibus illo tempore, vel cum nimia sollicitudine.

2. In affectionibus et volitionibus rerum prohibitarum, uti sunt affectus superbiae, irae, invidiae, et aliae; vel quoad motus prohibitos, uti est turbatio vel inquieta perpensio ad concionandum, sciendum, etiam circa officium proprium.

3. In repugnantiis erga opera virtutum cum tepiditate annexa circa illa: uti sunt opera cultus divini, obedientiae, amoris proximorum.

4. Libertas sensuum in videndo, audiendo, loquendo, exeundo ad has res, ex curiositate, vel impetu, vel libertate, etc.

Quod si in his 4 generibus inordinationum me mortificabo et negabo, tollam impedimenta unionis cum DEO et perfectae familiaritatis cum illo.

Amor Dei et sedula cura ipsi placendi

DEUS te amat. — Quare DEUS te amat? quia te amat, alia causa dari non potest; nam vere magis convenire videtur ut te odio haberet, quam ut te amaret. Et tamen amat te, et amat te plus quam tu te ipse amas aut amare potes. Amavit te antequam eras, ideoque antequam poteras habere quidquam in te amore dignum. Sed quod maius est, amavit te etsi praevidit suum amorem a te spretum iri; et postquam jam amorem Eius spreveras, tamen adhuc amare te non destitit. — Quomodo autem amavit te DEUS? Quantus amor? DEUS dat quem pro quo? Filium dilectum pro me, qui ex me nihil eram, qui, ex quo esse coepi, odii ipsius subiectum eram; quemque praevidebat post tantum suum amorem ipsum adeo non amaturum, ut etiam millies offensurus ipsum esset. — Quid? — postquam tam diu amorem Eius ludificaveram, nova sui amoris pignora praebuit, vocavit me ad statum hunc felicem, aggregavit me amantissimis ac dilectissimis Filii sui Sociis. Et hoc beneficio iam tamdiu fruitus es, tamen nondum verus Eius amator dici potes. Ille nihilominus te indignissimum non modo adhuc fert, sed adhuc amat, et quidem tenerrime. — Quamdiu ergo amori amorem rependere differes?

Si te totum debes DEO, quod te creavit; quid ergo, quod te redemit, et redemit tali modo?

Quis es tu? quem DEUS amat. Quis est DEUS, qui te amat?

DEUS vult, desiderat, iubet ut ames ipsum. Quare? quia amat te. Vult amari a te, qui, si amaveris, nihil ipsi adferre, si oderis, nihil auferre potes.

Vult coram ipso nos sistamus velut parvulos; ut ipsi nos committamus, quo ipse nobiscum, ut benignissimus Pater cum dilectis filiis agere possit.

DEUS aegre fert, si in miseriis et necessitatibus ab alio solatium requiris, quam ab ipso; hic vere paternus amor.

Si omnes homines DEUM amare debent ex toto corde etc. quae, si stricte sumatur, perfectio iam est summa, quid ergo tu, qui cum plus acceperis plus etiam amare deberes? quanta igitur humiliationis causa, te longe adhuc ab huius praecepti observatione abesse!

Quaevis peccata, etiam minimas negligentias cum omni cura fuge. Quid enim? nonne minima inobservantia clientis magis affligit Dominum, quam contumelia servi vel inimici? Ab hoc enim nil aliud exspectat, sed ab amico et ab eo, cui singularem semper favorem exhibuit, merito nil nisi amorem exspectat.

Quoties etiam vel minimo officio tuo erga DEUM aut proximum dees, maximam committis iniustitiam, habito respectu ad ius summum DEI et ad desiderium, quo illud a te exigit.

Nihil boni facere potes, quod non facere debes ex obedientia. Debes omnes ut superiores honorare, debes in omnibus mortificationem quaerere, debes occasionem nullam virtutis exercendae praetermittere, et quoties omittis aliquid ex his inobediens es. Ad hoc te obligant Regulae et nomen *Socii IESU*. Semper minus facies, quam id est, ad quod ex officio teneris.

Novo semper fervore omnia etiam communissima devotionis exercitia sunt animanda: ita magnum colligitur meritum apud DEUM, cum secus DEO displiceant magis quam placeant.

Sicut quivis etiam minimus gradus gratiae plus valet quam omnes terrae deliciae et divitiae simul sumptae, ita quodvis etiam minimum peccatum, quamvis negligentia vel inadvertentia commissum, maius damnum est, quam omnes terrae

divitias et delicias perdere, et omnes mundi molestias simul sumptas subire.

Peccatum etiam ex inadvertentia commissum quomodo parvum dici potest, aut excusari, aut negligi? Quid? qui in conspectu Regis, a quo dependet, stans, sciret se motu digiti eius offensam incursurum, aut saltem minorem ideo gratiam apud eum habiturum, nae ille etiam ab hoc ex inadvertentia committendo caveret.

Quantopere curandum tibi est, ne vel aliquo modo displiceas DEO, sine cuius gratia rueres in maxima peccata.

Si vere DEUM amas, etiam parvos defectus, qui ex inadvertentia oriuntur, non committas; si Eum vere amares, haberes semper mentem elevatam ad ea quae DEO placent facienda, quae minus evitanda.

Amare DEUM ex tote corde, in tota mente, in tota virtute est: prae illo reliqua omnia nihili ducere et animae potentias omnes in DEO amando occupari. Hoc autem, docente S. Ignatio, fit, quando memoria semper praesentem veluti DEI amorem Eiusque beneficia reminiscitur; intellectus in attenta Divinae bonitatis consideratione versatur; voluntas in DEI perfectionibus sibi complaceat, Ei placere et propter Eius amorem omnia agere et pati desiderat.

« *Beati mundo corde quoniam ipsi DEUM videbunt* ». DEUM videre nemo potest quin etiam amet: amor ex DEI cognitione procedit. Hanc cognitionem DEUS infundit cordi mundo, nullo amore proprio vel creaturarum inquinato; proinde, si vis amare DEUM, mortificationem et humilitatem quam maxime cole, et DEUS lumen suum in te effundet.

Ad maiorem DEI gloriam: haec norma est ad quam actiones nostrae, si DEUM amamus, debent formari. In omnibus DEI gloriam intueri, in omnibus Eius *maiorem* honorem quaerere, et omnia eo modo facere, quo maior inde gloria DEI resultet. Haec vere summa perfectio est.

Ob miserias tuas et malitiam ingenitam gemere et contristari debes, in quantum illae DEO displicent et plura producunt quae DEO sunt ingrata; verum in quantum illae te omnino a DEO dependentem faciunt, DEUM debes laudare, ob maiorem gloriam Eius.

Si quis etiam invitus aliquem, quem amat, offendit, hac de re sincere dolet et veniam ab eo petit: qui ergo fieri potest ut qui DEUM vere amat non doleat sincere de peccatis etiam involuntariis?

Amor DEI *tener* sit oportet, ita ut ne vel minimam rem sibi contrariam admittat; *ardens* simul et *fortis,* ita ut amantem incitet ad omnia etiam durissima facienda et patienda amore Dilecti.

Quo firmior est spes et confidentia, eo sit ferventior actio oportet. Tempore consolationis non est remittendum ab operibus poenitentiae et mortificationis. Quid? Qui naufragio facto in fluctibus mergitur, nonne is eo maiori intentione se movet et emergere nititur, quo maior adest emergendi spes?

Amor est communicatio mutua bonorum. Si Rex magnificus peteret a mendico, ut ipsi communicaret sua bona ea conditione, ut ipse particeps fieret regiae maiestatis et potentiae, numquid ille mendicus magnum se Regi suo sacrificium facere putaret, eius petitioni acquiescendo? Quid ergo? DEUS dicit tibi: *Offer mihi tua et te, et dabo tibi mea et me.* Numquid videberis ergo tibi multum facere DEO, si ipsum ita amas? Quod plus est, DEUS primum incepit, dedit tibi iam sua in creatione, se in Redemptione, etc. infinita dona tibi dedit; nunc petit, ut vicissim tu tua illi teque ipsum des. An hoc recusabis? dans te tuaque das ea quae vere DEI sunt. DEUS autem id accipere se dicit, ac si esset tuum, et illa pauca, se suaque donando rependere promittit. — Non ergo reputes te umquam posse esse satis liberalem erga DEUM. Ille est infinities liberalior, nec sinit se vinci a creaturis suis. — Sit itaque amor tuus *fortis* et *tener,* in cavendo tam magna quam parva quae illi displicent; in patiendo tam magna quam parva, quae ille desiderat... idque ferventer.

Est ingens Divini amoris argumentum, quod iubeat, ut ipsum ames. Numquid pauper subditus illatam sibi iniuriam esse conquereretur, quod Rex ipsi mandasset, iure suo in res suas viles cedere ut regni haeres fieret? Sane ergo is, qui mandata DEI, quae a praecepto amoris omnia pendent, gravia dicere audet, non intelligit quid sit *amare DEUM.*

Amor IESU eiusque sacratissimi Cordis itemque MARIAE

Omnis amor IESU erga homines, qui tot mala pro ipsis perpessus est et tanta pro illis fecit, sedem habet in sacratissimo Corde IESU. An ergo non meretur hoc Cor venerationem tuam, an non aequum est te qui IESU amicus esse velis, satagere ut ipsi placeas, cum praesertim a toto mundo tam male habeatur? — Quidquid autem amoris IESU videris, id omne ex Sacratissimo Eius Corde promanat.

DEUS in cruce pendens in summis doloribus sui veluti obliviscitur et prima, quae profert verba, ea profert pro salute peccatorum. Quantus amor! — Haec monstrant, quod IESU gravius onus sit peccatum quam dolor passionis suae. — Tunc autem etiam pro te oravit.

Nihil autem magis amorem IESU declarat, quam SS.^{mum} Eucharistiae Sacramentum. — Si quis medicus esset, qui gratis pauperes aegrotos visitaret et remedia maxime convenientia praescriberet, nonne is amore pauperum illorum foret dignissimus? Quod si etiam gratis medicamina adderet, qualis esset ista charitas? Quod si denique, sciens id optimum esse remedium, suum ipsis sanguinem potandum praeberet, nonne talis amor omnis intellectus nostri limites transgrederetur? Et tamen hoc IESUS facit, et quidem miseris vermiculis, imo nihilo ipso indignioribus. — Sed quaenam maior ingratitudo et stultitia esse posset, quam si talis aeger nollet ab iis, quae iste medicus vetaverat sumere et affirmarat noxia esse, abstinere?

Si quis Rex esset, qui ad regnum suum felicissimum invitans, sub suis vexillis dimicaturos convivio lautissimo exciperet, ipse ministraret, quis subditorum non animaretur ad strenuam regni defensionem? Sed si in illo convivio cibos elegisset, qui vires quam maxime augerent et, talis potestatis sanguinem suum esse sciens, istum eis bibendum praeberet? ... At nonne id facit IESUS? — Et si talis princeps nil peteret, nisi ut in Eius servitio essent fideles, nec umquam aliquid contra ipsum in hostis gratiam facerent, numquid vel unus hanc conditionem adimplere recusaret?

IESUS est quasi Rex magnificus qui iter faciens secum ducit omnia, quae ad hospitium ipsi adornandum requiruntur, et ad hoc aliquos ministros praemittit. Ora ergo ut IESUS in Cor tuum gratias suas praemittere dignetur, quae cor tuum dignum aliquomodo tali hospite habitaculum faciant.

IESUS SS. Sacramentum instituit tunc cum homines maxime in ipsum conspirabant; demonstravit libenter se conversari cum filiis hominum, quo tempore homines ipsum pessime habebant; dedit iis cibum immortalem, cum illi ipsius mortem quaerebant.

IESUS 33 annos cum hominibus versatus et pessime habitus ab iis, ac si fuisset maxima reverentia exceptus instituit etiam SS.^{mum} Sacramentum, ut demonstret delicias suas esse cum filiis hominum.

IESUS praescivit horrendas iniurias quas in SS.^{mo} Sacramento non ab infidelibus tantum, sed etiam a Christianis Catholicis, quin et a millenis Sacerdotibus accepturus esset; nihilominus illud instituit.

Quare IESUS tantopere tecum uniri desiderat? Quia te amat. Magnus rex mundi tantum abest ut quaerat societatem cum aliquo minori inire, ut e contrario ultro oblatum spernat, et saltem non nisi tergiversando admittat. At IESUS societatem quaerit miserrimi mendici, qualis ego sum. Quantus amor!

Mira res: IESUS cum homine uniri exoptat, cum nihil ipsius intersit; nos quorum omnino permultum interest tam parum IESUM quaerimus et cum illo uniri desideramus, ac si id nobis nil utilitatis efferret.

Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra. Quanto pretio hanc IESUS comparare sibi voluit, pro tua salute! Quam dignum est, ut tanto Domino subiicias te et alios subiicere studeas! Quam felix eris sub protectione tanti Domini! Quid poteris timere si ipsum amicum habeas? Quid non potes sperare ab Eo, qui dominatur in coelo, dominatur in terra? Neque daemon, neque mundus, neque caro tibi nocere potest, si IESUM amicum tibi habeas. Quam merito sperare debes sedem in coelo, ubi IESUS omnem potestatem habet, ille IESUS, qui tanta pro te passus est, et ibi adhuc gloriosa vulnerum suorum signa retinere voluit, ut tui recordaretur, pro quo illa accepit. Huic Domino servire vere est regnare, nam qui

IESU servit, ei non dominatur daemon, non mundus, non caro, nihil rerum temporalium, nihil omnino quod in mundo est. — IESUS sua potestate non utitur, nisi ut te beatum reddat.

Intellectum sequens voluntas tua vult amare IESUM, vult IESU placita facere. Ergo hoc stude, ut Eius amorem semper prae oculis habeas et cor ad ipsum elevatum teneas. Cum autem haec sit gratia specialis, ora ut IESUS amoris funiculis cor tuum ad se trahat.

Si vis scire, an IESUM tuum amas, vide

1° An et quomodo peragas opera quae ipse iniungit, vel ipsi placere scis.

2° An serio illum imitari satagas.

3° Quanto cum gaudio iugum legis Eius feras: nam ex amore onus Eius fit levissimum et suavissimum.

4° Quo cum affectu Eum visites et recipias in SS.mo Sacramento, et quomodo adsistas S. Missae Sacrificio, ubi recolitur et renovatur magnum illud amoris Sacrificium.

Quare in Communione ardentes illos amoris et desiderii affectus non habes, sicut alii? Scilicet, est indignum, ut panis filiorum canibus detur. — Sed tamen etiam canes aliquando manducant micas, quae cadunt de mensis dominorum suorum. Hinc etiam tu de tempore in tempus aliquid huius dulcedinis delibas, et plus gustares, si magis fidelis esses. — Hoc semper fac: offer desideria et flammas amoris Sanctorum, praesertim Ignatii, Xaverii, Aloysii, Stanislai, aliorumque nostrae Societatis, pro tua tepiditate.

Si post Communionem debes cum veritate dicere posse: *Vivo ego iam non ego, vivit vero in me Christus,* qualis ergo vita tua esse deberet? tunc nihil loquereris, faceres, cogitares, nisi quod IESUS cogitavit, fecit, locutus est.

Devotio tua erga S. Cor IESU sit efficax oportet et ad praxim reducta, ut scil. saepe meditando affectus illius sanctissimos et perfectiones atque virtutes, tuum cor illi conformare satagas, in variis occasionibus, praesertim quae maioris sunt momenti, inquirendo quinam fuisset affectus SS.i Cordis IESU in his circumstantiis?

Si non serio IESUM imitari satagis, causa es contumeliae IESU a daemonibus inferendae, cum nomen *socii IESU* prae

te feras. Sed vide; nam IESUS id non permittet, sed potius e domo et numero sociorum suorum disturbabit.

Amor MARIAE. Amamus semper matrem eius, qui nobis bene facit, praesertim ubi scimus, beneficentiam filii in nos matri placere. Quomodo ergo non amare MARIAM, Matrem IESU, cui nos totos ac tanta debemus, qui de nobis tam bene meritus est et mereri non desinit, cum praesertim B. V. Filii sui in nos benevolentiam non modo comprobet, sed etiam assidue accendat suis precibus et intercedat pro nobis, novas quotidie gratias a Filio impetrans?

O Domine, ego servus tuus, ego servus tuus et filius ancillae tuae. Servus es IESU, creationis titulo, *servus* es IESU titulo Redemptionis. *Filius ancillae* IESU, quia filius Societatis, quae IESU servitio est dedicata speciali modo. Quid autem tot titulis IESU debes? Quid ut filius ancillae eius? Si vis particeps esse eius benevolentiae quam hic Dominus Matri tuae ostendit, tu aemulare sensa Matris tuae erga Dominum.

Si nuntiaretur alicui, qui Principem suum graviter et saepe offenderat, venturum ad se illum cum multo comitatu aulico, quantum timorem ille subditus conciperet, ne Princeps veniat ad ulciscendas iniuras? Sed si Princeps domum ipsius ingressus profiteretur se venisse non ut vindictam sumat, sed ut largis donis illum cumulet, quis esset tunc sensus subdito? qualem amorem erga Principem conciperet? An posset umquam adhuc voluntarie ac deliberate illum offendere? Quod si quid umquam ageret deinde ex inadvertentia, quod non dico offenderet, sed displiceret aliquomodo principi, quanta cura id reparare studeret! — His disce, quis debeat esse tuus affectus erga Regem tuum Coeli terraeque Dominum IESUM in Sacramento altaris, toties ad te peccatorem comitantibus Angelis venientem, ut tibi seipsum et omnia sua donet.

Ubi aegrotus desperatus rescit, quod venturus sit ad locum in quo habitat aliquis medicus valde celeber, qui multos morbos desperatos sanavit, certe spem concipit, fore ut etiam ipse sanitati restituatur; quod si ille medicus profiteretur se ad hoc ipsum venisse, ut illum aegrotum sanet, quam erigeretur animo infirmus! — Qualis ergo debet esse spes et fiducia, cum omnipotens medicus animarum ad te veniat in SS. Sacramento, cum ineffabili desiderio, ut aegram animam tuam sanet? Sed etiam, quanto cum desiderio debes illum excipere!

Amor Christi erga nos elucet valde ex consiliis Evangelicis traditis et ex praemiis illis adnexis. Nam haec dant occasionem multa et magna lucrandi, nihil amittendi, cum liceat illa absque punitione omittere, pro quibus tamen, si praestentur, ingentia obtinebuntur praemia.

In Communione post solutum laudis et adorationis tributum offer IESU gubernationem domus tuae, ut ille dicat *pax huic domui etc.* Dic quod nescias illam regere et in pace conservare, infer querelas tuas contra rebelles, qui cum subiecti esse deberent dominium sibi vindicant, conquerere adversus superbiam, gulam, etc. ut ipse summus Paterfamilias istos hostes et pacis perturbatores eiiciat e domo et expellat; quod si nolit illos eiicere, pete consilium ab ipso, qua ratione adversus illos agere et pugnare debeas, eum audi et documenta ipsius serva.

Offer etiam te ipsum in servum et pete, ut te in servitium suum admittat; et ne hunc tibi honorem ut indigno deneget, pete S. V. MARIAM, ut ipsa te Filio suo recommendet. Sic propter Matrem suam IESUS te admittet; deinde petas, ut te suis insignibus ornet, etc.

IESUS nocte suae Passionis testamentum condidit cum plurimis legatis infiniti valoris: testamentum enim hoc legat nobis omnes thesauros infinitos gratiae et gloriae. Promittit remissionem peccatorum et poenarum veniam; gratiam filiorum DEI cum charitate et virtutibus omnibus ac donis Spiritus S.; haereditatem coelestem; exauditum iri preces nostras; adversitatum auxilium et in omnibus actionibus nostris. Et hoc testamentum fundavit in Sanguine suo, qui harum promissionum firmamentum est, pignus, arrha, scriptura et instrumentum privilegii, quo assecuturi sumus quidquid nobis in hoc testamento ligavit: et hoc privilegium, hoc testamentum cum sigillo, hunc sanguinem habemus in SS. Sacramento. Quanta hinc fiducia, laetitia, securitas, amor oriri debet! — Considerandum etiam *quis* testamentum hoc condiderit, *quis* sit executor et testamentarius, nempe aeternus Pater, *cui* tanta bona hoc testamentum legat! Nempe mihi, misero peccatori, obiecto ex me ipso odii DEI.

Si quis esset, cui alius deberet insignem aureorum summam, adeo ut posset illum iure in iudicium vocare et in carcerem detrudere; si ille testamentum conderet, quo non modo omne debitum isti homini solvendo impari remitteret, sed etiam ipsum haeredem divitiarum suarum constitueret: quanto hic

amore, quanta gratitudine creditorem suum perfunderet? Attamen nihil id est, si comparetur cum eo quod nobis testamento suo legavit IESUS. — Auget autem Eius bonitatem infinito quodam modo, quod non iussu tantum vel dispositione, sed effuso sanguine suo per immanissimos cruciatus tantas nobis divitias legavit.

In Communione renovat Dominus quod fecit in apparitione facta discipulis ipso die Resurrectionis, cum stetit in medio illorum, ianuis clausis. — Dicit animae: *pax* tecum, *ego sum, noli timere.* Non modo dat facultatem se tangendi, sed in cibum se dat, quod superat etiam quod tunc fecit, cum coram illis manducavit ibi de pisce assato et melle. — Totum potest servire pro bona praxi in Communione, orando Dominum ut effectus producat quos ibi produxit: illuminationem intellectus, voluntatis inflammationem, gaudium spirituale. — Sed necesse est, ut ianuas et fenestras sensuum claudamus et tres animae facultates attente collectas habeamus, ut faciat quod promisit: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio.*

In Communione

Exercitium erit valde aptum ad SS. Vulnera Christi Domini honoranda, quae in Sacro eius Corpore in SS. Sacramento considerari debent. Offerre illa potes et praesentare tum ipsi Christo, ut recordetur amoris sui et quanti ipsi constiterit salus tua; tum aeterno Patri ad placandum et ad impetrandum, obsecrando per vulnera manuum, ut condonet opera tua prava, et in posterum manus tuas in gloriam suam dirigat; per vulnera pedum, ut condonet pravos gressus tuos; et in posterum pedes tuos dirigat in viam salutis; per vulnus lateris, ut condonet omnes malas cogitationes tuas, omnes tepiditates cordis tui, illudque in posterum amore suo ardere faciat. — Sint autem eadem SS. Vulnera tibi incitamentum ad patiendum et amandum, sint tibi refugium in omni necessitate, cogitanti a Christo ex ipso coelo tibi dici illud: *Veni columba mea ad foramina petrae, ad cavernam maceriae.* Ingredere vulnera corporis mei. Si milvi inferni te insequentes vexent, ad haec vulnera confuge! Si mundi vanitates carnisque pravae propensiones, ad haec vulnera confuge! Si te videris turbari cogitationibus, curis et negotiis, subtrahe te illi, haec vulnera ingredere et quietem invenies. Si cupis me cognoscere et toto corde diligere, ad haec

vulnera accede, ingredere et deprehendes quanti te fecerim; et ex corde meo talis amoris flammas experieris, ut totum cor tuum inflamment. Respice vulnera manuum mearum et corrobora tuas, ut pugnare valeas pro gloria mea sicut ego pugnavi pro salute tua; aspice cavernam lateris mei et aperi mihi tuum, donans mihi totum cor tuum; aspice vulnera pedum meorum, gressusque tuos ad meum obsequium dirige, imitatus meos gressus cum perseverantia.

Sunt haec sancta vulnera instar quinque *fontium Salvatoris,* ex quibus manant aquae uberes gratiarum et consolationum spiritualium ».

Vid. de Ponte 5. part. Med. 11. p. 2.

Sicut cum Esther invenit gratiam coram Assuero, tota plebs Iudaica per illam gratiam invenit; ita per B. Virginem quae invenit gratiam ante DEUM, nos invenimus gratiam apud DEUM.

Revelatio de cultu Sacrosancti Cordis Iesu facta V. M. Margaritae Alacoque

Dominus ipse « Nihil, inquit, praestare potes, quod mihi futurum sit acceptius, quam si illud perficias, quod te saepius antea monui ». Tum cor suum sacrosanctum detegens « vides, inquit, Cor meum, Cor illud tanto hominum amore succensum, ut nihil praetermiserit, viribus exhaustis penitus atque consumptis, quo amorem hunc immensum certissimis signis testatum eis relinqueret. Eorum tamen pars maxima usque adeo se mihi gratos amicosque non exhibent, ut me etiam iniuriis contumeliisque in hoc amoris mysterio assiduo lacessant. Quod eo etiam acerbius accidit, quod a personis mihi dicatis talia quoque pati cogor. Itaque a te requiro, ut feria sexta, quae post octavam festi Corporis mei proxima sequitur, Cordi meo colendo peculiariter sit dicata, qua die ad sacram mensam accedendo, iniuriae cordi meo in altaris mysterio inflictae, eo maxime tempore, quo palam fidelium venerationi expositus sum, violati honoris reparatione sarciantur. Et quidem spondeo eos omnes qui hoc honore cor meum afficient, ipsius divini cordis influxu coelestium gratiarum copia fore cumulandos ».

Excellentia Cordis Iesu deducitur

1° Ex proprietatibus cordis, quod est nobilissima pars corporis; ergo, cum nihil in rebus corporeis nobilius sit corpore Christi, quanta demum sit oportet excellentia Cordis Christi! — Cor est principium vitae naturalis et receptaculum sanguinis.

2° Ex coniunctione cum anima, cuius affectionum instrumentum est.

3° Ex arctissima unione cum persona Verbi.

4° Ex functione excellentissima ad quam factum est, scil. ut arderet amore Divino; unde illud maxime Patri aeterno complacitum esse debet et ineffabiles divitias continere.

5° Ex sanctitate ipsi propria; est enim sanctum sanctitate Verbi. Quo anima sanctior eo sanctius est corpus, et inter omnes corporis partes cor maxime sanctitatem animae participat.

6° Ex virtutibus quarum principium est ac sedes.

7° Quo res creata plus ad gloriam DEI conducit, eo DEO carior et hominum cultu dignior est.

Relate ad homines

Cor IESU est sane amabilissimum, ad cuius aspectum in memoriam reducuntur amor IESU immensus erga nos, beneficia numero et magnitudine infinita, labores etiam ac dolores, quos nostri causa toleravit.

Ipsum Cor IESU solum plura et acerbiora nostri causa pertulit, quam reliquae omnes divinissimi corporis partes simul sumptae.

Est denique tutissimum animarum purarum asylum: *Veni columba mea in foraminibus petrae* (vulneribus Christi manuum pedumque), *in caverna maceriae* (in latere lancea aperto).

Intentio pura
Confidentia in Deum, Resignatio

Caveas summopere oportet, ne umquam aliquid facias, quantumvis bonum id sit, ex intentione mala aut minus ordinata; nam sic non mereris sed demereris, quia non DEO sed diabolo servis.

Magis advertas oportet ad intentionem propter quam operaris, quam ad opus ipsum. Nam etiam DEUS magis spectat animum quo aliquid fit, quam opus ipsum. DEUS spiritus est, et qui ipsum adorant debent ipsum adorare in spiritu et veritate.

Cave ab omni respectu humano in operibus tuis. Si quis coram Rege simul et coram servo laborans opere suo placere intenderet servo non Regi, nonne is vere stultissimus esset? Atqui tu idem facis, si quid ex humano respectu facis. — Quid si ille, ut servo placeret, facere non dubitaret talia, quae Regi summopere displicere sciret.

Facere bonum ut placeas hominibus est proximus gradus ad faciendum malum ob eamdem caussam. Quia, si tanti hominem aestimas, ut ob eius favorem bonum facias, facilius adhuc malum facies in gratiam illius, cum natura in id per se sit prona.

Non sufficiat tibi non agere ob malam intentionem, sed etiam studeas bonam saepius renovare, quin quantum fieri potest ante quemvis actum, et in ipso actu saepius eam repetere. Hoc DEO valde placet et in eo constitit magna sanctitas S[i]. Aloysii aliorumque nostrae Societatis, qui praesertim internis actibus fuerunt intenti.

Cura sedulo ut ea quae soles facere non facias ex mera consuetudine, sed stude communissima quaeque et indifferentia cum novo semper fervore absolvere, ut DEO gratum te exhibeas ipsique placere possis.

Intentio tua sit *ad maiorem DEI gloriam, propter Te Domine, ut Tibi placeam, ex amore Tuo, propter nomen sanctum Tuum, ut Divinae Maiestati debitum obsequium praestem et illi me humiliter subiectum exhibeam.* Si quae particularia habes vota, *illa ita fac,* ut tamen in sanctissimo DEI beneplacito conquiescas, et nullam aliam specialem intentionem concipe, quin libentissime illam cum DEI voluntate velis permutare. Eius voluntas et gloria maxime tibi sit cordi.

Assuesce etiam in sanctissimis desideriis semper addere: *si Tibi id placet Domine.*

Voluntas DEI cum sit regula et norma cuiuscumque boni in omnibus est spectanda, tam in activo quam in passivo illi

te conformare debes. Pati et facere debes *quae, quando* et *quomodo* DEUS vult.

In exhibendis officiis proximo servis DEO: DEO ergo soli in iis placere stude, non hominibus.

Si quando tentaris pusillanimitate ex incertitudine salutis tuae, tali cogitatione te ad fervorem excita: « Si scirem me esse modo in statu gratiae et perseveraturum, quid facerem? ».

Si quid tibi est timendum, tu solus es tibi timendus. A parte DEI, qui infinite bonus est et omnipotens, firmiter sperare debes, fore ut ipse media ad salutem tuam tibi procuret, quae pro sua sapientia maxime idonea noverit. Haec autem nec mundus nec totus infernus irrita reddere potest, sed tu solus potes.

Omnes creaturae DEO obediunt: quantam haec fiduciam inspirant! quam securum hominem reddunt in omnibus vitae casibus!

Sic est laborandum, ac si per opera tua perfectionem assequi posses; sic item in DEUM omnino confidendum, ac si nihil laborares.

Proposita perfectio non debet te pusillanimem reddere, sed animare. Quid enim diceres de homine, qui, eo quod se divitem fieri posse diffideret, omnino laborare nollet et ideo inopia et fame consumeretur?

IESUS in ultimis doloribus a Patre derelictum se testatur, et tu, qui nil pati potes quod non merueris, in ariditatibus fidelitatem DEO denegabis? Cave ne de cruce descendere praesumas. DEO te totum trade. « *Miserator et misericors Dominus; longaminis et multum misericors. Non in perpetuum irascetur neque in aeternum comminabitur* ».

Bonitas DEI infinita et omnipotentia debet sane maximam inspirare confidentiam. Quid enim? Etiamsi id, quod a DEO desideras, tibi non sine miraculo dare posset; an ergo difficile est DEO miraculum? non sane. Pete quodcumque vis; si petis et si id quod petis est tibi salutare, dabit utique DEUS. Non ergo desperes de perfectione assequenda, quamvis vivas in te passiones senseris.

Nemo sane est, etiamsi alias iniquissimus, qui non iudicet aequum, illum qui ab alio omnia acceperit et ab eo totus depen-

deat, pro eo semper laborare paratum esse. Quam aequum ergo est, ut homo qui totum se DEO debet, DEO plene et sincere serviat in omnibus; et quaenam est dependentia hominis a proximo suo, respectu eius, qua omnis homo a DEO dependet!

Praeter alia, quae in respectu humano sunt maxime detestabilia et insana, possunt etiam considerari merito tria, quae continet: erga eum qui respectu humano ducitur, erga proximum cuius respectu ducitur, et erga DEUM. — 1° Qui respectu humano ducitur, erga se valde crudelis est, seque plane odit. Si enim bonum facit propter homines, privat se mercede et sibi poenam a DEO attrahit, si vero malum facit, ut hominibus placeat, adhuc longe peius se habet. 2° Erga eum cuius respectu aliquis aliquid facit iniuriosus esse saepe convincitur; necesse mano ducitur, erga se valde crudelis est seque plane odit. Si enim bonum facit, putans se ideo ab eo laudatum iri, iudicat illum gloriam *de bono, quae soli DEO debetur, daturum homini, ideoque imperfectionis magnae illum insimulat.* Si vero facit malum, ut placeat alteri, plane impium eum iudicet necesse est. 3° Erga DEUM is qui respectu humano ducitur, committit gravem iniustitiam et ingratitudinem, et si bonum facit propter hominem, DEI praesentis Maiestatem et in remunerando bonitatem, largitatem et iustitiam impudenter et stulte contemnit et vilipendit, praeponendo vilis creaturae aestimationem DEI infinite excellentis iudicio. Si vero malum facit ob respectum humanum, non tantum contemnit et vilipendit, sed etiam iniuriosissima contumelia irritat.

In perfectione assequenda se DEO relinquere hominem oportet, ita ut non alia via velit eo pervenire quam qua DEUS vult. Via crucis est proxima via ad perfectionem, nam reddit hominem similiorem Christo et hinc aeterno Patri acceptabiliorem. Potes ergo licite et merito cruces desiderare, sed cave ne alias cruces desideres, et non eas quas DEUS vult ut feras. Si ille vult ut cruces tuae sint in anima desolationes, in corpore dolores et infirmitates, tu ne reiectis hisce desideres contumelias pati. Si DEUS mavult ut aliquas in corpore incommoditates circumferas, quae tibi videntur molestiores quam alii dolores et morbi continui, tu non hos desidera, sed quae DEUS immittit amplectare. Meritum crucis consistit non in eo quod habeat aliquid magnifici et speciosi, sed in eo quod sit dura et voluntati tuae repugnet. Imponet ergo DEUS tibi illas cruces quas ipse vult; omnes eo sunt utiliores et aptiora ad perfectionem media, quo magis tibi displicent. Non quas tu vis cruces desidera, sed quas DEUS vult. Etiam in hac re, sicut in morti-

ficatione gustus, non est mortificatio abstinere ab iis quae aliis magis sapiunt; sed ea non sumere, quae tuo palato arrident, licet aliis nullomodo placeant, haec est mortificatio.

Continuae imperfectiones non te pusillanimem reddant, nec peccata spem expellant, sed potius ad confidentiam in misericordia DEI animent. Nam quid mirum, si DEUS fideles suos servos amet et favore prosequatur? Sed quod etiam peccatores non reiiciat, in hoc elucet magis Eius misericordia.

Soli DEO serviendum, cui et tempus acceptum referri debet et omnia quae habes, quibus uteris et quod es, cum praecipue etiam hac conditione a DEO tibi omnia haec concedantur, ut illi servias. Et quid? numquid non satis magnus Dominus est DEUS, cui servias unice!

Si illum unice quaesieris semper gaudebis, quia huius voti semper compos fies; nam DEI voluntatem in te fieri per gratiam DEI nil potest impedire, tu solus potes.

A servis suis DEUS nil fere requirit nisi fiduciam in Ipsum in omnibus vitae molestiis; tunc ipse eas fert pro illis. Sicuti magnus dominus cum paupere servo suo iter faciens, pro illo ubique solvit in itinere, ita DEUS facit pro servis suis. Si quid grave permittit accidere, ita succurrit gratia sua, ut nil videatur requisivisse ab illis praeter bonam voluntatem et resignationem, quando praevidetur illa molestia. Hoc cum iam saepe ipse sis expertus, stude semper plenae et perfectae resignationi, innixae in fiducia in DEUM, qui non sinit tentari nos supra id quod possumus. Et sicut credideris fiet tibi.

Perfectionem consistere in DEI voluntate adimplenda, etiam ex hoc capite patet. Omnes exteriores actiones, quantumvis sanctae, non possunt perpetuo et sine intermissione exerceri; unde si perfectio consisteret in iis, perfectus non esset semper perfectus, sed haberet aliqua tempora, quibus a perfectione deberet recedere; v. gr. non potest sine intermissione oratio fieri, aut ieiunium, aut affectiones aliae corporis etc. — Sed voluntatem DEI adimplere res est, quae potest semper exerceri, et nulla re, ne ipso quidem somno, interrumpi debet.

Si humano respectu in operibus tuis duceris, o quantam tibi ipse molestiam creas, cum ad uniuscuiusque genium te accommodare et singulis placere volueris! Si DEUM quaeris,

constans semper tibi eris, nam DEUS est immutabilis. — Adde quod istud semper consequi possis, illud vix umquam.

DOMINO DEO soli servies. Primum hoc mandatum omnino transgreditur, qui non DEUM sed humanum respectum in operibus suis intuetur.

Numquam non confidendum in DEO. Si enim consideras quid DEUS iam fecerit pro te, imo faciat adhuc quotidie, quomodo in SS. Sacramento omnem suam sapientiam et omnipotentiam ex amore tui exhauriat, parum sane est, quidquid ipsum rogare possis. Qui ergo non rogatus maiora dedit per tot miracula, rogatus non dabit minora?

Habes DEUM infinite sapientem, potentem et bonum: quid requiritur amplius, ut in eo omnem fiduciam colloces?

Zelus animarum et Horror peccati

Zelus gloriae DEI et animarum est 1° dolor intrinsecus eo quod amor infinitus DEI a creaturis suis tam parum ametur, ut quae potius amant res vanas huius mundi, quam infinitam DEI maiestatem et vitam aeternam; 2° desiderium vivum salutis proximorum, curando, quam fieri potest diligentissime, iuvare illos bono opere et exemplo, satisfactione pro peccatis ipsorum, orationibus, lacrymis et adhortationibus, ut peccata deserant et DEUM suum cognoscant ac diligant.

Fundamentum zeli animarum est amor DEI et proximi, et quisquis amat DEUM et proximum sicuti debet, non potest non habere zelum animarum. Qui DEUM amat, debet desiderare ut ametur et honoretur ab aliis, debet velle, quod DEUS vult; vult autem DEUS quammaxime ut homines salvi fiant. — Qui proximum sincere amat, debet ipsi exoptare et quantum in se est procurare omne bonum et ipsum a malo quocumque defendere. Quodnam autem maius bonum quam aeterna salus? Quodnam maius malum quam inferni poena?

Ad excitandum zelum animarum, considera, quid DEUS ipse pro anima fecit ac facere paratus est; quod quasi in opprobrium DEI infernus animabus quotidie magis magisque impleatur; quod daemon exitio animarum gaudeat, idque DEO et IESU Salvatori nostro quodammodo exprobret. Quomodo ergo

fieri potest, ut qui DEUM amat et daemonem odit non desideret ardenter salutem animarum?

Si in te sentis affectus zeli animarum, vide an impleas legem dilectionis DEI et proximi. Quod si has te non observare videris, persuadeas tibi necesse est, nullum esse zelum tuum, nec nisi umbram aut falsam speciem.

Superbia etiam cum zelo animarum non potest constare, nam zelus animarum est *zelus gloriae DEI,* qui cum propriae excellentiae desiderio non potest subsistere.

Nullus tibi dies praetereat, quo non zelum gloriae DEI exerceas oratione et mortificatione. Oratio potest esse illa S[i]. Francisci Xaverii: *Aeterne rerum omnium effector* etc. Mortificatio sit aliqua peculiaris, nisi omnia opera tua dici possint vere fieri ex zelo gloriae Dei, i. e. si in illis, ut oportet, nil aliud spectes nisi maiorem DEI gloriam.

Peccatum summum esse malum a posteriori patet evidentissime ex poenis, quas DEUS pro eo constituit, qui tamen est infinite iustus et bonus et misericors.

Peccatum monstrum esse maximopere detestabile, luculenter patet ex eo quod hominem DEO infinite bono, patri amantissimo, exosum reddat. Quid enim? Si dominum benignissimum et optimum videres servum suum maximis poenis affligere, nonne inferres inde, quod is servus certe horrendum malum commiserit?

Peccatum longe maius malum est quam horrendae poenae quas IESUS in cruce sustinuit; constat enim quod hominum peccata IESUM magis afflixerint, quam reliqua omnia, et quod IESUS paratus foret eadem pati, et saepius, si eà re peccatum posset impediri. — Etiam isti dolores quos IESUS sustinuit per se non suffecissent ad vel unum peccatum delendum, sed hoc solum effecit dignitas personae, quae passa est.

Ex consideratione peccati eliciendus est zelus gloriae DEI et animarum, cum desiderio illud impediendi 1° in se, 2° in aliis. Hoc diverso modo fit, non solum praedicatione, catechizatione, etc. sed etiam oratione, mortificatione, bono exemplo, stricta observatione officiorum status sui, etc. Tuum peccatum potest esse causa peccatorum alienorum, non scandalo solum, sed etiam permittente id DEO in iustitia sua.

Per peccatum quodvis offenditur DEI Maiestas; nam offensa est actio vel omissio, quae praebet alteri causam irae et ius vindictae; id autem facit quivis contemptus aut vilipensio. Contemptus autem ostenditur transgressione legis propositae aut oppositione voluntatis, quae quidem, ut evidens est, locum habent in peccato. In hac vero offensa DEI concurrunt summa ingratitudo, contumelia atrox praesenti irrogata, adeoque contemptus intolerabilis; in peccato iustitia DEI irritatur, violatur sanctitas, sapientiae leges perturbantur, bonitas abiicitur, etc.: est malum ipsius DEI. — Est praeterea verum, summum, et unicum malum hominis.

Quis est qui peccat? Quis est in quem peccatur? Quis est modus et quid motivum peccandi?

Peccato non tantum privas DEUM gloria, Christum fructu passionis, proximum auxilio, domesticos exemplo, Ecclesiam obsequio, Societatem honore, Superiores gaudio, te ipsum merito, sed insuper contrarium efficis.

Ex poena qua DEUS animadvertit in Angelos et Adamum pro uno peccato clare patet, peccatum vel unicum maius esse malum, quam privationem cuiuscumque boni et incursionem cuiuscumque possibilis mali creaturae.

Etiamsi praesciretur certo, nullum fructum ex omnibus laboribus proventurum, adeoque omnes curas et monita omnia in improborum maiorem condemnationem cessura, non tamen ideo abstinendum. Id docuit exemplo suo Christus Dominus, cum in aliis, tum in omnibus, quae egit ad conversionem Iudae, quamvis praesciret, illum non conversum iri. — Nec enim ideo, quod non succedunt praedicatio et monitio, gloria DEI, quae unice quaerenda, non inde provenit. Nam tunc est: *ut iustificeris in sermonibus tuis et vincas, cum iudicaris.* Hinc enim iustum eius iudicium in illorum condemnationem esse, evincetur in die iudicii. (NB. Id servire potest in concione, si quando parvus fructus speratur, contra obstinatos peccatores).

Unum peccatum DEO maiorem iniuriam facit, quam innumera bona opera gloriam illi afferunt, ideoque illud maiorem disgustum, quam haec gustum.

Sicut Pater aliquis, habens plures filios, ex malignitate unius maiorem habet dolorem quam ex morigera reliquorum consuetudine consolationem, ita unus peccator plus affligit cor

paternum benignissimi DEI, quam multi iusti illi gustum adferunt. — Explicatur inde etiam gaudium illud in coelo maius super uno peccatore poenitentiam agente, quam super multis iustis.

Motiva vitandi peccati mortalis

1. Expellit ex anima DEUM, qui habitat in eo, qui est sine peccato mortali. Atqui nihil pretiosum comparari potest cum DEO, maximo animae thesauro.

2. Perditur per illud ius ad vitam aeternam et regnum coeleste, superans omnes divitias et maximas haereditates infinito quodam valore. Mirum ergo, ob minorum rerum iacturam homines ad mortem usque tristari et ad talem iacturam esse indifferentes.

3. Conspurcat animam et foedam reddit coram oculis DEI adeo, ut non sit spurcitia, nullae sordes, nullae cloacae tam abominabiles. Hoc DEUS Sanctis quandoque mire ostendit. — Si scires post commissum peccatum mortale te habiturum ob illud faciem deformem, corrosam a morbo, plenam sanie et ulceribus, oculos inversos, nasum abscissum, os hians, linguam exertam, caput capillis denudatum, aures similes asini, abstineres utique. Quidni ergo nunc? Numquid non meretur DEUS ut tam acceptus coram EO appareas, ut vis et soles coram hominibus?

4. Reddit hominem mancipium diaboli, tradit eum diabolo quasi carnifici. Peius hoc quam obsideri a diabolo corporaliter. — Si scires te post commisum peccatum statim fore energumenum, abstineres utique. Ergo.

5. Reddit hominem horribilissimum, adeo ut si homines possent talem animam videre, morerentur statim prae horrore. Daemon, cuius peccatum minus erat quam nostra sint, est tam turpis et foedus, ut S. Catharina Senensis, viso illo per ictum oculi, restituta ad sensus corporis, potius eligeret ire per viam igneam usque ad diem iudicii, quam illum iterum videre. Atqui per quodvis peccatum mortale homo fit *daemon incarnatus.* (Ita S. Cath. Sen.).

6. Per illud homo DEUM repudiat et non modo fit diaboli mancipium ex decreto DEI, sed sponte se ipse daemoni subiicit. Si scires te post peccatum fore mancipium Turcarum, quid?

7. Qui peccat mortaliter dat materiam diabolo exprobrandi DEO, quod pluris fiat ipse quam DEUS, cum tamen nihil fecerit nec passus sit pro homine, adeoque ut diabolus hac exprobatione de DEO quasi triumphet eique contumeliam inferat.

8. Sanctorum iudicio peccatum mortale peius est inferno. Si tamen scires te post peccatum statim detrudendum ad poenas inferni, illud non committeres.

9. Qui mortaliter peccat, bestiis se similem reddit et se volens infra humanae naturae dignitatem demittit. Imo fit peior bestiis: 1°. Ferae uno vitio tenentur, homo varie peccans variis vitiis tenetur. 2°. Brutum unica bestia est, qui peccat in tot transformatur bestias, quot admittit peccata. 3°. Ferae benefactoribus gratas se exhibent, quid autem DEO homo cum peccat?

10. Homo peccans mortaliter peior est diabolo.

1° Iniuria illata Regi a rustico gravior est quam a nobili, caeteris paribus. Diaboli autem natura longe praestant.

2° Ille semel, homo saepius.

3° Illi una specie tantum peccarunt.

4° Non fuit pro illis DEUS incarnatus et passus.

5° Non habuerunt illi tot media extrinseca ad se praeservandos a peccato.

6° Metum inferni, validissimum motivum ad non peccandum, non habebant illi.

7° Illi brevissimo tempore in peccato perstiterunt.

8° Illi post peccatum non habuerunt vel minimum temporis momentum ad poenitentiam.

9° Illi numquam post peccatum fuere recepti a DEO in gratiam, sicut peccatores.

Si ergo homo quivis detestatur diabolum, multo magis detestari debet is qui peccat se ipsum, tamquam diabolis peiorem.

11. Quaedam peccata complent illum numerum, quo ab aeterno praeviso DEUS damnat eos quos damnat ad poenas inferni. Merito ergo timeat peccans, ne forte istud peccatum numerum illum compleat, quo commisso damnetur.

12. Peccata sunt causa omnium calamitatum huius vitae, bellorum, pestilentiae, morborum, etc.

13. Peccata mortalia continent infinitam malitiam, quia offendunt infinitam Maiestatem.

14. Summo odio Divina Maiestas odit existentes in peccato mortali. Nam *similiter odio sunt DEO impius et impietas eius.* Sap. 16. Est autem in DEO odium peccati quodam modo infinitum:

1° Peccatum est quodammodo infinitum malum, proinde meretur infinitum odium DEI.

2° Quo maiore quis bonitate praeditus, eo magis odisse debet malitiam. Atqui DEUS infinite bonus.

3° Ob peccatum mortale privat bono infinito.

4° Ob idem punit poenis infinite duraturis.

Haec sunt signa infiniti odii DEI adversus peccatum.

15. Crucifigitur Christus a peccatore crudelius quam a Iudaeis. — Et quamvis ipse sit impassibilis, non minor inde est malitia peccatoris. Sicut homo qui inimici sui imagini contumeliam inferret, propter voluntatem malam quasi pro opere ipso argueretur.

Qui peccat est ex Diabolo (imo etiam *Diabolus*) ut S. Scriptura testatur; quod si filius diaboli, etiam haeres.

Ergo per peccatum mortale *filius DEI et haeres coeli* fit *filius diaboli et haeres inferni.* Horrenda mutatio.

De fuga peccati

Prima pars

Spectans peccantem

1. Voluptas brevis. 2. Voluptas turpis, nam bestiae reddit aequalem. 3. Voluptas fellea. 4. Spoliat gratia. 5. Servitus diaboli. 6. Conscientiae stimulus, aegritudines animi, et morbi corporis. 7. Ignominia, et bonorum operum inutilitas, ac iactura participationis bonorum operum aliorum. 8. Mentis caecitas et pertinacia ad extremum exitium ducens.

Secunda pars

Spectans Deum offensum

1. Offenditur DEUS immensus. 2. Et in oculis. 3. Et tanta cum atrocitate ut etiam perditum optimum parentem velim. 4. Largitorem bonorum omnium, quo ne peccando quidem carere possum. 5. Id vero quia tacet, quia non punit. 6. Crux Christi exinanitur. 7. Instauratur. 8. Et sic fit peccator Iuda, Pilato, Caipha, Iudaeisque peior.

Tertia pars

De peccato eiusque poenis

1. Punitur in Angelo. 2. In Adamo et posteris. 3. In inferno. 4. Coeli iactura. 5. Neutrius aeternitatis supplicio satisfit, nec omnium Angelorum hominumque votis et poenis. 6. Unus DEUS in cruce huic malo par. 7. Punitur etiam in hac

vita. 8. Vincuntur peccato omnia bona. DEUS illud odit, et plus peccatum eum exulcerat, quam placeant Sanctorum omnium praeclare facta et perpessa.

Amor proximi

«*Hoc est mandatum meum, ut diligatis invicem; in hoc* «*cognoscam quia discipuli mei estis*», ait IESUS, qui te in Societatem suam ad sui imitationem vocavit.

Quaecumque facis proximo vel pro proximo, facis IESU et pro IESU. Assuesce ergo in proximo tuo IESUM agnoscere; tunc sane numquam caritati debitor deeris.

Quasvis occasiones serviendi proximo arripe et quo molestiores illae sunt eo alacrius.

Cave te ab aliquo caritatis opere excuses ob defectum temporis, praesertim si non sit res summe necessaria quae differri nequeat. Nam quomodo melius tempus impendere potes, quam incumbendo exercitio caritatis?

Si quid non bene factum videris ab aliquo, cave ne eum ideo iudices male fecisse, sed intentionem eius bonam esse putes, neve adscribe inadvertentiae; saltem cave ne ideo illum iudices.

Iudicando proximum de defectu aliquo etiam manifesto, saepe tu magis peccas quam ille defectu illo peccavit.

Iniquum de proximo iudicium demonstrat perversitatem cordis tui. Sicut aegroto, cuius gustus est corruptus, omnia videntur amara, sic etiam tu male de altero iudicans, quia ipse malus es; si bonus esses omnia in bonum acciperes.

Ut omnes habeant cor unum et animam unam optimum est medium perfecta obedientia. Tunc enim omnes convenirent cum corde, voluntate et iudicio Superioris, qui Christi Domini locum occupat.

Si quando aliquem amare tibi accidit difficile, recole quo amore quosnam DEUS in cruce prosecutus est.

Qui te molestia afficiunt maxime cooperantur ad augendam tuam gloriam; itaque eos maxime tibi amicos reputa.

IESUS in cruce magis sollicitus est de aliis quam de se. Hoc te docet, aliorum maiorem quam tui rationem habere.

In colloquiis cave alteri acriter contradicas. Si alius tibi contradicit, tace aut responde: *fieri potest.* Si alii inter se disputant, quid ad te?

Amor proximi exigit etiam, ut animabus in purgatorio quantum potes succurras, pro quibus preces fundere optimum est et saluberrimum, efficacissimum vero offerre pro iis aliquas mortificationes.

In colloquiis cave ne dicas aliquid de altero absente, quod eo praesente nolles dicere.

Cura faciendi communia perfecte

In primis hoc alte menti imprimas oportet, perfectionem tuam in eo sitam esse, ut quae facienda sunt tibi facias bene et cum bona intentione.

Ut bene diem impendas, haec observa:

1° Cuivis operi intentionem puram praefige.

2° Hanc aliquoties in ipsa actione renova.

3° Non in aliam rem animum intendas, sed agas quod agis.

4° Portas sensuum occludas rebus alienis, quae ad te non spectant.

5° Mentem teneas in quavis re collectam et numquam totam effundas.

6° In iis, quae magis dissipare solent, maiori recollectioni studeas exercitio praesentiae DEI, v. gr. in colloquiis, ad mensam etc.

7° Tempus quod intercedit ab una actione ad alteram impende iaculatoriis vel alicui piae cogitationi.

8° Quando mentis recollectionem turbari advertis, ab opere quod agis desiste tantisper, donec mentem recollegeris.

Nulli rei ita te trade, ut mentis recollectio turbetur; ideo ita rebus agendis insistas oportet, ut vere paratum te habeas ad alia si iniungerentur.

Cave a vanis et inutilibus, tamquam a malis.

Omnia momenta serio impende, nam stricta erit temporis reddenda ratio; et sane ignorantia etc. non te excusabit, si postmodum ineptus inveniaris ad ea, quae discere potueras.

Vera solitudo non consistit in solitudine corporis sed in solitudine mentis; hanc dat adsidua coniunctio cum DEO. In omnibus autem actionibus tuis sis ita solitudinis observans oportet, ut nil spectes nisi quod agis et pro quo.

Distracte orans spectaculum praebes gratum daemoni, sed Angelis perquam triste.

Opera tua ita facere stude, ut post quodvis cum IESU dicere possis: *consummatum est,* i. e. feci quod DEUS hoc in opere a me fieri volebat. Et sic diem transige, ut cum IESU eundem ita finias.

In examine generali vide quosnam defectus in communium operum executione commiseris et praecipuos annota, ut te emendes.

Cura ut actiones tuae omnes fiant 1°. *in DEUM,* i. e. in gratia, 2°. *pro DEO,* ad gloriam eius, 3°. *coram DEO,* in eius praesentia, 4°. *cum DEO,* ipsi cooperando et Christum imitando.

Varia

Oratio Dominica cum debita reverentia recitata magnam sane vim habet apud DEUM, sed certe etiam irreverenter recitata Eum irritat.

Orationem Dominicam saepe in visitatione SS^mi recita, applicando eam illi rei, quam a DEO petere vis, aut praesenti animae tuae statui.

In petitione *dimitte nobis* etc. exercetur simul et humilitas et spes et charitas fraterna.

Amen in fine precum semper cum magna fiducia et viva fide est addendum.

Quid sanguis Christi effusus clamat? Clamat ad Patrem pro venia tibi impetranda; clamat ad te, increpans te et exprobrans tibi peccata tua.

Compara flagellationem quam aliquando facis, cum ea quam innocentissimus IESUS pro te subiit. Confer instrumenta inter se; confer manum tuam cum militum crudelitate; confer tempus adeo breve, cum eo per quod Christum continenter percusserunt. Et erubesce de tua tepiditate.

IESUS Medicus animarum. Si ii qui corpore aegrotant medicos corporales magni faciunt, quanto pluris aestimandus est tibi DEUS, qui aegritudines animae tuae multas sane ac graves sanat. Sed in morbo sanando non solum medici opus est industria; aegrotus oportet audiat attente eius consilia, a vetitis abstineat, remedia quamtumvis acerba fideliter sumat, ipsum etiam ferrum et ignem non recuset. Sic etiam tu. Laboras superbiâ. Confer te ad medicum IESUM et certam concipe spem sanitatis; sed non omitte media strenue adhibere quae praescribit et consilia quae suggerit exsequi. Audi illum in omnibus. Abstine ab omnibus, quae hunc morbum fovere possunt, i. e. fuge quae aestimationem tibi et honorem procurare possunt, nisi in quantum tale quid necessitas exigeret. Adsidue utere medicamine praescripto, consideratione scil. tuae miseriae ac malitiae, dividendo in examinibus et in meditationibus etc. quod in te est a te, ab eo quod DEI misericordia in te ponere dignatus fuit. Etiam non recusa pocula acerbissima, nec ferrum et ignem, ut sunt humiliationes, contemptus, calumniae, opprobria etc. admittere recuses. — Sed confide potissimum in eo, quod iste Medicus miram habeat vim, ad animos aegroto addendos in omnibus etiam amarissimis remediis. Ora illum ut dignetur ipse tibi pocula illa porrigere teque ad ebibenda illa animare. Et quis aegrotus non animaretur, si videret medicum ipsum prius absorbere quidquid amaroris praescripta medicamina continent?

In illa verba Chananeae ad IESUM « *Verum est Domine, sed etiam catelli manducant de micis* » etc., recte potes te catellum, canem nominare coram IESU. Quid? differentia quae est inter canem et Dominum suum, nonne est infinite minor ea quae intercedit inter te et IESUM? Est enim illa inter duas creaturas, haec inter creaturam et creatorem. Felicem ergo te reputa si IESU canis dici et esse merearis. Sed quid est canis proprium? 1° Fidelis est, iniuriam factam Domino suo vindicat, aut manifestat insidias, ut eas ipse Dominus destruat seque

defendat; id ergo et tu IESU debes. 2° Sequitur dominum suum fideliter. Sic etiam tu sequi IESUM debes, quocumque ierit. O quoties hoc non praestitisti, quoties ab eo aberrasti! Gratias illi summas, quod te sicut catellum perditum ad se revocare dignatus est, et ora ut si quando vel minimum ab eo deflectas, non te sinat aberrare omnino, sed etiam, sicut dominus catellum (quem non vult perditum) castiget et cautiorem reddat. 3° Canis contentus est etiam abiectissimis quibusque frustulis iisque mire delectatur, nec sibi plura aut meliora deberi putat. Sic tu in consolationibus et desolationibus, in modo quo a fratribus et aliis hominibus haberis, canem te praebeas necesse est; nihil tibi deberi existimes, omnia ut gratis data cum magna alacritate accipe.

Ubi duo vel tres congregati sunt in nomine meo, ibi ego sum in medio. Quanti aestimandum IESUM habere inter se, amicum tam bonum ac fidelem, tam potentem, tam iucundum, et quem amicum habere tanti refert! — Si inter duos vel tres, quanto magis IESUS erit in Societate nostra in medio, in qua tot congregati sunt in nomine eius! Vocatio ergo summae aestimanda et perseverantiae gratia sine fine flagitanda. — Non mirum, quod mundus Societatem persequatur, cum IESUM, qui in illius medio est, semper odio habuerit. Non adeo homines Societatis, quam Eum quem illi comitantur et qui in ipsorum medio est, odit. Sed congregatio aliqua congregata *in nomine alicuius,* quid quaerere intentione, verbo, opere debet, quam quod intendit ille, in cuius nomine congregata est? Et sane quicumque ex hac congregatione intenderet, loqueretur, ageret contra intentionem Eius, graviter illum offenderet et, si vanis et inutilibus se detineret, monstraret impudentem vilipensionem negotii illius, ob quod congregatio convenit. Vide ergo, quomodo a tua cogitatione, a tuis verbis et operibus abesse debeat non tantum id quod fini huius Societatis recta repugnat, ut sunt peccata et defectus, sed etiam omne id, quod *maiorem DEI gloriam,* unicum congregationis finem et intentionem IESU, in cuius nomine congregata est, non promovet.

Ut sitis filii Patris vestri etc. Sicut filius bonus est gloria patris, sic malus filius est ignominia patris. Iam vero quid peccata tua faciunt? Si occulta, diabolo tantum nota, contumeliam inferri DEO a diabolo causant. Si manifesta, tunc DEUM contumelia afficis et per diabolum et per malos homines, inimicos DEI. Quoties itaque dicis *Pater noster* cogitare merito potes, quod daemon tunc DEO irrideat et ipsi exprobret quod te talem habeat filium. — Potesne satis humiliari et despici tu qui

iam toties immensae Maiestatis DEUM tali modo contumelia horrenda, non per te solum sed etiam per daemones, affeceris? Sed quantus inde horror a peccato oriri debet? Quantumque desiderium multa patiendi et agendi pro DEO, ut aliquo modo repares, quamvis numquam poteris restaurare, cum per unum veniale peccatum maior DEO displicentia inferatur, quam honor per omnia opera bona?

Filiatio MARIANA,

cuius formula proposita est ad fovendam perpetuo pietatem erga Sanctissimam DEI genitricem in provincia Flandro - Belgica Societatis IESU

et a R. A. P. N. Generali Francisco Retz approbata et confirmata, Romae 27 Martii 1745.

Formula se consecrandi in filium magnae DEI Matri MARIAE

Sancta MARIA, Regina coelorum, Mater Domini nostri IESU Christi et mundi Domina, Ego Ioannes Roothaan, licet favore tuo undecumque indignissimus, ineffabili tamen illa pietate et misericordia tua confisus, qua omnes hactenus ad te confugientes benigne recipere consuevisti, me ad sanctissimos pedes tuos humillime abiicio, et a Materna bonitate tua hanc unice gratiam ardentissimis votis exposco, ut me licet ob innumerabilia peccata, offensiones et negligentias meas, peculiari hac gratia indignissimum, filium tuum assumere et Materno tuo auxilio perpetuo protegere digneris. Ego vero, ut sancto hoc Filii tui nomine semper gaudere possim neque umquam hoc tam amabili titulo indignum me efficiam, coram te Matre mea amantissima, Angelo quoque Tutelari meo totaque Curia coelesti, firmissime statuo et propono me nihil umquam cogitatione, verbo, aut opere, toto vitae meae tempore commissurum, quod genuinum tantae Matris filium vel in minimo dedecere possit. Imo filiali in te amore raptus, propono me in scholis, catechismis et alia occasione data, semper curaturum, o Mater amabilis, ut ab omnibus, maxime vero a pueris, probe cognoscaris, ameris, colaris; dein etiam ut ego ipse exacte observem regulas propositaque huic filiationi propria et a Reverendo admodum Patre nostro approbata.

Haec sincera animi mei sensa propositaque singula, a me in conspectu tuo, o Virgo beatissima, Angeli Tutelaris mei, totiusque Curiae coelestis et concepta et facta, tibi Matri meae amantissimae ex toto corde offero, enixeque rogo, ut tu ea, Filii tui et omnium Sanctorum meritis unita, aeterno Patri praesentare digneris, mihique simul illa omnia perfectissime observandi gratiam uberem obtineas. Amen.

Proposita secreto ac submissa voce facienda et offerenda DEIparae

1. Cum Constitutiones nostrae legesque a Sancto Patre nostro, DEO inspirante ac illuminante, te vero o Mater amabilis adiuvante et non raro apparente ac affirmante, conscriptae sint, id intendam primum, ut DEO, regulis observandis, inserviam placeamque et ad IESU Christi formam componar; dein ut tibi tamquam Matri meae, filiali observantia Regularum ac Constitutionum, quae patrocinio tuo adiutorioque conceptae sunt, obsequiens gratusque exhibear.

2. Intentionem puram soli DEO placendi in omnibus cogitationibus, verbis et operibus meis habere studebo; nihil cogitabo, nihil loquar, nihil agam, nisi quod iudicavero esse ex voluntate DEI et cedere ad maiorem eius gloriam, seu ad salutem et perfectionem propriam et animarum.

3. Regulas meas sanctas semper aestimabo et amabo. Moriar potius quam vel minimam deliberate transgrediar; in aliis etiam amorem et aestimationem Regularum tam verbo quam exemplo, omni data occasione, excitare non intermittam.

4. Mane hora statuta semper accurate surgam, ante meditationem venerabile Sacramentum visitare ibique per sinceram omnium cogitationum, verborum et operum, nec non trium votorum oblationem me DEO consecrare non omittam.

5. Quotidianas meditationes et examina semper impense, ferventer, integre et reverenter peragam.

6. Numquam omittam lectionem spiritualem ex Regula praescriptam.

7. Confessionem ac Communionem quamlibet ita peragam, ac si ultima foret.

8. Paupertatem amabo ut Matrem, ordinariis semper contentus ero; ex iis etiam, quantum in me erit, vilissima desiderabo et eligam; nullam etiam minimam rem sine facultate dabo aut accipiam.

9. Angelicam puritatem mentis et corporis omni diligen-

tia custodiam, nihil cogitatione, nihil verbo, nihil aspectu, nihil tactu aut quacumque alia ratione vel in minimo huic virtuti contrarium committam.

10. Regulas silentii et modestiae semper observabo accuratissime.

11. Mortificationes consuetas, quamdiu vires et obedientia permittant, nulla hebdomada intermittam. Temperantiae religiosae in cibo et potu semper studebo omnemque in hoc genere excessum constanter cavebo.

12. Superioribus meis in omnibus perfectissime obediam. Indifferens sum et per DEI gratiam semper ero ad omnem locum, ad omne officium; nihil umquam, quantumcumque molestum aut incommodum, recusabo.

13. Officium quodlibet ab obedientia iniunctum, qualecumque sit, ita diligenter et accurate peragam, ac si in illo tota salus mea et totius mundi penderet.

14. Semper candidus ero superioribus meis et Patribus spiritualibus, totam illis conscientiam aperiendo.

15. Sum et semper per DEI gratiam contentus ero, ut omnes mei defectus ad Superiorem deferantur a quocumque, qui eos extra Confessionem intellexerit. Numquam displicentiam vel minimam admittam contra delatores; numquam vel minimum verbum contra eos loquar, sed potius eos defendam et illis benefacere conabor.

16. Otium quam potero maxime cavebo, minimam etiam particulam temporis bene impendere satagam.

17. Omnia ea, quae in novitiatu aut agenda aut omittenda didici, extra novitiatum usque ad ultimum vitae halitum observare conabor.

Clausula propositorum secreto factorum

Haec sincera animi mei sensa propositaque singula a me in conspectu tuo, o Virgo beatissima, Angeli tutelaris mei totiusque Curiae coelestis et concepta et secreto facta, tibi Matri meae amantissimae ex toto corde etiam offero, enixeque rogo ut tu ea, Filii tui et omnium Sanctorum meritis unita, aeterno Patri praesentare digneris mihique simul illa omnia perfectissime observandi gratiam uberem obtineas. Amen.

Regulae[1]

Reg. 1. Saepe perpendant propositum, in formula conceptum, data occasione adnitendi, ut Deipara ab omnibus probe cognoscatur ametur colatur.

Reg. 2. Intelligant in proposito memorato involvi alia proposita: 1. Propositum avide captandi, praesertim recreationis et colloquii tempore, occasionem sermocinandi de DEIparae dignitate, excellentia, suavitate, deliciis, virtutibus, patrocinio potenti, materno amore in genuinos suos filios et amantes; tum etiam de fiducia et affectu, quo in talem et tantam Matrem ferri par est. 2. Propositum toto magisterii cursu frequenter, quamquam et prudenter, thematibus, exhortationibus, catechismis inserendi aliquid MARIAnum. 3. Propositum urgendi et curandi, discipulorum themata dedicari DEIparae sub aliquo titulo pio et selecto, e. gr. sicuti a discipulis thema referri solet et de more debet *ad maiorem DEI gloriam,* ita etiam scribatur thema compositum esse *ad honorem et amorem DEIparae, Matris meae amabilissimae*; variatis etiam subinde titulis, ut puerorum ac iuvenum animis aestimatio et amor MARIAE instilletur copiosius et altius infundatur. 4. Propositum tempore sacerdotii poenitentes, maxime vero agonizantes, excitandi ad magnam in patrocinio et amore MARIAno fiduciam.

Reg. 3. Omni die Rosarium et Officium de Immaculata beatissimae Virginis MARIAE conceptione persolvant tamquam pensum filiale, saltem donec maioribus ordinibus fuerint initiati.

Reg. 4. Assuescant omnes actus et opera offerre IESU Christo per MARIAM et Sanctissimae Trinitati per IESUM.

Reg. 5. Etiam assuescant se suaque per Angelum suum tutelarem offerre DEIparae.

Reg. 6. Sciant filii MARIAni esse frequenter prae oculis habere IESUM et MARIAM non tantum ut scopum cordis et amoris, sed etiam morum et imitationis.

Reg. 7. Filius MARIAnus in deliciis habeat delicias IESU et MARIAE atque adeo S. Iosephum, S. Ioannem, aliosve peculiariter MARIophilos, quales S. P. N. Ignatius, S. Franciscus Xaverius, aliique e nostris Sancti, imo tot quot sunt genuini socii IESU.

Reg. 8. Libro MARIAno inscripti omnia opera diei Sab-

(1) Hae regulae, quae « proposita secreto ac submissa voce, i. e. singulis privatim Deo offerenda » sequentur, ad omnes utique sodales pertinebant.

bati offerant pro omnibus MARIAE filiis, huic filiationi inscriptis, ubicumque terrarum degentibus, tam vivis quam defunctis; vivis rogando perseverantiam et observationem propositorum, defunctis requiem sempiternam.

Reg. 9. Post singulas sacras Communiones DEO per manus beatissimae Matris haec proposita offerant.

Reg. 10. Singulis festis beatissimae Matris post sacram communionem et gratiarum actionem, ante Venerabile Sacramentum vel ante aliquam imaginem beatissimae Matris supra dicta proposita DEO et sanctissimae MARIAE se consecrent; deinde privatim attente considerent, an et quomodo illa proposita servaverint hactenus.

Ad maiorem DEI gloriam et DEIparae, nostrae utique Matris amabilissimae, honorem.

Quaedam, in quibus elucet suavis Divinae Providentiae dispositio

Anno 1806. Accidit, ut incipiente iam hieme R. P. Rector mihi diceret, curarem calefieri cubiculum meum. Monui ego hac de re Fratrem, ad quem hoc spectabat, sed, DEO ita permittente, res ad exsecutionem non deducebatur. Dubius quid agere deberem, an rem DEO committere an iterum monere Fratrem, interrogavi hac de re R. P. Rectorem, non tamen dicendo ipsam praesentem occasionem, sed tantum in genere, quid foret faciendum si quid tale aliquando acciderit. Respondit R. P. Rector, non esse necesse ulterius de re tali curare, si iam semel factum est quod Superior commendarat adeaque in tali casu rem Providentiae DEI esse committendam. — Res erat hîc ardua vere, sed ecce cum Divinae Providentiae rem commisissem, cum proposito tenendi R. P. Rectoris consilium, adfuit illa in tempore et eodem vespere cum R. P. Rector forte, nescio quo casu, in meum cubiculum venisset, sensit illud omnino frigidum iussitque ipse illud calefieri, *suavem Providentiam DEI* mecum clare advertens. Plura talia acciderunt non semel in variis circumstantiis. *DEUS meus es tu*: *in manibus tuis sortes meae.*

Quidquid hucusque iussus sum, in eo explendo DEI gratiam semper fui expertus. Et quidquid fuerit et supra vires meas videretur, potui perficere; etiam in tempore licet brevi, a Superiore constituto, ut pro facienda concione etc. Semper

praestituto termino absolvi, etsi quandoque DEUS permisit, ut primum nihil possem efficere et fere tribus tantum ultimis diebus, qui e praefinito tempore restarent, absolverim.

Etiam hoc non exiguum existimo Divinae Bonitatis argumentum, quod DEUS post aliquam rem factam, v. g. concionem, orationem habitam, etc, communiter nescio quam animi quasi afflictionem, depressionem, tristitiam, nescio unde, in me permiserit, qua humiliabar et ab omni vana exsultatione praeservabar.

Neque hoc parvum beneficium, quod adverto mihi a DEO ab ipsis primis vitae meae temporibus, ex quo rationis usum habui, datum, ut scil. semper haberem aliquas sollicitudines, in pueritia circa pensa v. g. scholastica, in ulteriori aetate circa varias occupationes, ad quae omnia bene explenda semper me omnino a DEO dependere sentiebam, quod me ut plurimum faciebat in quodam timore vivere, ne DEUM offenderem et sic Ille me puniret, destituendo me suo auxilio in illis rebus. — Et certe ex quo veni in Religione, nihil plane, v. g. concionem, orationem, etc. potui facere, quin primum magnam experirer inopiam et impotentiam in me, ut sentirem me nihil plane posse. — Et tamen ego ingratus non tuli ex tam praeclaris mediis verae humilitatis fructum!

In otio, in quo aegritudinis tempore lecto affixus homo versatur, tempus cum magno emolumento potest impendi, si offertur illud aeterno Patri in unione status illius Christi, in quo fuit in utero B. V. MARIAE, vel in primis annis vitae suae, quibus exterius nil agit. Interius autem Christus per illud tempus occupabatur adsiduis affectibus in DEUM. Hoc ergo imitari satage, et sic etiam *aegrotare iuge bonum dat orare.*

DEUS excitans ad aliquod opus certe etiam dat, aut saltem oranti homini dare paratus est, uberrimum ad illud exsequendum auxilium; novit enim melius quam nos, nihil nos posse sine Eius gratia. Proinde foret indignum Eius bonitate et iustitia, exigere aliquid et excitare ad aliquid, ad quod nollet gratiam suam largiri. Gaudendum ergo, si quando DEUS etiam difficillimum aliquid inspirat, quia est signum, ipsum valde talem honorem amare paratumque esse ad multas ipsi gratias concedendas. — *Si scires donum DEI et quis est qui petit a te bibere!*

Anno 1806. d. 11 Dec.

Per longum tempus quavis nocte fere semel aut aliquando etiam bis necessitas corporalis me e lecto surgere compellebat, quod initio quidem grave sed consuetudine tandem leve erat adeo, ut iam nullam in eo molestiam experirer. Accidit autem ut per aliquot dies liber fuerim ab ista surgendi necessitate. Verum hac nocte hora secunda denuo expulit me e lecto. Hinc corpus quasi obmurmurare et conqueri de hac molestia, scil. iam obsoleta erat prae defectu exercitationis ista consuetudo. — Hic DEUS dedit mihi hunc sensum, quam sit necesse ut virtus semper exerceatur, nec umquam aliquis a mortificationis vel alterius cuiusdam virtutis exercitio desistat, quod se iam plenum eius habitum consecutum arbitretur. Nam quaevis ingruens occasio doceret illum, saepe cum ipsius detrimento, virtutes indigere omnino exercitio asiduo, alioqui etiamsi in consuetudinem quasi iam abierint, deficere magis magisque languidas fieri ac tandem plane perire.

d. 13 Dec.

Conditio nostra in hoc mundo, utpote in exsilio constitutorum est utique gravis; multum tamen levat, quod non sit absolute exsilium ad poenam, sed potius peregrinatio ad lucrum. Quemadmodum autem filius mercatoris missus a Patre in regionem longinquam ad negotiandum, licet arduum ipsi accidat Patris consortio carere, amore tamen eius et lucri spe se animat ad aequius ferendum quidquid durum est in illa peregrinatione; ita etiam amor Patris coelestis, qui nos misit ad negotiandum, et spes lucri id efficit, ut saltem minus grave exsilium nostrum nos affligat. — Praeterea Pater talis mercator non destituit filium suum subsidio suo, opibus suis et literis in necessitatibus iuvans; ita nos peregrinantes in terra non destituit coelestis Pater, sed plurimum iuvat internis illustrationibus, veluti totidem literis ad significationem sui amoris, et Sacramentorum aliorumque spiritualium praesidiorum thesauris. — Ista consideranti minus certe grave erit onus huius vitae.

d. 16 Dec.

Considerando quantopere DEUS meam perfectionem velit, quanta media ad id offerat, imo etiam re ipsa largiatur, et simul perpendendo quantum in vitiis et defectibus cassus virtute remaneam, magna oborta est humiliatio et confusio et quasi stupor de mea malitia, quae vel exinde summa esse apparet, quod tot mediis non vincatur. Vere homo ipse sibi est maximus inimicus, nam quis nisi ipse solus est in causa, quod in miseriis suis haereat sine profectu in via perfectionis? Cum

DEUS adeo nostram perfectionem desideret, ut parturiens eniti prolem; nemo autem nisi ipse homo impedire possit. — Utinam tales considerationes aliquando ingererent odium mei, expulso amore proprio.

Si videas mendicum pauperem qui largis assidue eleemosynis donaretur, quotidie tamen in eodem statu pauperrimo permanere; nonne merito iudicares talem esse dissipatorem magnum, qui tantas sibi collatas adsidue opes adsidua prodigalitate dilapidaret? — Quid ergo tu es coram DEO, nisi donorum Eius dilapidator, qui ex tot tantisque gratiis in te collatis non proficis?

Anno 1807. d. 4 Ian.

In taedio huius exilii et displicentia huius vitae, magnum est incitamentum amoris, si consideras DEUM ipsum tam miseram vitam amore tui voluisse suscipere et ferre per 33 annos. Onus autem illud debuit ei sane eo gravius accidere, quo dignior erat eius Persona.

d. 6 Ian.

Mirum quantum differant iudicia DEI a iudicio mundi. Dicitur de tempore, quo Salvator nascetur, *Ecce tenebrae operient terram et caligo populos,* cum tamen maxime artes et scientiae florerent, ita nimirum in hac materia sicut in caeteris. Quod magnum, pulchrum, sapiens, beatum est apud DEUM, est parvum, sordidum et turpe, stultum, miserum in oculis mundi, etc. — Vita Christi viva huius differentiae imago, sicut doctrina eius eamdem docet.

d. 23 Ian.

Beneficia DEI, nostra peccata, nostrae necessitates requirunt ut omni momento DEO sacrificemus hostiam laudis, propitiationis, impetrationis. Vita nostra sacerdotium sit adsiduum oportet. Sed quid offerendum? Quod habemus. Miserias nostras, cruces nostras. Has esse placidissimas DEO hostias, Christus Dominus Sacerdos summus, sapientissimus et optimus, nos verbo et exemplo docuit. Si ergo DEUM amas, debes desiderare ut ipsi quam plurima possis offerre. Quod si attenderis, invenies statim, taedium vitae huius in te provenire ex amore proprio et defectu amoris DEI.

d. 12 Febr.

Qui habet servum, quem deprehendit aliquoties furem et infidelem, ei sane iam amplius nihil magni momenti committit, in nulla re ei fidit, semper eum habet suspectum; — ita ego de-

beo me ipsum semper habere suspectum, et in nulla re mihi fidere, cum non raro meam ipse infidelitatem in rebus maximi momenti, scil. in negotio salutis, expertus fuerim. Debeo itaque semper caute ambulare et actus meos omnes et internos motus examinare, cum non raro amor proprius etiam sub specie boni me fefellerit.

d. 19 Febr.

Ostende mihi faciem tuam et salvus ero. Non tantum faciem tuam, Domine, consolatione et dulcedine me replentem tempore devotionis et consolationis internae, sed etiam faciem tuam terrore et metu me replentem, dum pecco. Ne quaeso sit facies tua quasi velata, ac si non videret meas iniquitates, ita ut eas non punias et veluti dissimules, sed ostende illam mihi et fac me sentire quod coram oculis tuis te offenderim, adeoque percute, nec parce, increpa et veluti torvo aspectu meam mihi infidelitatem exprobra, ad correctionem. *Ostende mihi faciem tuam,* ut dolore tactus ad te convertar, et *salvus ero.*

d. 27 Febr. in die Cinerum.

Orandus hodie DEUS specialiter, praesertim in Communione, ut, sicut pro sua onnipotentia et bonitate ex pulvere condidit corpus tam elegans, ita animam meam, levem et inanem et dissipatam sicut pulverem, conglutinare et solidis virtutibus firmare ac solidare idem bonus et omnipotens dignetur.

d. 1 Apr.

Sol meridianus, tempus quo Christus crucifixus fuit, designat summam altitudinem et perfectionem virtutum, quas ibi exercuit. — Hoc exemplar in omnibus et semper in corde habere contende. 1° Hoc excitabit ad exercendas quasvis virtutes et illarum actus offerendos DEO in unione perfectissimorum actuum Christi. 2° Serviet humilitati, cum te immensum distare ab hoc exemplari tuo semper inveneris.

d. 2 Apr.

Christo Domino propinatum fuit vinum cum felle mixtum, et cum gustasset noluit bibere. — 1° Non conquestus fuit aut iratus, quod ipsi non sicut moris erat generosum vinum, sed cum felle mistum offerebatur. Disce numquam admittere in cogitationem nedum queri, dicendo: *quare illi et illi datur hoc, conceditur illud? et mihi non?* Quis tu es, qui audeas conqueri? Ubi esset humilitas? Christus silet, gustat, et tu murmuras? — 2° Gustavit sed non bibit, ut cruciaretur quidem, sed non confortaretur. Hac ratione decet ut tu quaeras ex omnibus eli-

gere quae amori proprio sunt contraria, relinquere quae grata, v. g. in festis, ubi plura fercula apponantur sed minus de singulis: accipe quod in hoc est ingratum, sc. quod parum; relinque quod gratum, ut non sumendo de pluribus quam soles et sic de aliis.

In initio mensis Apr. 1807 occasione solemnitatis Beatificationis B. Francisci de Hieronymo. S. I.

Si homines in hac valle lacrymarum tantam pompam et ornatum instruere sciunt, et festa cum tanta solemnitate celebrare, ut vel illos ipsos delectet adesse in Ecclesia, quos alias omnis devotionis piget: quantum debet esse gaudium in Coelo, in festivitate illa aeterna, ubi non homines instruunt, sed DEUS ipse omni sua bonitate, sapientia, omnipotentia animas beatas delectat?

d. 10 Maii.

Sine me nihil potestis facere. Hoc dixisti ipse, Domine, ergo adiuva; da quod iubes. — Possum quoque cogitare, quod addatur: *sed ego sine te possum.* Non me indiget Dominus, sed ego ipsius auxilio indigeo.

Pueri habetisne aliquid pulmentarii? Petit, volens dare. Sed quando inspirat aliqua sacrificia, non petit ut accipiat sed ut det. Ipsi quidem gloria, sed nobis utilitas ex omni bono provenit.

Circa Ascensionem Domini.

Ascendens DEUS in altum captivam duxit captivitatem. Domine, anima mea hucusque captiva fuit daemonis, mundi, amoris proprii et creaturarum; libera illam, sitque abhinc captiva tua. — Tibi me trado in voluntariam captivitatem, nolo amplius libertatem, qua hucusque nimis heu abusus fui; trado tibi arma quibus te hucusque impugnavi, accipe illa et retine. Verum Domine iam saepius tradidi illa, sed perversa voluntate instigatus denuo repetivi, ut te impugnarem. Nunc autem, Domine, accipe illa et simul voluntatem omnem meam, ut iam non amplius ad tantam perversitatem redeat.

Circa Pentecostem.

Spiritus S. *legem amoris et gratiae* cordibus impressit. Quare haec lex nova prae veteri vocatur gratiae et dulcior ac levior; attamen maiorem violentiam exigit contra carnis et naturae inclinationem! Nimirum in hac ipsa violentia, in ipsa abnegatione sui vera est pax, vera requies. Quo perfectior abnegatio, eo perfectior pax. Christi promissio est universalis: *Tollite iugum et invenietis requiem.*

die 18 Dec.

Christus in horto prae dolore de meis peccatis sanguinem sudat et ego vix doleo. Intolerabilis insensibilitas! Domus ardet, vicini undique accurrunt ad incendium extinguendum: et paterfamilias domûs id omne siccis oculis considerat, quin se moveat ad se periculo eripiendum. — Unicus alicuius equus in foveam cadit, accurrunt plures ad illum extrahendum: ipse dominus equi sedet quietus. — Lupus in ovile intrat devoraturus oves, alii in auxilium veniunt: dominus ovilis nec pedem vult movere. — Sic Dominus pro nobis zelat, nos pro nobis ipsi sumus sine ullo sensu.

Christo in horto orante et afflicto, discipuli amici dormiunt, at inimicus Iudas, inimici Iudaei non dormiunt. Nimirum impii sunt diligentiores ad DEUM offendendum, quam servi eius ad ipsi serviendum.

die 22 Dec.

Maximi est, primas quasque molestias, quae occurrunt, strenua mortificatione statim vincere. Si enim primae succubueris, multo magis cedes secundae, quae solet esse gravior, multoque minus superabis tertiam, et deinceps. Si vero primam viceris, ex hac victoria animus augetur et vires roborantur ad sequentem et deinceps superandam, praesertim cum ita Divina Providentia soleat suaviter disponere, ut ab initio leviores, postea graviores difficultates permittat. Quod si homo primas cum gratia DEI superat, DEUS pro sequentibus superandis maiores vires addit.

die 23 Dec.

Ait Angelus B. Virgini, *illam invenisse gratiam coram DEO.* Magnum id est, sed vide quid intersit inter effectus gratiae inventae coram DEO et coram homine potente. — Invenisse gratiam coram Rege aliquo, adfert divitias, honores, dignitates. Quid autem invenisse gratiam coram DEO? Respice paupertatem, contemptum, miserias, quas patitur B. Virgo in hoc mundo et disce cruces et afflictiones huius vitae esse veros favores a gratia DEI provenientes.

die 1 Ian. 1908.

Festum Circumcisionis Domini N. nobis quidem plenum solatio, dat enim pignus sanguinis pro nobis in cruce effundendi, Christo autem ignominiosum et dolorosum. Ceremonia est 1° Signum populi Iudaici electi a DEO in servos eius: hoc utique honorificum illis, sed Christo valde humilians, nam si fi-

lius regis ornaretur vestibus et signis alicuius officiarii vel domestici, id non honorem sed pudorem ei inferret. 2° Signum in remissionem peccatorum, adeoque peccatoris. Quanta humiliatio illi, qui venit peccatores salvare! 3° Dolorosum Christo longe magis quam aliis pueris. — Quid nos hic docet Christus Dominus? Docet ferre patienter et libenter humiliationes quascumque, sive ex iusta sive ex iniusta causa nobis obvenientes. Quid? *peccator* sum, hoc nomine ignominia dignus infinita, et quocumque umquam nomine compellatus fuero, nullum erit ignominiosius quam hoc nomen peccatoris, quod mihi iure convenit. Docet mortificationem et poenalium rerum tolerantiam. — Ter fudit Christus sanguinem. 1° *In Circumcisione* ex lege. Discimus poenas nostri status, poenas a lege DEI vel Ecclesiae iniunctas libenter amplecti et ferre. 2° *In Horto* ex propria voluntate. Discimus ipsi exercere mortificationem voluntariam. 3° *In Passione* a tortoribus, sed tamen ex directione Divina. Discimus omnes mortificationes illatas a quocumque homine, quippe semper ex DEI nutu, ferre patienter. Praevide occasiones varias et ad illas te paratum offer et, etiamsi non acciderint, lucratus eris multa. — *Denique* incipiente IESU esse nobis Salvatorem, et tu incipe novo fervore cum novo anno ad salutem cooperari, redde te illi totum et pete ut te adiuvet, committe illi sortem tuam pro tempore et aeternitate, et incipe novo fervore statûs tui munia exsequi. *Dixi: nunc coepi.*

die 3 Ian.

Quis tibi sensus esset, si sordidus Iudaeus aliquis publice in platea te amplectaretur et osculum tibi in faciem infigeret? — Et ecce IESUS admittit osculum Iudae, quem cum oculis internis conspiceret, videbat sordidiorem omnibus cloacis propter peccatum.

die 18 Ian.

Sicut Dominus vel Rex non debet mancipio suo ullas referre gratias pro servitio et obsequiis quae praestat; ita tu etiamsi ferventissime servires DEO, non promereri ex aequo potes gratias DEI. Si DEUS favores concedit, attende id esse sine ullo merito tuo. Nam si etiam optime optima quaeque perficeres, DEUS nil tibi deberet: servus esses inutilis. Quid modo, cum tota vita tua sit *pannus menstruatae?*

die 5 Febr.

Si Pater aliquid vetaret, et filius solus in cubiculo, putans se a Patre non videri, illud faceret, Pater autem per rimas portae videret: quantus foret dolor filii, cum postea audiret, se

a Patre fuisse observatum! Dolor non tam ex timore poenae, quam quod Patrem offenderit, iam minori gratia sit apud eum, et sciat Patrem ex illa ipsius inobedientia habere afflictionem. Sic DEUS videt nos (licet id non cogitantes) dum peccamus. Hinc quantus nobis esse dolor debet ob peccata commissa!

die 8 Febr.

Domino servire regnare est. Felix est servus et subditus magni et boni Domini: quia Domini thesaurus est promptuarium eius in necessitatibus, defenditur a Domino adversus omnes inimicos et persecutores, solvit Dominus pro ipso tributa et vectigalia, etc.

die 16 Febr. Dominica Quinq. Devotio 40 horarum.

Deliciae meae esse cum filiis hominum. Mira res! Quae delectatio homini sapienti et docto, conversari cum stupido, stulto, idiota? — Aut Principi diviti, cum rustico paupere, inurbano? — Et ecce DEUS tecum! Potestne te pigere conversari cum quocumque homine, cum IESUM non pigeat conversari tecum?

die 14 Mart.

Spe gaudentes. Cum vera laetitia nostra sit fundata in spe beatitudinis consequendae, haec autem spes praeter DEI misericordiam et IESU merita etiam in nostra cooperatione fundetur, utique nil magis laetitiam veram fulcire et promovere potest, quam fervens studium in servitio DEI, *multa agendo, multa patiendo* pro DEO. Mortificatio ergo et cruces via ad laetitiam, etc.

die 25 Apr.

Sic DEUS *dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret,* id nempe quod habebat pretiosissimum: *sic* ergo et ego debeo amare DEUM ut ipsi offeram quidquid mihi maximi constat.

die 26 Apr.

Amor Christi. Si quis esset Rex, qui subdito laesae Maiestatis reo et fugienti veniam delicti offerret, modo ipse crimen suum detestaretur, neque amplius tale quid attentaturum se promitteret: vix illud reus crederet. Quod si Rex in pignus reconciliationis subditum ad mensam suam invitaret, nescio, an reus ille non suspicaretur aliquid potius subesse fraudis, quam ut crederet Regem sibi adeo benevolum. — Et ecce quid facit Rex coelestis? Veniam delictorum concedit et in pignus reconcilia-

tionis ad mensam suam in S. Sacramento praeparatam invitat; non fraudulenter, non semel ab homine offensus, sed saepius, etc.

die 9 Maii.

Dum taedium tibi est et animi moeror in omnibus, quae tibi agenda sunt, et desiderium aeternae vitae et visionis DEI excitari sentis, eo magis te tunc ab omni terreno solatio abstrahere debes et molestias expetere. Quidquid ingratum perfers, ad fruitionem DEI te propiorem et paratiorem facit; quidquid gratum, plerumque retardat. — Qui vero in via est, eo magis properare solet et cursum intendere, quo maiores in itinere experitur molestias.

die 20 Maii.

DEUS misit Spiritum S. ob motiva haec: quia *ipse bonus* est, propter *merita Christi,* propter *nostram neccssitatem* et *miseriam.* Quid non sperare a DEO debes? Nec ipsa peccata tua debent confidentiam imminuere. Nam quoad duo priora motiva illa sunt constantia et immutabilia; ultimum vero eo fit fortius, quo tu eris miserior.

die 20 Maii.

Spiritus S. elevat animum ab amore creaturarum ad amandum et quaerendum unice DEUM, et quidem cum affectu et gustu: interim dum hic non datur, ipsius adiuvante gratia, etiamsi cum moerore, DEUM solum, abiectis tuis commodis et illecebris quibuscumque, quaerere intende. Quocumque pretio dignum est munus quod petis.

die 31 Maii.

Pisci non est malum si non possit volare, nec avi si natare nesciat, quia non est finis eius. — Non est malum homini si nec divitias, nec gratiam hominum, nec honores, nec delicias, etc. habeat; sicut non est ipsi malum, non posse volare, aut non habere vires tauri, aut odoratum canis, aut alterius animantis aliquam proprietatem. Non sunt enim haec finis eius. Quod ipsum a fine abducit, vel in eo acquirendo retardat, est unicum et verum eius malum; quod iuvat, verum bonum. Fames et sitis, dolores et ignominiae, morbi et ipsa mors, non sunt per se mala, imo, si ad finem ducunt, bona.

die 2 Iunii.

Amor SS. Cordis Domini IESU mire elucet ex eo, quod debellaturus diabolum et regnum peccati, cum id potuisset mi-

nimo quovis labore perficere, voluerit tamen tam gravem inire pugnam Passionis. Videretur futurum fuisse gloriosius ipsi, si tantum tamque potentem spiritu oris sui contrivisset. Sed voluit tanta pati, ut Patris iniurias ulcisceretur, amorem suum erga nos et peccati horrorem ostenderet, et exemplum daret, quod ubi imitati fuerimus, multas gloriosas consequemur coronas. — Docet sic IESUS, magis amare pugnam quam triumphum, et maioris facere poenas et mortificationes, quae ad virtutem disponunt, quam ipsam consecutionem virtutis, quae in se est plena suavitatis ac deliciarum. — Hinc desiderare te oportet in ipsis mortificationibus desolationem, et maximam in virtutum actibus difficultatem, quo et iniurias peccatorum tuorum ulciscaris aliquantulum, et amorem tuum erga IESUM probes, illumque quamproxime imiteris iuxta Reg. Summ. 11.

die 7 Iunii.

Quemadmodum si medicus aegro, quem maxime cupiat sanum, praescribat amarissimum medicamentum et ut ille non aversetur illius sumptionem, ipse partem acerbissimam coram *aegro* exhauriat, ad eum exemplo suo animandum, ita Christus Dominus, medicus animarum nostrarum, licet ipse sanus nullis acerbis medicamentis, non crucibus, non contemptu, non paupertate egeret, sed potuisset sine periculo honores et divitias et mundi gaudia sectari, ab istis tamen abstinuit, illis constanter usus est, sciens nobis aegris futura fuisse perniciosa gaudia mundi et voluptates, contra salutare et necessarium remedium crucem et poenas.

die 5 Sept.

Maximum DEI beneficium, multitudine operum perficiendorum obrui et in angustias redigi. Sic enim discitur confidentia in DEUM, et animus docetur caute vivere, ne aliqua in re Deum offendat, quo ille in poenam auxilium subtrahat. — In illis autem absolvendis si DEO res committatur, ipse pro sua gloria illa diriget, ut quomodocumque id fiat, ad suum honorem cedant.

die 10 Sept.

Sicuti si puer a patre castigatus ob aliquam culpam, non ad culpam suam aut ad patris indignationem adverteret, sed virgam consideraret, quam esset crassa, quam longa, a quanam arbore etc...., ita stulte fit hodie in mundo. DEUS punit terrae motibus, inundationibus aquarum, prodigiosis lapidum grandinibus, igne, etc. et quid miseri homines? non ad DEUM punientem neque ad sua peccata quae DEUM provocant at-

tendunt, sed naturales quaerunt harum calamitatum causas et rationes, undenam illi terrae motus tam singulares ac diuturnae, qualis materiae sint illi lapides etc.

die 1 Nov.

Quaerite ed invenietis. Ita plane. Quaere DEUM et invenies DEUM, id est pacem animi, gaudium internum, verum solatium: quod si quaeras te ipsum et vanas consolationes rerum terrenarum, invenies etiam te ipsum, id est, inquietem, poenam, afflictionem, desolationes, etc.

die 2 Nov.

Si quis a longa et molesta via fessus, inedia ac siti pene confectus domum rediret, cum maximo optatae refectionis desiderio, sed ibi non modo non refectione desiderata, sed verberibus et plagis exciperetur, et in atrocem obscurumque carcerem detruderetur: qualis illi sensus foret? — Tale quid et infinities maius sentiunt animae Purgatorii.

die 6 Ian. 1809.

Dum me componebam in lecto oborta est haec cogitatio cum magno affectu gratitudinis in DEUM. En hoc ipso momento, quot sunt homines qui multa patiuntur! Alii in inferno horrendis tormentis torquentur, alii in purgatorio; alii in terra nunc mortem amarissimam subeunt, alii calculi, alii dentium, alii aliis doloribus ac morbis afflicti noctem insomnem traducunt; alii sub die in frigore pernoctabunt, forte etiam miseria peribunt; alii mari, alii igne, etc. Illa etiam accedebat cogitatio: Quae autem horum omnium malorum est causa? peccatum. — Videtur hic sensus posse servire ad imprimendum etiam aliis horrorem peccati.

d. 19 Apr.

Cum essem valde afflictus ob difficultates mei status et inopiam meam in exsequendo munere meo, id quod alias quidem aliquantum feceram sed non cum tanto fructu, venit in mentem cum magna consolatione, tamquam signo quod DEO probabatur ille sensus, qui ab Eo erat: ut scil. *humiliarem me* et agnoscerem me indignum cui DEUS suas gratias ad munus meum adimplendum communicet, verumtamen *orarem,* ne ob mea peccata gloriae suae detrimentum permitteret ex munere meo male administrato. — *Cor contritum et humiliatum, DEUS, non despicies.*

d. 25 Ian. 1810.

Cum in mensa audirem legi ex Libro Geneseos, quomodo DEUS ad Isaac loquens promissiones illi suas renovaret *propter servum meum Abraham,* subiit mihi cogitatio, quanti sit unus aut alter heroicus actus pro DEO factus, quippe qui tantam benedictionum seriem post se trahat. Hinc 1° elucet singularis DEI liberalitas, qui hominis servitium, quod quantumcumque semper tamen in se et spectata DEI Maiestate parvum est, tam copiose remuneret; 2° merito stimulari debeo ad ferventer DEO serviendum. Quod si occasio faciendi magna pro DEO mihi desit, curandum saltem ut in parvis sim fidelis; haec enim fidelitas forte DEUM ad misericordiam movebit, ut mihi maiora concedat.

d. 2 Febr. 1810. Votum prima vice factum.

S. Maria Dei Genitrix ac Regina coeli gloriosissima, potentissima Domina mea et Mater dilectissima, ego, I. R., licet indignissimus servus tamen cliens ac filius tuus, desiderio te honorandi et humillima obsequia mea tibi offerendi unice impulsus, coram dilectissimo Sponso tuo S. Iosepho, S. Angelo Custode meo et universa curia coelesti statuo, promitto ac voveo semper me asserturum, defensurum ac propugnaturum, etiam usque ad sanguinem, tuam S. Immaculatam Conceptionem, quamdiu per S. Matris Ecclesiae leges licebit. Nunc ergo SS. Domina et Mater mea, oro Te per ipsam illam gratiam, qua Te Deus in Matrem elegit et ab originali labe immaculatam concipi voluit, ut hoc humilitatis meae obsequium non despicias, sed unitum cum congratulationibus coelestium omnium ac devotorum Tibi in terris servorum benigne suscipias, mihi vero servo, clienti ac filio omnium minimo, gratiam sanctae vitae in tuo ac Filii tui Domini Nostri Iesu Christi famulatu ad eiusdem Dei ac Domini nostri gloriam impetrare digneris. Amen.

d. 22 Maii.

Sicut non est mirum, neminem saepe ire visitatum eum, quem scit vix umquam esse domi; ita non est mirum, Deum me valde raro aliqua consolatione visitare, si ego fere semper extra me vager, nec umquam ne in ipsa quidem oratione mihi bene praesens et intra me collectus sim. Curandum itaque magis, ut sim animo quantum fieri potest collecto. Huc tendendum per frequentes mortificationes; quodsi non obstantibus omnibus conatibus, quibus me disponam ad Dei visitationes ubicumque excipiendas, Dominus tamen voluerit me ita relinquere, fiat ipsius SSma Voluntas!

d. 2 Iulii.

Vere contemptus amandus, laus horrenda est. — Contemptus enim numquam aliquod damnum tibi afferre potest, sed potius si debito animo excipis, magnum lucrum animae tuae: sed existimatio bona et laus hominum numquam te faciet meliorem, saepe est noxia, semper inutilis et periculosa. Nam vanitatem et superbiam fovet, et eheu, quanto maior erit ignominia tua, cum homines qui nunc te magnifaciunt teque bonum Religiosum exsistimant, postea in iudicio te longe alium viderent. Neque enim hoc est impossibile. Qui te iudicaturus est, Dominus est, et ille facile videt ea, quae non tantopere aliorum oculos, sed tuam etiam propriam conscientiam fugiunt.

d. 31 Aug.

Amem te plusquam me. A. Kempis L. 3 c. 5. Quid magni hoc est, Domine, ut ego te amem plusquam me! DEUM infinitae Maiestatis plusquam me vilissimum peccatorem et propter peccata omni vili verme viliorem! Attamen necdum audeo dicere: *amo* te plusquam me, sed adhuc id desiderans obtinere dico: *amem* te plusquam me. Ah! quanta miseria mea.

d. 22 Sept.

Quid est homo coram DEO nisi vile animalculum, vermis contemptibilis? Quando ad eum attollit sese, quid coram DEO, nisi ac si rana e palude caput efferens illum alloqueretur? Et tu, o immensa DEI bonitas! Si haec creatura tam despecta, si hic vilis per se homo dicat DEO ex corde: *O DEUS, ego amo TE,* non modo hunc eius affectum non contemnit DEUS, sed perinde ac si ex eo multum fructum caperet, innumeris modis illi pro hoc indulget gaudiumque reservat infinitum et aeternum. Vere, *quia bonus est.*

d. 30 Oct.

Non est cur nimis animo deiiciaris ob miserias multas etiam spirituales quas in te vides. Hae enim miseriae faciunt te obiectum Misericordiae Divinae. *Melior* autem Domini *misericordia super vitas.* Noli videri tibi aut esse non miser. Si enim non esses miser, si putares te misericordia DEI non indigere, quid *posset esse infelicius?*

d. 7 Nov.

Vere nil potest pretiosius accidere, quam cruces et contemptus. Si enim pro virtute aestimaris, vel satisfactionem tuam in illis actibus invenis, magnum est periculum, ne humana intentione dirigaris; si vero per bona opera contemptum et cru-

ces lucraris et tamen perseveras, vere magnam spem habere potes, opera tua ex supernaturali motivo procedere; siquidem ita non faceres, nisi *propter DEUM*. Et tamen quanti est haec res momenti!

die 13 Dec.

Filius DEI in omnibus nobis assimilatus, o quantus thesaurus, quantum solatium, quantum ad bene agendum incitamentum! Quidquid praeter peccatum facio aut patior, simile quid Filium DEI fecisse vel passum esse existimare possum. Oro? Filius DEI etiam oravit. Laboro? etiam ille laboravit. Loquor? etiam ille locutus est. Tristitiam habeo? etiam ille habuit. Naturae necessitatibus servio? etiam Filius DEI his servivit. O bone DEUS! quantum potest haec recogitatio et oblatio actuum IESU meos actus nobilitare eorumque defectus compensare! Quantum me in molestiis omnibus confirmare et recreare! Quantum debet ad omnem vitae sanctitatem incitare! — Filius DEI in carne ambulavit ut ego, *in terris visus est et cum hominibus conversatus*. Quam nobilem fratrem habemus! DEUM, fratrem; Iudicem, fratrem!

Charitas

Patronus. S. Franciscus Xaverius.

Tessera. Nos ergo diligamus DEUM, quoniam DEUS prior dilexit nos (Io. 4. 19).

Non ut in coelo salves me,
Aut ne aeternum damnes me.
Solum quia Rex meus es,
Et solum quia DEUS es.

Praxis. Quotidie decies, quinquies ante et quinquies post prandium aliquam actionem peragam ex puro Amore DEI.

Media 1. Omnes illas industrias, quas S. P. N. Ignatius pro Examine Particulari tam sollicite commendat, diligentissime observare et adhibere conabor. 2. Dabo operam, ut saepius intra diem actum charitatis theologicae attente et cum fervore eliciam. 3. Nominatim curabo, ut talis actus quotidie mane sit mea prima actio.

Motiva. 1. Quia per nihil plus assimilor DEO. 2. Quia per nihil aliud plus imitor Christum, item Virginem Eius Matrem MARIAM. 3. Quia per nihil plus mereor. 4. Quia charitas ex minimis operibus facit maxima; ita ut comedere ex charitate longe plus DEO placeat, quam sine charitate in pane et aqua

ieiunare. 5. Quia charitas dat vires ad facile portandum etiam grave onus. 6. Quia facit vitam iucundam et quasi divinam. 7. Quia peccato omnium maxime opponitur, et cum eo simul stare non potest. 8. Quia charitas nihil negligit, et vitat etiam minima peccata; etiam defectus. 9. Demum, quia Spiritus charitatis est Spiritus Societatis, quo meliorem ac DEO magis placentem reipsa non dari in terris, revelatum legitur S. Mariae Magdalenae de Pazzis.

Charitas

Patronus. S. Ioannes Apostolus.

Tessera. DEUS charitas est: et qui manet in Charitate, in DEO manet, et DEUS in eo. Io. 4, 16.

Item, *Filioli diligite alterutrum.* Ex Vita S. Ioannis Apostoli.

Praxis. Verborum Domini, quae dicet in Iudicio: *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, Mihi fecistis.* Matth. 25, 40, assidue memor ero. Ex eis intelligam, quoties potero vel aliquid boni proximo facere, vel ab eodem aliquid mali recipere, toties mihi a DEO offerri magnum ac inaestimabile donum; et propterea statim in voluntate eliciam ardens desiderium, hoc donum libentissimo animo acceptandi, hoc est, Domino meo in Cordis mei iubilo benefaciendi. Ita me geram:

1. Quoties vel in Refectorio vel in Bibliotheca debebo aliis inservire.

2. Quoties proximus meus aliquod obsequium a me petet, quod quidem praestare ei potero.

3. Quoties ab eo aliquam vexationem aut molestiam patiar.

4. Quoties agere cum tali debebo a quo naturaliter aliquantulum abhorrebo et quasi antipathiam intra me sentiam.

Media. 1. Studium et accuratio in iis servandis, quae Sanctus Pater de Examine particulari praescribit. 2. Post quodvis Examen ad compensandos defectus admissos iniungam mihi in poenam aliquod opus charitatis.

Motiva. Haec inclusa sunt in textibus divinis, supra positis. Puta desiderium benefaciendi Christo Domino, Eidem satisfaciendi pro tot offensis et iniuriis, cum eo me intime uniendi, Eius perfectam, quoad licet, similitudinem habendi, aliquando in Iudicio Eius sententiam propitiam obtinendi.

d. 4 Iun. 1811.

Nomen IESU cum fiducia invocandum in omni necessitate. Nullum est malum, a quo nos IESUS non possit liberare, nul-

lum bonum, quod nobis non sit promeritus. Ergo in quacumque afflictione IESUS invocandus, in quacumque necessitate IESU auxilium implorandum idque magna cum fiducia, nam ille vult ut non apud alium, sed apud ipsum consolationem quaeramus. Possum ergo illi dicere: « Domine, ecce iussisti in meis afflictionibus ad te venire ad quaerendum solatium et auxilium, ecce me... ».

Oratio quotidie ante crucifixum fundenda (1)

An. 1811.

O dulcissime Iesu, per mansuetudinem et amorem Sanctissimi Cordis tui supplico ut eos omnes, qui mihi quoquo modo molestiam creant aut unquam crearunt, pretiosissimis donis ac gratiis cumulare digneris. Si quid in me peccaverint, ignosce, Domine, et pro aversione quam mihi ostenderint Tu eis vultum tuae miserationis ostende: pro verbis quibus me praesentem aut absentem laeserint, Tu illis benedictionem tuam impertire: et si quis quocumque praetextu aliquid in corde habeat contra me, Tu tali sanctissimum amorem tuum infunde. Mihi vero peccatori concede, Domine, ut ab aliis sine illorum peccato quam vehementissime exagiter et ut in crucibus meis SS. Cordi tuo gustum faciam. Da patientiam, mansuetudinem, charitatem atque constantiam in omnibus invictam. Atque eos actus sinceri amoris erga illos, una cum omnibus afflictionibus, quorum illi causa esse potuerint, Tibi pro illis ipsis, pro illorum salute et maiori perfectione et altiori gradu gloriae aeternae offero in unione afflictionum Cordis tui Sanctissimi et amoris, quo erga affligentes Te ardebas olim et nunc ardes. Suscipe o Iesu hoc obsequium meum et miserere mei propter magnam misericordiam tuam.

d. 15 Nov. 1812.

Amice, quomodo huc intrasti? — Istud *quomodo* deberet semper in auribus meis insonare, ad humiliationem meam. — *Quomodo* tu, miser, in domo mea, inter servos meos sanctos vivis? — *Quomodo* tu cum electis ad mensam recumbis?... Sed maxime dum ad Sacrificium Divinum peragendum me accingo: *Quomodo* tu assistis altari meo? *Quomodo* tu conficies, at-

(1) Ioseph Manfredini (cfr. *Io. Ph. Roothaan, Testimonia Aequalium, Romae 1935 pag. 19-27*) narrat, quae gravissima iniuria Servo Dei ansam dederit heroicae huius orationis faciendae.

trectabis, sumes corpus meum, bibes sanguinem meum? — Quo*modo* tu supremam maiestatem placabis, ipse peccatis et iniquitatibus repletus?

Ad S. Ioannem Ap. et Ev. Anno 1813

O. S. Ioannes Apostole et Evangelista, dilectissime Iesu ac Mariae discipule, mi dulcissime Patrone, gaudeo ac magnopere mihi gratulor, quod te potissimum Patronum habere tuoque nomine vocari mihi contigit. En me clientem tuum ad pedes tuos prostratum ac si te praesentem viderem. O gratiosissime Ioannes, commenda me illi Domino, quo cum in terris visus est et cum hominibus conversatus est, quam familiarissime es usus, commenda me illi Virgini quam Tibi a divino Filio matrem accepisti. O gratiosissime Ioannes, impetra mihi ab iis, apud quos tam multum valuisti, dum adhuc in terris vivebant, et nunc multo plus vales in coelo, impetra mihi secundum cor tuum triplicem amorem, amorem ardentissimum Iesu, amorem ardentissimum Mariae, amorem ardentissimum proximorum. Et quoniam spiritus Patris ac patriarchae nostri Ignatii cum spiritu tuo admirabili quodam modo congruit, impetra mihi hunc Patris mei amantissimi Spiritum, verum inquam Spiritum Societatis: eumque in tanta abundantia, ut etiam aliis pro ratione officii mei, adspirante mihi Iesu et Mariae auxilio, eundem instillem, sed hoc ita ut mihi tamen nullus propterea honor accedat. Impetra mihi gratiam patiendi multum, vivendi sancte, moriendi sancte, ut dein tecum et cum omnibus Iesu ac Mariae amatoribus ad eorum conspectum admittar. Hoc te rogo, o Sancte mi Ioannes, per amorem, quo te Iesus et Maria dilexerunt in vita et nunc diligunt, et per amorem quo tu Iesum et Mariam dilexisti in vita et nunc diligis, et per ineffabilia illa sensa, quae cum in pectore Domini recumbebas habuisti, et per martyrium quod sustinuisti sub cruce eiusdem dilectissimi Magistri tui, ac denique per istam gloriam qua frueris iam a tot saeculis ac frueris in aeternum. Amen.

d. 21 . . . 1813.

Ex poena peccati Adami patet inter alia: 1° Numquam me satis pati posse in hac vita vel pro unico peccato. Nam si omnia mala, quae ab initio mundi fuerunt et usque ad finem mundi erunt, in me unum inciderent, non plus incideret quam poena unius peccati; pro uno enim Adami peccato illa omnia DEUS inflixit. 2° Infelicem esse seriem peccatorum, cum ex uno

peccato innumera saepe alia pullulent; ut ex uno Adami peccato omnia reliqua profluxerint.

d. 1 Dec. 1813.

In meditatione de mysterio Incarnationis vivaciter apprehendi, quam sit ignominiosum mihi et pudibundum, si illud facere aut pati detrectem, quod Filius DEI pro me sponte fecit et passus est. Quid? tibi hoc, illud grave? Et tamen Filius DEI pro te hoc idem, et longe graviora.

Pro hoc solo numquam possum satis Deum amare, quod homo pro me factus est. Quid pro iis, quae homo factus fecit et passus est? Quamquam quidem haec omnia sunt minora quam incarnatio ipsa.

d. 14 Oct. 1814.

Si quis a Viro Principe vocatus ad convivium incedit per viam lutosam, cautissime ponit pedes, loca quaerit, quantum fieri potest, mundissima, ne vestes, quas pro illa sollemnitate induit, maculet; pessime autem sibi consuleret, si in ipso luto consideret. — Ita nos per bona temporalia, per huius mundi res transire debemus, et maxime cavere, ne alicubi quasi quiete inventa consideramus: nam etiam sic satis difficile est per mundi bona, sub quibus ubique latet aliquid voluptatis, sine ulla conscientiae macula transire.

d. ... Oct. 1814.

Si ego facio, quod mei est muneris, de successu non debeo esse anxius. Imo vero minus bonus successus sine culpa omni bono successu pretiosior merito videri debet, quia unus actus patientiae ac resignationis pretiosior est omni satisfactione aut applausu ex successu bono. Humiliare tantum semper: *Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei.* Fiducia simul habenda ad DEUM: *Domine, si vis, potes...*

d. 3 Maii 1815.

Stetit IESUS in medio... et dixit: pax vobis. Quam diversa pax et diverso modo comparata, ab ea quam principes terreni faciunt. Hi laudantur, cum exercitibus suis pacem pariant, et tamen hoc faciunt non nisi sumptibus alienis, sanguine alieno. IESUS autem suis sumptibus, suo sanguine et vita. Pax autem haec aeterna, si volumus, nam pax hominibus bonae voluntatis. At huius mundi pax qualis? parum adfert boni et cito dissolvitur, ut ex ipsis iis, quae nunc in orbe fiunt, insigne videtur exemplum.

d. 1 Iunii.

Beneficia DEI, in meis manibus, sunt ut divitiae traditae in manus minorennis pupilli qui dum nescit illis uti, dum abutitur, dum etiam persuadet sibi se divitem et ab adulatoribus circumvenitur, facile ad extremam inopiam devenire potest: ita mecum fiet facillime nisi Divina beneficia in ipsum auctorem referam, ut illa ipsa custodiat, nec sinat illis abuti, nec credam ego me esse divitem, nec credam laudibus et aestimationi hominum, quicumque illi sint, etiamsi ipsi Superiores bene contentes se ostendant. Qui *me iudicabit, Dominus est. — Qui te beatum dicunt, illi te decipiunt.* — Scio bene coram DEO me esse miserum, pauperem et contemptibilem valde.

d. 2 Iun. 1815.

Cum nimium fuissem anxius de variis periculis, quae in statu hoc nostro recurrunt, ut in confessionibus audiendis, etc. vesperi cubitum eundo, aliquod mihi lumen obortum est, quod me iussit magis sentire de DEO in bonitate. Et vere, non videtur haec digna opinio de DEO, qui est essentialis bonitas, ut Ille, quem quis unice quaerens mundum reliquit, Religionem ingreditur, in ea propter Ipsius amorem hoc illove munere fungitur, ut Ille, inquam, talem deserat aut propter errorem ex fragilitate commissum a se reiiciat. — O anima mea, quaere tantum sincere DEUM in vita tua, nec dubita, quin Illum inventurus sis in morte. Noli cogitare ut ille nequam servus: *Scio quia austerus es.* Vid. d. 20 Maii 1808.

d. 13 Oct.

Beati, qui esuriunt ac sitiunt iustitiam. — Anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet. Mihi haec et illa amara videntur, non nisi cum repugnantia illa sumo, vel etiam ea relinquo: ergo non habeo veram esuriem perfectionis. Meus scil. appetitus non est verus sed falsus, qualis esse solet aegrotorum, qui petunt cibos ac videntur sibi valde cupere, at cum apponuntur, nauseant ac prae nausea sumere nolunt. Talis mea esuries iustitiae. Et tamen non tali beatitudo promissa est!

Iesus Christus calicem amarissimae passionis ad fundum usque exhausit, et adhuc in cruce dixit: *Sitio.* — Ecce quam sincera fuerit eius sitis, quam in coena et in horto in oratione ad Patrem verbis demonstraverat.

d. 14 Dec.

Ne desideriis bonis et luminibus circa tertium gradum humilitatis stulte elever, hae servire mihi cogitationes possunt ac debent. 1° Haec intellexisse ac desiderasse nil iuvabit, nisi

secundum illa etiam agatur. 2° Secundum illa principia agere, amare scil. crucem ob imitationem IESU, non possum, nec in parvo nec in magno, nisi Divina in singulis occasionibus peculiaris gratia, lumine practico et voluntatis motione, adfuerit. 3° In desideriis ulterioribus plura patiendi ad Iesu Christi exemplum ita me exercere debeo, ut simul intelligam, non posse me talia sincere desiderare ac petere, nisi in primis ea parva et minima, quae mihi in muneribus meis et quotidianae vitae ratione occurrunt, ut discipulorum tarditatem, minorem successum, desolationes animi, etc. cum gaudio excipiam. Qua enim fronte *audeam* a DEO maiora patienda petere, si Dominus mihi respondere potest: Quid tu petis plura? Minora primum et pauciora fer sicut debes, tum veni et maiora ac plura posce. Secus vade, nec pete stulte quae tibi non expediunt.

26 Mart. 1817.

Qui sunt hi sermones? — Intellexi, haec Domini verba non tantum ad nostros sermones exteriores esse applicanda sed etiam ad internos, quibus in nobis ipsis loquimur. Est efficax in hoc motivum ac medium contra cogitationes inanes, quae per caput transvolant et sermones nostri interni sunt. *Qui sunt hi sermones?*

9 Apr. 1817.

Dicite fratribus meis. — Quam multa sunt nomina, quibus Domino IESU sumus obstricti et uniti! Est Deus noster, Dominus noster, Pater noster, Redemptor ac Salvator noster etc. Sed his non contentus voluit magis familiaria, *amicus, frater.* Sed tamen haec omnia longe superat id quod est nobis in SS°. Sacramento: *cibus* noster. *Qui manducat me, et ipse vivet propter me. Manet in me et ego in illo.*

m. Maio 1817.

In montem. — Ascendendum strenue ut perveniatur ad conspectum Christi. Sed multa impediunt ascensum, multa obstant. Nostrum ergo est ista ipsa impedimenta in adiumenta convertere. Sic solet viator, in montem ascendens, virgultis et aliis viae impedimentis uti, ut vel manibus se erigat, vel pedes firmet. Similis nobis esse usus debet impedimentum in via perfectionis; id quod maxime valet in iis rebus, quae turbant animum et affligunt, v. g. in scrupulis.

Intentio anno 1818.

O SS^a^. Trinitas unus Deus, ego miserabilis creatura tua et undecunque divino tuo conspectu indignissimus, adoro te

ex toto corde meo et hunc ego actum, coniunctum actibus et meritis Iesu Christi, B. V. Mariae, Sanctorumque omnium, omnibus et singulis, quos omnes actus iunctos habeo mihique adiungere cupio, praeteritos, praesentes et futuros, Divinae maiestati tuae supplex offero simulque volo per hunc actum retractare omnia mala, sive a me sive ab ulla alia creatura commissa aut committenda, et sanctificare tibique placitas et gloriosas reddere actiones et passiones omnes, meas et alienas, alioqui inutiles futuras, et hanc actionem meam aliasque omnes ac singulas huius diei et totius vitae meae intendo facere ex motivo eoque modo, quo tu vis et quia tu vis ad mandatorum tuorum, consiliorum et beneplacitorum omnium impletionem, ad virtutum omnium theologicarum et moralium supernaturalium praesertim donorumque et fructuum Spiritus sancti in omni gradu mihi congruo assecutionem, exercitationem, incrementum, ad gratiae gloriaeque tuae in me confirmationem, ad Instituti mei perfectam impletionem, ad totius mundi praesertim auxilium, ad animarum purgatorii praesens refrigerium, ad omnium Sanctorum, Angelorum, pretiossimae Parentis Iesu Christi, Tuum vero inprimis, SS. Trinitas, honorem et imitationem, super omnia vero ad omnimodam tui gustus recreationem, adorandae voluntatis tuae adimpletionem, summae bonitatis dilectionem, eminentissimae dignitatis exaltationem, mei vero universalem annihilationem. Et hoc totum semel pro semper, volo repetendum virtualiter quoties respiravero vel quoties ulla utar potentia animae vel corporis et quoties ulla alia creatura ulla sua utitur potentia, cum desiderio augendae intensionis millies et millionesies et si fieri posset in infinitum. Domine, ut amem te, nec alia mercede quam ut magis amem te.

Laudo et ago gratias, huius actus breve compendium.

19 Iun.

De miraculo in Cana Gal. Licet orans non videar accipere responsum, nisi insipidum, conclusio sit qualis B. Virginis: *Quodcumque dixerit tibi, facito.* Etsi nil haurire videamur, nisi aquam, in oratione, scil. non nisi insipida, sine sensu, sine gustu, sine fructu, ut videtur, hydriam tamen nostram impleamus, faciendo quod possumus, et Deus irritum esse laborem nostrum non sinet. Illi facile est aquam in vinum mutare et fructum solidum tribuere ex oratione, quae sine gustu et fructu fieri videbatur.

Martii 1820.

Expulsio e Rossia. Orsae in Collegio (1).

22 fer. 2.

Noctu circa horam 1am rumor de Collegio Vitebscensi iam occupato; postridie h. d., i. e.

23 fer. 3.

Frater Magister Poczobut (2) advenit, confirmans omnia, et plura addidit ex edicto a se perlecto; abducturus fratres suos venerat, sed hi constanter negant a Societate recedere.

24 fer. 4.

Post meridiem hora fere 4ta convocantur omnes nostri ad cubiculum R. P. Provincialis. Ibi a praesentibus tribus magistratibus cum uno scriba intimatur nostris:

1° Voluntas Imperatoris ut nulli Iesuitae amplius sit locus in Imperio.

2° Prohibitio, ne quid rerum abscondatur, alienetur, auferatur.

3° Omnium personarum tres classes confici deberi:

1a eorum qui officio funguntur publico,
2a » qui liberi ab huiusmodi onere (sunt),
3a » qui abire vel manere velint.

Mox omnium personarum nomina conscribuntur.

Statim apposita ianuae domus et Ecclesiae custodia militaris, ne quid auferretur rerum mobilium, neve quis nostrum absque licentia Triumvirorum exiret.

25 fer. 5.

Adhuc in Templo omnia fiunt a Nostris solita, nisi quod concio non sit dicta; item Tenebrae in Templo decantatae non sunt. Heri populus, qui convenerat ad Tenebras, exire iussus, multo cum fletu recessit.

A prandiis singuli vocati ut coram P. Priore Dominicanorum et altero magistratu quisque professus nomen, cognomen, patriam, conditionem, aetatem ediceret velletne omissa veste et vocatione sua, in Rossia remanere? Dicuntur aliqui fuisse, qui haesitaverint, quin etiam remansuros se potius significaverint.

---

(1) Breves adnotationes, quae sequuntur de expulsione Iesuitarum e Russia, in foliis separatis scriptae sunt. Ponuntur hoc loco ut temporis ordo servetur.

(2) Ignatius (1794-1812-1885) et Leo Poczobut (1803-1818-1876) fratres, scholastici S. I. in Coll. Orszano; tertius, Antonius, postea Societatem reliquit.

Quaecumque extra portam ferebantur, inspectabantur strictissime; ipsae adeo ollae in quibus famuli prandium vel coenam portabant, immisso cochleari, examinabantur, ne quid forte *thesaurorum* asportaretur.

26 fer. 6.

Oblata formula, ut qui remanere se velle edixerant, propria manu subscriberent inter cetera, se renuntiare, abnegare Instituto et legibus omnibus iesuiticis in perpetuum, negarunt indignabundi, etiam minus firmi, omnes, excepto uno simplici fratre *bonario.*

Advenit quidam D. ... Mohilevia, submissus ad occupandam Bibliothecam et Scholas.

27 Sabb.

Mane Noster quidam Sacrum cantavit; a prandiis etiam Completorium Sacerdos Noster.

Vespere autem Caeremonias Resurrectionis egit P. Prior Dominicanorum cum Patre Socio suo, assistentibus nostris clericis et fratribus.

28 Dom. Paschatis.

Celebratur a PP. Bernardinis utpote curam animarum gerentibus. Nostri privatim celebrarunt Sacra. Audiebant tamen adhuc Confessiones.

29 fer. 2.

Iam Confessiones a nostris non auditae. — P. Bernardinus concionem dixit. Coeperunt Triumviri supellectilem Templi conscribere.

Advenere litterulae a R. P. Provinciali ex quibus summo gaudio nostro perspeximus falsa fuisse, quae prius nuntiata fuerant, scilicet P. Provincialem fuisse detentum et abductum Petropolim.

30 fer. 3.

Litterae a PP. in Siberia degentibus, iam pridem ipsis fuisse intimatum, ut ex Siberia excederent.

Musici (1) omnes a prandiis dimissi, facta primum stricta rerum ipsorum inspectione.

31 fer. 4.

Advenit Mohilevia Commissarius, qui bona Collegii pro aerario occupet. Profectus hoc eodem die ad praedium Pacyan.

---

(1) Praeceptores et cantores laici.

3 Apr. Sabb.
Advenere Vitepsca R. P. Landes [1] et 5 alii PP., MM. 3, Fr. 1.

Dom. — Profecti sunt.

11 Apr.
Dom. 2 post Pascha. — Nos profecti Seloviam.
Fer. 2. — Mohileviam.
— 5. — Mohilevia . . .

Gratiarum actio scribi coepta 2. Ian. 1808.

Gratias ago Tibi,

Domine DEUS ac Pater mi dilectissime, in unione sanctissimorum affectuum SS. Cordium IESU dilectissimi Filii tui ac MARIAE sanctissimae Matris eius, et in unione laudum, quae Tuae Divinae Maiestati ab omnibus Angelis et Electis tuis decantantur et decantabuntur in aeternum, in unione horum omnium ego tuo conspectu indignissimus gratias ago Tibi pro omnibus tuis in me collatis beneficiis, numero et mensura vere infinitis, maxime vero pro singulari illa Tua ac dulcissima Providentia, qua me ad Sanctissimam hanc Religionem vocasti, et per varias ac plane mirabiles vias deduxisti, dein pro singularibus beneficiis quibus me in hoc S. Religioso statu dignatus es, praecipue vero:

Quod mihi iam inde ab initio dedisti filialem fiduciam, amorem et obedientiam erga meos Superiores, vere tamquam Tuos Vicarios, hosque affectus in me hucusque conservasti et auges.

Quòd mihi semper dedisti fiduciam in omnibus arduis, quae ab Obedientia iniungebantur, et in illis semper peculiari auxilio tuo adfuisti, ut illa possem exsequi.

Quod mihi dedisti plures internas cruces, licet quidem ob mea peccata promeritas, sed tamen summe salutares.

Quòd mihi dedisti invenire semper inanitatem in usu libero creaturarum, pungendo postea conscientiam meam, et trahendo me continuo, ut me totum plene tibi redderem, et a creaturis amorem magis magisque avellerem, et quod non desistis hoc semper facere, licet ego propter meas infidelitates

(1) Aloysius Landes (1767-1787-1844), Rector Collegii Vitepscensis, postea Praep. Prov. Galiciae et Assistens Germaniae.

innumeras iamdiu meruerim, ut me traderes in reprobum sensum.

Quòd in tristitiis ac poenis semper, cum iam ad summum venisse viderentur, in tempore adfuisti et saepe in momento animum erexisti.

Quòd mihi dedisti saepissime repugnantiam magnam in rebus ad statum meum pertinentibus, unde cogebar mentem ad Tuum solum beneplacitum in illis erigere, et sic intentio mea valde purgabatur, dabaturque plurima occasio victoriae.

Quod millies memoriam meam adiuvisti et quasi admonuisti, ne aliquid obliviscerer, quod si fuissem oblitus, causare potuisset plurima inconvenientia. Et singulariter in dicendis doctrinis ad populum, veluti suggerens et in aurem insusurrans voces et res dicendas, quod saepe expertus fui, etiam cum res ante non bene memoria tenerem.

Quòd mihi multas semper occupationes ab obedientia iniungi permisisti, ut torpere aut otiari mihi vel volenti non licuerit, ac licet ita parum valde temporis studiis dare potuerim, tamen ita semper adiuvisti, ut pro temporis mei sacrificio tuam mihi auxiliarem manum adesse facile sentirem.

Quòd mihi aliquam identidem particulam crucis tuae ferendam dedisti meque aliquando aliquibus calumniis et aliis donis dignatus es, simulque gratiam largitus es, ut pretiosi huiusmodi doni aestimationem conciperem et crucium mearum auctores, repressa sedulo omni displicentia, serio ac sincere diligerem.

Quòd mihi dedisti amorem erga B. DEI genitricem, ac filialem in Eius patrocinio fiduciam, praesertim circa mortem atque aeternitatem meam.

Quòd mihi in bono aliquo rerum successu, quo aliis videbar recte satisfecisse, saepissime dedisti sentire internam aliquam tristitiam aut cordis vacuitatem, nescio quam, quae me gaudere in bono successu non sinebat; quod fecisse videris ex paterna misericordia, ut paulatim discerem non gaudere nec consolationem habere, nisi in Te DEO meo.

Quòd mihi iam inde a pueritia semper aliquas dedisti sollicitudines circa occupationes et res agendas, ad quas bene explendas semper me a Te omnino dependere sentiebam, unde in timore vivebam, ne Te offenderem et sic Tu me punires, privando me tuo sancto auxilio; et *quod* hoc idem assidue mihi fecisti sentire in concione, oratione, etc. faciendis, saepe me initio ita deserens in mea inopia, ut nihil me posse sentirem; licet ego ingratus ex his omnibus nondum hausi veram humilitatem.

Quod permisisti me ad maiorem cautelam et ad humiliationem meam incidere in affectum nimium erga aliquem, et in hac pugna, postquam malum advertissem, fecisti sentire, quam ruerem ego ad mala, nisi tu tempestive subvenisses.

Quod mihi fecisti assidue experiri meam inopiam ac defectum talentorum ad munera mihi demandata, ut non nisi in Te spem omnem ponerem, qui etiam adesse mihi, ut sufficienter muneri satisfacerem, dignatus es.

Quod mihi ab initiis fere religiosae vitae dedisti intelligere pretiosum illum in vita spirituali gradum, modum tertium humilitatis, et ad illum me excitare ac stimulare non destitisti.

Quod mihi singulari Providentia tua officia quaedam, etiam praeter Superiorum intentionem, demandari fecisti meque in iis locis habitare, ubi ad interioris vitae profectum multa mihi media praesto errant et occasiones. (Anno 1812 Puszam ad docendam Rhetoricam Nostrorum. Anno 1820 Brigam ad idem officium).

27 Ian. 1822.

Nisi lavero te non habebis partem mecum. — Hoc Petro, et tamen erat ex illis de quibus Dominus : *estis mundi..., es mundus totus;* scilicet etiam minima impediunt, quominus quis partem habeat cum Christo. Quid vero ego? Domine, non tantum pedes, sed et manus et caput et praesertim cor, cor lava... nec solum lava... sed sana, Domine. Imo vero ita corruptum est, ut nec lotio, nec sanatio sufficiat, sed creatione sit opus. *Cor mundum crea in me etc.* Ideo etiam : *Veni Creator, Emitte spiritum tuum et creabuntur et renovabis faciem terrae, Discerne causam meam de gente non sancta* (intelligi merito possunt meae passiones...), *ab homine iniquo et doloso erue me;* ego ipse ille iniquus et dolosus, a quo erui postulo.

27 Aug.

Dominus ipse iubet Petrum retia mittere. Hic vero : *Praeceptor, per totam noctem laborantes nihil... in verbo autem tuo...* Tum *concluserunt...* Petrus autem : *Exi a me Domine...* Praeclara imago dispositionum virorum apostolicorum : 1 non ingerere se, sed missionem expectare a Deo ; 2 intima agnitio proprii nihili, diffidentia de se, ac simul fiducia in mittentis auxilio. *In verbo tuo.* 3 In magnis successibus profundius humiliari. *Exi a me Domine, quia homo peccator sum.*

29 Aug.

Ad IESUM pervenire omnino necesse est, quidquid constituit, etiamsi mediis extraordinariis utendum foret; prout fe-

cere illi, qui nudaverunt tectum et per tegulas submiserunt paralyticum ante pedes IESU.

5 Sept.

Dominus iubet discipulos transfretare ad alteram partem navis, simul ventum immittit adversum ac tempestatem; interea illi laborant in remigando... Imago eorum quae saepe accidunt. Dominus aliquid iubet, simul contraria evenire permittit, quibus illud, quod mandavit, quasi impossibile redditur. Interea noster conatus ne deficiat, postulatur a nobis labor, non effectus; cura, non curatio. Quod si ipsius gloria est, perficiet ipse, ut cum discipulis fecit. — Applicandum tam ad spiritualia interna, quam ad labores externos.

17 Sept.

Observatu dignum, neminem e Christi discipulis saepius et acrius a Domino fuisse reprehensum quam Petrum, qui tamen fervore et amore ceteris antecellebat et a Domino etiam ipso sublimissime fuit elevatus. — Etiam post laudem illam et promissa insignia: *Beatus es, Simon* etc., audivit: *Vade post me, Satana.* — *Proba me Domine et tenta me, ure renes meos et cor meum.* Argue me Domine, verumtamen in misericordia.

24 Oct.

Conversionis negotium, a statu peccati ad gratiam, vel a vita imperfecta ad sanctitatem, fere eo procedit modo, quo sanatio hominis illius ad probaticam piscinam. 1° *Vis sanus fieri?* requiritur voluntas seria. 2° *Domine, hominem non habeo,* agnitio suae infirmitatis, diffidentia sui. 3° Manet tamen per totos 38 annos ad probaticam piscinam; perseverantia, licet exspectandum diu. 4° *Tolle grabatum tuum,* idque in die festo; obedientia, cum contemptu respectus humani. Semper aliquid iniungi a DEO solet. *Quodcumque dixerit vobis, facite.* 5° Sanatus audit: *iam amplius noli peccare ne quid deterius tibi contingat.* Timere et cavere relapsum in peccatum seu tepiditatem. 6° Gratitudo, in laudando et praedicando benefactore summo. *Docebo iniquos vias tuas.*

17 Nov.

Domine, quem amas, infirmatur. Praeclara forma orationis in quacumque necessitate spirituali seu temporali. In desolatione et ariditate... simpliciter, cum fiducia et amore, exponendo miseriam. Respondit: *Infirmitas haec non est ad mortem.* Solatium simul et probatio. Differt Dominus remedium Lazari, ut maius bonum conferat. Interea probatur Mar-

tha, dum non ita eam exaudit, prout ipsa intenderat. Ita fere Dominus in nostris miseriis, ariditatibus, etc. Solatium tamen solidum: *infirmitas haec non est ad mortem...*

5 Dec. in Adventu.

Si cogito, qualis fuerit mundi status ante adventum Domini, quanti ergo aestimandum beneficium Divinum, quod non eo tempore, sed impleto iam redemptionis opere nasci me voluerit, tumque in illis locorum, personarum, temporum adiunctis, ut denique eo perduceret, ubi copiosae redemptionis abundantissime particeps fierem: o per quot beneficia plane singularia transire debui, ut tandem ad hoc summum vocationis beneficium, et in tali gradu, pervenirem!! Sed quid hucusque pro tam benefico Domino egi?... Ecce mundi miseria ante Domini adventum erat *effusio in creaturas, quaesitio sui ipsius, oblivio DEI.* Numquid non similia mala in anima mea? Quam merito ergo orandum: *Excita, Domine, potentiam tuam etc. Rorate coeli.*

11 Dec.

Quae cum audisset, turbata est in sermone eius et cogitabat... Tentata cogitat et tacet... O eximium perfectionis documentum... Ita etiam S. Franciscus Salesius pactum cum lingua fecerat, ut animo commoto lingua nullum verbum proferret.

12 Dec.

Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum. Inventae gratiae apud Deum non humanus favor, aut ut naturali sensu omnia ex voto fluant, sed prorsus contraria. Sed *ne timeas.* Gratia apud Deum summum bonum, quia verum, quia solidum, quia a nemine tibi invito rapiendum. At quomodo quaerenda haec gratia, ut inveniri possit? Ex nostra quidem parte: *Humilia te in omnibus,* quaecumque illa sunt, *et coram DEO invenies gratiam.* B. Virgo humilis *ancilla Domini, cuius respexit humilitatem Dominus.*

20 Oct. 1824.

Inops consilii saepe me haerentem invenio ac turbatum. « *Quomodo fiet istud?* » Sed responsum Archangeli cogitandum: « *Non enim erit impossibile apud Deum omne verbum* ». Et tamen in meis rebus non occurrunt quae miraculum requirant!... Pacem, *quoniam in te speravimus. In Domino confido, non erubescam; neque irrideant in me inimici mei.*

OCTIDUA

Lumina a Divino Spiritu accepta in Exercitiis Spiritualibus, quae Servus Dei, Praepositus Generalis factus, singulis annis Novembri Decembrive mense facere solebat, ipse in parvas chartas, 13.6×10 c. m., rettulit et in fasciculum collecta conservavit. Eorum pars longe maior, quae annos 1829-1846 complectitur, iam pridem anno 1891 Hagae-Comitis typis F. C. B. ten Hagen in lucem edita est, reliqua nunc primum publicatur.

Manuscriptum Romae in Archivo Curiae Generaliciae S. I. servatur.

1829.

Principium abnegationis

Quidquid placet vel hac sola de causa aversandum quia placet, quidquid displicet vel hac sola de causa amplexandum quia displicet; nisi aliqua iusta ratio aliter fieri suadeat, immo vero nisi *iubeat* iusta ac *vera* ratio gloriae divinae eiusque obsequii. Haec finis, cetera media. Sed nimirum, socordia et insanus amor proprius illudit et vix non in oblivionem abire facit principium coelestis sapientiae.

NB. In parvis etiam et minimis aeque ac in maioribus. Quid enim? si in minimis negligis, magna vix raro contingunt.

Dies 1.

Quidquid placet etc. ut *media* ad *finem* summe necessaria in praxi. Pro mea persona nil optabilius quam angustiae, sollicitudines, spinae, contemptus, oblocutiones, murmurationes etc. etc. Pertinent ista omnia ad illud: Reliqua super terram sita, proinde, quantum licet, cum indifferentia, immo vero cum desiderio.

Finis Societatis et *media.* Mihi vero, Superiori Generali! O Deus meus! O Sancte Pater! Quid non lubens pro Societate feram . . . ! Gravia valde superventura mihi sese obiecerunt [1], dummodo tamen usque sit Iesu Societas, Patris Ignatii filia. O Pater beatissime, indignam prolem respice!

Dies 2.

Peccatum Angelorum et primi parentis, quod *Caput* esset generis humani, severissime punitum. In meo hoc gradu omne peccatum multis partibus gravius, minus excusatione dignum; sequelae ac damna graviora ac magis universalia, lucrum ces-

---

(1) Anno 1811 Servo Dei, cum in collegio Polocensi theologiae operam daret, a R. P. Ioanne Hochbichler praedictum erat, eum aliquando Praepositum Generalem factum multa pro Societate esse passurum. Cfr. Testim. Aeq. p. 19-26.

sans ac damnum emergens pro universa Societate, denique *durum iudicium his qui* PRAESUNT.

Quam singularis Dei misericordia, qui a via perditionis nescientem quid mecum ageretur ad suum famulatum evocavit ac duxit et perduxit... Quo Deus meus...! Quid retribuam Domino *crucifixo!*

Sollicite ambulare cum Domino Deo meo, nisi enim... ulcus istud foedum et apostema saniem dabit peccatorum et vitiorum luem, cuius corruptionis ac putredinis et pravitatis inexhaustus in me fons exsistit, quem sistere et occludere sola Dei misericordissima gratia potest.

Ex parte mea frequens protestatio adversus peccatum quodcumque; *malle me praemitti ad infernum.* — Tempus: *examen* et *meditatio.*

Dies 3.

De *morte.* Haec in desiderio animae. Quando, Domine! *Educ de custodia!...*

De *iudicio. Beneficia* divina, quibus vix *dimidiato* correspondi; *peccata,* maxime languor habitualis in exercitiis spiritualibus; *opera bona,* animo semper recto et puro.

Dies 4, 5, 6.

Regnum Christi, 2 *Vexilla,* etc. In meo isto gradu plus quam quicumque e nostris teneor *quam proxime* sequi, in universali carnis, sensuum, honoris et commodi *abnegatione,* per paupertatem, contemptum ac dolorem. Atque utinam paupertas rerum et etiam indigentiae iterum se nobis offerret ut Patribus nostris; tum vero reflorescerent in Societate divitiae spiritus!

Offeram me cum integra et perfecta resignatione in vivum *holocaustum* sanctissimis manibus tuis, in omnibus.

Dies 7.

Jesus Christus, cui *debebatur* omne solatium, omne *gaudium,* terrenum et caeleste, omnis *honor* et gloria ab angelis et hominibus, omnes *iucunditates* ab omnibus creaturis huius universi et omnis omnium sensuum delectatio, *elegit* (quia ipse voluit) *omnia* in omni genere *contraria,* eaque *gravissima* ex omni parte et in gradu summo, et *simultanee* omnia perferre voluit, praesertim *in cruce.* O Dux et Imperator meus optime, sanctissime, amabilissime, quando tandem me in tuum socium accipies! *Unam petii, hanc requiram.* Fac de me quidquid tibi placuerit, dummodo tandem aliquando...

Victoria meiipsius:

1° Mane in surgendo.

2° In temporum punctuali observantia, abrumpendo actionem aut scriptionem aut lectionem, absque mora.

3° In eo quod ex una parte *prodigus* es temporis, ex altera *avarus,* et utrumque inordinate. *Cui* vita? *cui* tempus omne debetur?

4° Omnis importuna cuiuscumque interpellatio ferenda placide.

5° Cuicumque occupationi, scriptioni, lectioni *commodare* animum, non tradere, non *immergere.*

6° Examinis particularis usus servandus, et *fideliter* servandus.

Commendanda Nostris:

Exercitiorum spiritualium assidua tractatio et *studium,* tum zelus ea promovendi, et pro captu personarum confessariis S. Francisci Xav. exemplum proponendum.

Nostrorum esse, impense *in salutem* et perfectionem proximorum incumbere.

Timor Dei, peccati horror praecipue instillandi, maxime in institutione iuventutis. Multae industriae adhibentur, bene id quidem; sed nisi *timor Dei* et *horror peccati,* frustra sunt omnia.

Paupertas spiritus est omnibus Christianis necessaria ad salutem, *rerum* omnibus religiosis, sed qui vere perfecti esse cupiunt et famem habent sitimque iustitiae, paupertatem sectantur *indigentiae.* Nos quidem *pauperes facti sumus nimis;* sed alio sensu.

Christus eiecit vendentes et ementes a Templo: *auferte ista hinc etc.*

Architectus totus in ornando frontispicio, neglecta interiore domo et fundamento, imprudentiae convincitur, diu adhuc luendae et lugendae.

1830.

Dies 1.

1. *Creatus est homo* etc. Haec rerum omnium summa, hoc maximum, unicum negotium, solum *personale* ac *proprium* totum. Hoc si recte habeat, salva sunt omnia; si secus, nihil cetera omnia. Hoc autem cum totum per Dei gratiam a me ipso pendeat, hinc explicatur mysterium illud: *Iustum non contristabit quidquid ei acciderit,* et: *Regnum Dei intra vos est, Gau-*

dium vestrum nemo tollet a vobis, Delectare in Domino. Unde ergo *anxiae* sollicitudines? *Notum fac mihi, Domine, finem meum ut sciam quid desit mihi. Universa vanitas omnis homo vivens, sed et frustra conturbatur.*

2. *Reliqua super terram* etc. Absque differentia nos habere. Cavendum vero maxime, ne in iis quae naturae grata eveniunt delecter, nedum ea appetam, aut quaeram, quin potius *abhorrenda* omnino et non ex parte, ne delecter nisi in Domino. *Respice finem. Quidquid placet* etc.

3. *Finis,* quatenus sum religiosus Societatis Iesu, *Sacerdos, professus, Superior, Generalis,* quid non exigit, quid non imponit?

1° *Internae virtutis studium,* utique in hoc meo statu ac gradu requiritur maiori rigore quam in quoquam e nostris. Certe quantumcumque fecero, parum semper fecero, ne *inutilis* quidem *servi* nomine umquam dignus.

2° *Externae exemplum* (Superior Generalis speculi et exemplaris loco esse debet), ut possim esse *forma gregis factus ex animo.* Benignitas, mansuetudo, patientia, fortitudo et animi generositas, modestia, prudentia, aequabilitas, in opere et sermone, in agendo cum proximis, externis et nostris, in recreatione et colloquis etc. Haec duo in meditationibus et examinibus semper prae oculis.

3° *Responsabilitas,* coram mundo, Societate, Ecclesia, *Deo* praesertim. Haec vere onus imponit *horribile*... tum per se tum quia, qui mihi assistentes, consiliarii, custodes dati sunt 1° in plurimis, quae gravissima non sunt et evidentissima, partim caritate, partim reverentia, dissimulabunt, tacebunt; 2° in negotiis et rebus etiam gravibus, cum ipsi, ut in plurimis ac fere omnibus, non debeant singuli *in solidum* respondere, facile accidet, ut minus ipsi graviter res apprehendant, minus eas accurate ponderent, eo nixi, ut fit, ratiocinio: est qui de tota re respondeat, ipse tandem viderit. Hinc maturitas summa in deliberando mea sit necesse est.

Ergo recta ac pura semper in omnibus intentio prae ceteris procuranda, secundum lumina rectae rationis ac fidei, orationis et considerationis praesidiis *purgata.*

Ceterum *in Domino sperans non infirmabor. Spera in Deo et fac bonitatem. Spera in Deo et ora eum et ipse faciet.*

4. e 5. Repetitiones aridiores fuere, causam nescio. Domine, miserere!

Dies 2.

Med. 1 *et* 2. Aridae valde, causam puto fuisse aliquid complacentiae de luminibus hesterno die habitis. Domine, miserere!

3. *Repetitio. Angelorum peccatum et poena.* Spirituum istorum gradus sublimis et gratiae singulares, quibus gratis omnino erant donati, nec securiores ipsos reddiderunt a lapsu, nec mitiorem in illos divinae iustitiae severitatem, immo potius contrarium. Durum iudicium his qui praesunt et potentes potenter tormenta patientur.

Primi parentis peccatum et poena. Quanta universum genus humanum corruptio invasit! Tremendae sequelae peccatorum, quae a capite, a duce, a superiore committuntur. Quam multis exemplis idem comprobatur in ducibus ac regibus populi Israel. Quanta ratio mihi ambulandi sollicite cum Domino Deo meo, ne propter meas culpas Societas universa detrimentum capiat. Supplicandum Domino saepe ut me prius vel morte vel alia ratione ab Societatis gubernaculo removeat, quam illam propter meam culpam damna pati permittat.

Certe nihil solatii cuiuscumque, nihil maioris securitatis ex gradu et officio mihi capere licet, quin potius longe magis timendum et vigilantia acuenda et sollicitudo de me ipso augenda, ut salver ipse et salvem alios.

Tenere ob oculos corruptionem mei totius, pravitatem animae et corporis foeditatem. Idem enim ego foedum ulcus et apostema, ex quo tanta sanies peccatorum, tantaque lues vitiorum.

4. *Repetitio,* misera quia somnolenta vel certe torpore veluti sopore obruta ac vitiata. Domine, miserere!

Quantas debeo gratias benignissimo Deo, qui me adolescentem, in viam perditionis declinantem, dignatus est vocatione sua sancta et eo me nescientem fere perduxit, ubi agnito perverso studiorum meorum ordine vitam deinceps secundum Ipsum recte ordinarem et, perspecta ac damnata mundi pravitate, a rebus vanis ac mundanis me reciperem! Quam multi iuvenes, me longe meliores, in mundi turbine relicti, dein in fallacias ac insanias falsas ac scelera abrepti, fors misere perierunt aut peribunt! Quibus scilicet sol iste intelligentiae non ita illuxit. Quid vero si in hoc tanto lumine ego non ambulem digne vocatione mea!

5. *De inferno.*

Quae boni cuiuscumque delectabilis privatio, quae mali afflictivi tolerantia, in animo aut in corpore, videri esse aliquid potest in comparatione inferni! O gratiam, o misericordiam! *In imagine pertransit homo.*

Patienter meministi, animam meam in hoc corpore, velut in ergastulo inclusam, agere, meque in hac miseriarum valle

inter bruta animalia exsulare, donec educamur in libertatem filiorum Dei.

Dies 3.

1. *Homo cum mortuus fuerit* et nudatus omnibus bonis externis.... Quam bene, a rebus vanis ac mundanis tempestive se recepisse! Consumptus, tum demum corporis mei foeditas tota quanta patebit, dissoluta nive quae illam tegebat, ceterisque velis aut involucris sublatis.

Ubi quaeso est? Quod ero coram Deo, hoc ero, nec melior nec deterior quam qualis Eius oculis comparebo.

Bonum et malum, hoc iam non emendandum in aeternum, illud non amplius augendum nec perficiendum in aeternum! Fit punctum.

O Domine, vocabis me et ego respondebo Tibi, operi manuum tuarum porriges dexteram. Tu quidem gressus meos dinumerasti, sed parce peccatis meis.

2. *Iudicium particulare.*

Iudex. Quam turpe foret ac pudendum, quam triste ac lamentabile, si coram hoc Iudice meo alius comparerem ab eo quem me ipse credebam; si rationes, quas satis bene compositas existimabam, intricatas coram Eo ac male ordinatas et confusas reperirem; si minus habens inveniar iuxta pondus sanctuarii. Quis horror, quis tremor, quae desperatio, in malo iam irreparabili!

Illumina, Domine, oculos meos, ne umquam obdormiam in morte!

Ratio exactissima:

de beneficiis, o quot et quantis, qua gratitudine accepta, qua fidelitate custodita, quo fructu impensa?

de officiis, quam sedulo, quam diligenter, quam fideliter, quam recte gesta, per debita *media* ad propositum sanctum *finem?*

de peccatis, qua poenitentia deleta, expiata, vindicata, qua cura, quo labore expuncta, emendata?

de virtutibus, quam studiose, quam pure, quam fortiter, quam constanter exercitae, auctae, perfectae?

Quam ergo non leviter, non oscitanter, non tepide agendum!

Quam non facile, immo numquam exstimandum, *satis esse* factum!

3. *Repetitio.*

Quantum ab illusionibus timendum! Quanta cura serviendum fideliter Domino ne lumina sua, tantopere in hac tenebrarum valle et praesertim in hoc meo gradu et officio necessa-

ria, subtrahat! *Deus misereatur nostri, illuminet vultum suum super nos ... ut cognoscamus in terra viam tuam.*

4. *Iudicium universale.*

Quam plena ibi ac superabundans fiet iustis restitutio famae, bonorum, integritatis membrorum ac vitae. Vere *centuplum* et ultra. Isti dicunt: *Ubi est dies Domini? Veniat. Ego autem non sum confusus,* te pastorem sequens et *diem hominis non desideravi. Non timebo quid faciat mihi homo.*

Dies 4.

1. *De regno Christi.*

Neminem fore sanae mentis qui non cupidissime Christi servitio se totum offerat et addicat.

Qui se obsequiis Illius prorsus duxerint mancipandos, etiam maiora et praeclariora quaedam munera oblaturi sunt.

2. *De Incarnatione.*

Genus humanum totum, rebus vanis ac mundanis mancipatum, sub rebellione carnis, sensuum, amorisque proprii ac mundani, Creatori suo rebelle, a fine suo prorsus aberrans in aeternam perniciem. Patris praevaricatoris filii, praevaricatores ipsi patre peiores. Scelera sceleribus cumulant, sub damnatione positi, damnationem ipsi suam quasi certatim confirmant. Talia verba, talia opera.

SS. Trinitas. Sola sua misericordia mundum, sceleribus mersum, salvare constituit ac pereuntibus omnibus remedium offert, idque cum ad summum excrevisset hominum perversitas ac bestialitas.

Numquid similem Domini misericordiam et nunc non speremus?

Gabriel angelus. Quam idoneus, qui fidelis manserat inter tot socios suos, nunc rebelles daemones! Quam diversa horum utrorumque nunc sors est! Talis et hominum, qui vel finem Creatoris consequuntur vel illo excidunt.

B. V. Maria. O gloria gentis nostrae! O dilecta Deo et electa, quae sola praevaricationis expers gratiam invenisti pro nobis omnibus, qui sumus gens tua et cognatio tua! Quae tibi laudes, quae tibi gratiarum actiones? Nam fis Mater Dei, Regina angelorum et hominum, sed nonnisi quia consentis fieri *Regina Martyrum!* Disquisitis studiose verbis compellare Patrem, Filium, Spiritum Sanctum. *Gloria in excelsis ...*

3. *Nativitas Domini.*

B. Virgo in suo itinere etc. Vere *gloria filiae regis ab intus.* Quis in paupere uxore pauperis Ioseph Reginam coeli ac terrae agnovisset?

Ioseph, cura ac sollicitudine, ut caput sanctae Familiae, sed nil obtinet ab ignorante ac ingrato mundo. Laus Deo! Cum sponsa adorat sapientiam in mysterio absconditam.

Ancillula, minus sapiens, acrius institerit pro obtinendo hospitio, sed tandem, exemplis Ioseph et Mariae, et ipsa resignata.

Sed dulcis *Iesus,* quoniam ipse voluit, primam vocem similem omnibus emittit plorans. Sic nasci *elegit*... quod ad *finem* sic conduceret.

4. *Repetitio.*

5. *Applicatio sensuum.*

Ancillula, quae haud dubie profecerit ex tam sanctis exemplis, mihi imitanda, cum B. V. et SS[i] Sponsi exempla sublimitate sua captum meum superent.

Audire, praeter monita mihi personalia, divinus infans admonet de officio: *Insta oportune importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina, vigila, in omnibus labora, opus fac evangelistae, ministerium tum imple.*

Dies 5.

1. *Fuga in Aegyptum.*

Dei providentia. Persecutiones, indigentia, contemptus, dolores, non abundantia rerum, non honor, non commoda. Coniicit in pericula et in tribulationes multas ut eripiat. Haec maiora et praeclariora munera.

Angelus triste nuntium adfert, nil minus promptum quam quum laeta nuntiare iubetur, fidelis minister *qui facit verbum eius, ad audiendam vocem sermonum eius.* Haec dispositio mihi generose imitanda, sive placentia loqui sive displicentia pro meo munere debeam.

Ioseph. Sollicitudo maxima, sed, cum resignatione et fiducia, obedientia promptissima.

Virgo M. et divinus Infans. Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante Te.

Multa utique tum in fuga, tum commorationis tempore in Aegypto passi sunt. Quis utique vel cogitatione assequatur? Tamen salvi et incolumes.

2. *Vita Domini abscondita.*

Oboedientia, exsecutionis, voluntatis et iudicii etiam, mente ad Deum Patrem erecta, imitanda mihi erga S. Pontificem. *Virtutes* vitae privatae, *benignitas,* mansuetudo, etiam erga eos qui *molesti* et *importuni* aut iniuriosi, absque ullo umquam *impatientiae* aut *perturbationis* aut *fastidii* signo, perpetua *affabilitas* ac *suavitas,* simplicitas, modestia, *silentium.*

Fabrilia exercet, ita bene impensum tempus ab Eo qui est aeterna Sapientia et Omnipotentia, quia haec voluntas Patris. *Sacrificium temporis.*

3. *Repetitio.*

(*Sub vesperam perturbatus ordo, quod ad Pontificem moribundum* (1) *vocatus essem cum quibusdam aliorum Ordinum Generalibus*).

4. *De 2 Vexillis.*

Uterque dux *omnes* advocat.

Lucifer mittit innumeros suos ad nocendum, nullis civitatibus aut locis, *nullis* personarum generibus *immunibus* relictis. Ergo nec religiosi Societatis, nec eorum domus immunes, nec quisquam illorum, quocumque gradu aut loco sit.

Dies 6.

1. *De 2 Vexillis.*

2. *De 3 hominum classibus.*

Non iam adeo de carnis, sensuum, amoris proprii ac mundi rebellione quam de eorumdem quattuor *illusione* cavendum.

Acceptare, desiderare, eligere.

Acceptare quae sensui ac naturae contraria divina Bonitas immittit, facilius est, etiam cum gaudio partis superioris.

Desiderare etiam non difficile ... modo ne lumen sapientiae obscuretur.

Eligere difficilius, ob periculum *illusionis* sub praetextu valetudinis, decentiae, boni universalis etc., ne specie boni deceptus a vero bono divellar. Quantum hic *lumen Dei, quanta* deliberationis puritas requiritur; quanta item vigilantia et arrectus oculus intentionis et auris cordis arrecta ad Domini vocem!

Quo plus subtrahitur naturae ... eo melius. Quidquid placet etc.

3. *De 3 modis humilitatis.*

4. *Repetitio.*

5. *De investiganda divina voluntate et cordis dispositione.*

1° *Quid a me Deus? Spera in Deo.* Maior fiducia et derelictio mei rerumque mearum omnium in manus Domini, quae hucusque tam misericorditer ac miserabiliter me ac mea gubernarunt, sed simul *fac bonitatem.* Item pro Societate *vigil* sollicitudo et opera strenua, sed cum maiori fiducia in Eo cuius causa est, non nostra.

2° *Quid ego a Domino?* Pro me quid, Domine, nisi veram sanctitatem. Nil refert rerum copia, hominum aestimatio, sa-

(1) S. P. Pium VIII, qui obiit d. 30 Nov. 1830.

nitas, vita longa, an contra inopia, contemptus, aegritudo, vita brevis; immo haec in desiderio animae, si solum aequalis gloria tua. Sed...

Pro Societate, quod hominibus non satisfaciat minus dolendum, sed quod tibi...!

3. *Media,* humilitas, maior *compunctio, sermo parcior* et frequentior et ardentior *oratio.* Tanta deprecanda, tanta postulanda!

Domine, quid me vis facere? Domine, quid me vis pati? Domine, quid me vis fieri?

Dies 7.

1. *Christus Dominus in horto.*

Ille nostras voluit perferre *infirmitates,* ut suam nobis conferret *virtutem.*

In tristitia, in taediis, in timoribus... *Pater, si possibile est... verumtamen...*

Christus Dominus *tristis* quidem etiam apparere voluit exterius, internam tristitiam signis externis manifestans, non tamen *tetricus* aut *inamabilis* fuit, sed etiam tum *dulcissimus* cum corde esset amarissimo.

2. *Christi Domini comprehensio et perductio ad tribunalia.*

Patitur Dominus *ingratitudinem* Iudae etc., *violentiam* ministrorum comprehendentium, ligantium, raptantium, *stuporem* populi concurrentis, *clamores* tumultuantium, *superbam dedignationem* Annae, Caiphae, principum etc., *malignam exsultationem* inimicorum, *calumnias* atroces in iudicio et extra, *alapas, colaphos, sputa* et quidquid est *villaniae, malitiosam interpretationem* dictorum ac factorum suorum, *irrisionem* ut stultus, amicorum *derelictionem, abiectionem, silentium, condemnationem* iniustissimam a iudice innocentiae eius conscio, *rabiem* populi et *odium* inexplicabile etc. etc. Omnia suffert *humilis* et animo *pacato.* In *humilitate* iudicium eius sublatum est.

Quam exigua, quam nulla, quae mihi in honore ferenda sunt, aut umquam erunt! Lubens indue *vestes* et insignia Domini, sed in *humilitate* et *pace.*

3. *Flagellatio, spinae, crucifixio.*

Qui dilexit me ac tradidit semetipsum tot tamque immanibus *tormentis pro me.*

Quid erit unquam doloris, quod non *humiliter* ac *patienter,* etiam *libenter* ac gaudenter, quantum ad partem superiorem, acceptare ac ferre debeam! *Commodorum* vero quantum *pudere* debet Iesu *Crucifixi* socium, ceterorum etiam sociorum Generalem!

4. *De mysteriis in cruce gestis.*

5. *Applicatio sensuum ad Christum crucifixum. Sub umbra Illius quem desideraveram sedi.*

(Extra meditationem intellexi nihil profuturum quod desiderem pati et contemni, quod etiam in occasionibus libenter talia excipiam, nisi *me ipse* vere et ex corde *contemnam,* me *vilem, vilissimum,* omnium indignissimum et *pessimum, intime,* non solum pia voluntate sed *persuasione intellectus,* cognoscam. Absque hac animi dispositione omnia, etiam praeclarissima, *illusioni* obnoxia, eo periculosiori quo in specie sanctiori. Hinc assidue orandum: Domine, noverim me! nec fidendum luminibus in meditatione habitis, nec credendum bene successisse orationem, nisi vere atque intime humilior, i. e. magis de mea vilissima vilitate et indignitate convictus, surrexero).

Dies 8.

1. *Resurrectio Domini.*
2. *Ascensio.*
3. *Repetitio.*
4. *Consideratio de amore divino.*

Nil novi luminis.

Reformanda

Verba otiosa, loquacitas sive in recreatione sive alias.

Temporis cura sollicita, praesertim brevium intervallorum.

Lectio S. Scripturae, Instituti etc.

Proc. Generalis rite expedienda, Collegium Romanum, ut omnium Provinciarum, dotari cum oneribus.

Eorum qui non recte vivunt vel emendatio vel separatio a corpore.

(Encyclicae de *Exercitiis Spiritualibus* (1), de *Oboedientia* (2)).

Examinis particularis usus urgendus. De defectibus pro ratione necessitatis; et exercendo virtutes:

erga Deum, caritatis, fiduciae, resignationis, oblationis, zeli, praesentiae memoriae, intentionis;

erga proximum, affabilitatis, mansuetudinis;

in me ipso, humilitatis, modestiae, mortificationis.

---

(1) Epistola encyclica *De Spirit. Exerc. S. P. N. studio et usu* exeunte anno 1834 scripta est. Vide infra Ep. IV.

(2) Epistolam separatam de Oboedientia ad universam Societatem non misit.

1831.

Dies 1.

1\. 2. 3. *Principium et* (ex Hisp. S. P. *y*) *fundamentum. Principium* in theoria, quod ipsum probandum non est, sed ex ratione et fide praesupponitur. Quodsi probari quis velit, maxime fiet ex absurdis, quae ex alio quovis principio sequerentur. *Fundamentum,* cui totum aedificium vitae spiritualis innititur.

Quidquid peccatur, ex huius principii et fundamenti oblivione vel negligentia peccatur. Et mihi et aliis, pro munere et officio, principii regula opportune semper admovenda.

Creatus est homo. Deus ex infinito possibilium sibi thesauro me elegit, vocavit (vocans ea quae *non sunt* tamquam ea quae sunt), posuit *hominem,* dans existentiam tota aeternitate duraturam. Quanta supremae maiestatis dignatio, ut Ipsi Domino meo *laudem, reverentiam, famulatum* praestem et haec agens (« mediante esto ») salvem animam meam! O Deus meus, hic tuus simul et meus est finis! Tuus ut Dei, meus ut hominis; tuus ut Creatoris, Salvatoris, Glorificatoris, meus ut creaturae, salvandi, glorificandi; tuus ut Patris, meus ut filii; tuus ut Opificis summi, meus ut instrumenti *in manu tua,* modo ne resistam.

Ad *reliqua super terram* pertinent etiam officium impositum et molestiae ac tricae cum officio coniunctae, etiam eae, quae a subditorum vel imperfectione vel malitia oriantur. Omnia ista ad *laudem* Dei et ad salutem et perfectionem *adiuvare* me et possunt et debent. Non ergo in his angustiari animo et nimium affligi. *Laus Deo! Vere dignum et iustum est, aequum et salutare.* Mihi iugi memoria et intentione *finis* cavendum monet a multis *otiosis,* cogitatione, verbo, opere et in usu sensuum, *oculorum* praesertim et *linguae.* Examen particulare.

Finis creationis etiam ad *caritatem* erga quosvis homines mire valet et ad zelum commiserationis erga errantes ac pereuntes. Et Nomini tuo magno, Domine, quid facis, permittens talia ac tanta!

4\. Vocatus, electus (mira Domini dignatione) *Christianus, religiosus Soc. Iesu, sacerdos, professus, superior, generalis,* ad laudem *maiorem* et *maiorem* reverentiam et famulatum *fideliorem, promptiorem, utiliorem,* Domino exhibendum, per me et per alios, o quantum debeo et quam procul absum et abero semper ab eo quod tot nomina requirunt!

Praepositi Gen. Soc. Iesu qualis debet esse *oratio,* qualis *mortificatio,* qualis *conversatio,* qualis *zelus...* Ignatii non filius modo, sed successor! *Miserere mei, Deus! Vide humilitatem meam et laborem meum* et dimitte.

Ante Te omne desiderium meum et gemitus meus.

Notum fac mihi, Domine, finem meum, ut sciam quid desit mihi. Et Tu, Domine, usquequo?

5. *Repetitio.*

Cum munus Praep. Gen. nil habeat *boni* pro me, cum minimus gradus gratiae spiritualis infinitis partibus melior sit quam qualiscumque dignitas humana, cum immo potius habeat rationem *mali* ob graviora pericula et ob durum iudicium his *qui praesunt,* tamen illud habebit, si modo non obdormiam in morte, ut calcaris instar sit et acriter stimulet ad perfectionem propriam serio nec segniter procurandam, ne in illud turpissimum incidam: « qui alios doces, te ipsum non doces? » et hominibus perfectis praepositus, ipse in imperfectionibus sordescam et marcescam!

Dies 2.

1. Angelis peccantibus non *pepercit,* mihi peccanti *pepercit,* et quam benigne, quam liberaliter! Scilicet quia *pro me* Filio suo unigenito non pepercit.

Ex Adami peccato corruptio pervasit totum genus humanum, quae corruptio mei totius, animae et corporis, ex peccatis meis actualibus esse debet. Quid vero, si mea peccata, ut capitis, Societati universae corruptionem immittant! Ne sinas, Domine. De me quidem fac ut vis; corripe, verumtamen in misericordia.

2. *Praesentis vitae peccata.*

1° Negligentia seu torpor in oratione, partim defectu accuratae praeparationis, partim ex negotiorum sollicitudine, quandoque ex neglecta custodia sensuum.

2° Otiositas cogitationum, verborum, oculorum, ex quibus aliquando phantasmata *mihi* periculosa.

3° Verborum non modo otiositas, sed quandoque profusio et imprudentia.

4° In praeparatione ad confessionem aliquando defectus ex distractione.

5° Nimia sollicitudo in negotiis, hinc interdum asperitatis aliquid et tristitiae et impatientiae erga eos quibuscum versor assidue.

Quam porro peccatum quodvis et imperfectio turpior in Praeposito Generali Societatis!

3. & 4. *Repetitio.*
5. *De Inferno.*

Dies 3.

1. & 2. *De morte. De iudicio.*

Bonitas *respectiva,* praeterquam quod fallax et illusionibus multis obnoxia, nequaquam sufficere potest homini ad perfectionem tantam tam multis tamque efficacibus modis vocato, impulso, adiuto.

3. *Repetitio.*

4. *Arborem fici... ut quid terram occupat?*

Dei est miserantis infirmitatem meam, non ostendere mihi veram imaginem animae meae in omni sua sterilitate et miseria. Sed certe vix quidquam praeter *folia,* fructus autem vel acerbos vel vietos, et hos ipsos paucos nimium pro ratione terrae, in qua sum, et ficulneae (Christi), in qua sum insitus, et curae caelestis agricolae, et roris abundantiae etc.

Offerre me Domino toto corde et animo, ut seu putando seu incidendo vel etiam praecidendo ramos, seu *fodiendo* et mittendo stercora, curam porro mei gerere ne dedignetur, dummodo ne *succidat* me et a terra sanctorum evellat ac proiiciat.

Similiter orandum pro universa Societate, vinea illa, quam plantavit dextera sua.

5. *De filio prodigo.*

Licet pater ita deinceps cum filio egerit, ac si errati eius plane non meminisset, debuit tamen filius verecundiam et ruborem quemdam conservare semper, ne forte insolesceret iterum, merito etiam eo magis erubescere ipse in se, quo benigniorem patrem experiebatur. Hic certe meus esse sensus debet de peccatis praeteritis, idque eo magis quod de eorum remissione *certus* non sim.

Vere quidem *incredibilis* est Dei tanta bonitas et liberalitas erga peccatorem et tepidum ac negligentem, etiam post conversionem, sed nimirum *magna* misericordia Domini et bonitas *infinita.*

Quid est quod negligentiae meae, quia non videantur supinae et graves, tam parum me afficiant, quod de illis tam parum erubescam et doleam? Utique si verum est, non esse supinas, non esse graves negligentias meas (quod utinam ita sit et non caecutiam ego ob defectum luminis practici et cognitionis meiipsius), tamen hoc esset liberalitatis et misericordiae Dei, pro qua ego ingratissimus sum, si maiori fervore ac diligentia tantis Eius muneribus non respondeam. O multam et inextricabilem miseriam meam!

Dies 4.

1. *De regno Christi.*
2. *Repetitio.*

In similitudine Regis terreni 1° qualis *Rex,* 2° qualis *expeditio*, 3° quales *conditiones.*

Applicatio.

Rex Christus Dominus . . . vocat totum mundum et unumquemque in particulari (a cada uno en particular), me o quam particulariter, quam singulariter immo, vocavit et vocat!

Expeditio Christi quam nobilis, quam optabilis unicuique successus, quam stupendis conditionibus ad eam vocat!

NB. Paupertas, labores, aerumnae, contumeliae, dolores et mors Christi simul et *magnitudinem* operis ostendunt (quam enim magnum illud sit necesse est, pro quo Verbum Dei non dubitavit talia ac tanta facere et pati!), simul *media* demonstrant, quibus opus illud feliciter exsequendum sit. Neque enim aeterna sapientia potuit non eligere media aptissima.

Neminem fore sanae mentis (*todos los que tuvieren juicio y razón*) *qui non se totum offerat* (*todas sus personas*) Christi servitio (*al trabajo*).

Deus bone! quam pauci ergo sanae mentis, inter mundanos, inter Christianos, inter Ecclesiasticos, inter religiosos, inter ipsos Societatis homines! Quam vere stultorum infinitus est numerus! Et ego de me, tam singulari modo vocato, quid sentiam, qui tam tarde, tam pigre, tam parum toto me (toda mi persona) ad sequendum Christum me applico!

Et tamen plus longe ab iis exspectatur, qui se obsequiis illius prorsus duxerint mancipandos (los que más se querrán afectar y señalar en todo servicio de su Rey); scilicet praeclariora munera hi offerent, non solum seipsos totos ad laborem (*sus personas al trabajo*), sed « haciendo contra su propia sensualidad, y contra su amor carnal y mundano ».

NB. Intellige, etiam in rebus alioqui licitis. Vox illa in versione latina: *expugnata... rebellione* non respondet omnino textui originali. Et oblatio fit et perfectione maiori et supererogatoria, ex amore Christi et Eius imitandi desiderio: « *de imitaros en pasar todas injurias, y todo vituperio, y toda pobreza, así actual como espiritual* ».

Et qui sunt illi qui censeri debent duxisse se obsequiis Christi prorsus mancipandos, et velle in Eius servitio insignes esse (*señalarse*), si non sumus nos, qui in *Societatem* Iesu vocati, si non ego, qui Societatis huius Praepositus Generalis et

Ignatii successor!!! O Domine, miserere... *Usque quo Domine, usque quo? Tempus faciendi Domine.*

Non est aliud, nisi antiquum illud *Quidquid placet...* urgere et exsecutioni fidelius mandare.

3. *De Incarnatione Domini.*

1° *Mundus.* Quo statu erat? Quam perversus, quam bestialis, quam detestabilis! Etiam ille populus electus, in cuius sinu homo fieri voluit! Si naturam hominis, dum integer ille erat, Filius Dei suscepisset, fuisset etiam haec exinanitio infinita sui et dignatio infinita erga hominem; nunc vero, cum tale esset genus humanum, ita degradatum, ita vile et indignum, quid? *Exinanivit se, formam servi,* sed talis servi, *accipiens.*

2. Et nunc qualis mundi status, non solum inter gentes quae Christum ignorant, sed etiam inter christianos, inter catholicos ipsos!?!

Eo magis decet Socium Iesu hoc supremum beneficium honorare et praedicare, verbo, opere, devotione, *imitatione* praesertim, sensa fovendo mundanis contraria, eaque sensa verbis et factis manifestando ad Christi Iesu Regis summi maiorem gloriam. Tanto studiosius, quanto Ille habetur a mundo indignius.

Dies 5.

1. *De nativitate.* Paupertas, contemptus, dolor.

2. *De circumcisione.*

1° *Circumcisus est puer,* probrosum signum servi et peccatoris suscipit sponte, noluit uti privilegio, immo iure suo, cum lege non teneretur, sed *elegit* hanc primam subiectionem legi, cui dein toti, circumcisione suscepta, subiectus mansit.

2° *Vocatum nomen Eius Iesus.* Nominis possessionem adit hac cruenta caeremonia, plena *humiliatione* et *dolore;* ita officium adit Salvatoris. Vocatus in *nominis* et *officii* societatem, ni spiritum etiam humilitatis et mortificationis induam, nihil sum, nec ad meam salutem et perfectionem, nec ad aliorum efficax iuvamen. Hoc vel *a priori ex* Iesu Christi exemplo manifestum est. Quid, si a *posteriori* ratiocinabimur?

3° *Mater.* O quantum Ei constat maternitas divina! Quantum laboris, doloris, afflictionis, in Filio et propter Filium! Quam merito in annuntiatione, annuens ac se divinae subiiciens voluntati: *Ecce ancilla Domini, fiat.* Quam digna propterea honore et gratitudine nostra!

3. *De fuga in Aegyptum.*

Providentia admirabilis, quae puerum Iesum paullo post Praesentationem in templo ita exercet. Cum toties me offeram

Deo, desiderandum humiliter ut etiam me exercere dignetur. *Proba me, Deus, et tenta me, ure renes meos et cor meum.*

Fuga ista fuit ad gloriam Patris. Si quid dispersionis aut fugae Societati accidat, optandum 1° ut non sit poena infidelium, sed probatio virtutis; 2° ut gloriae divinae serviat per virtutes saltem a Sociis exercendas, si minus possint per apostolatum; 3° fiducia habenda in amabilissima illa Providentia, 4° *sollicitudo* de duratione exilii proiicienda in Eum. *Esto ibi usque dum dicam tibi.* Quid non exspectandum a Domino, si fuerimus in tentatione ac probatione fideles!

4. *De vita Christi abscondita.*

Puer Iesu crescebat sapientia. Crescere semper necesse est, praesertim in *sapientia,* recta rerum aestimatione et *prudentia* ante Deum et homines.

Nil magis impedit quominus *crescam* quam illa subtilis cogitatio, qua mihi velut *satis* facere videor, quia scilicet non satis me applico ad cognoscendum *quid desit mihi,* sed potius me consolor eo, quod est merae liberalitatis Dei, qui quantumvis exiguos conatus iuvare solet; non utique ut in donis suis conquiescam, sed ut ad ulteriora me extendam. Alioqui, non crescere decrescere est, et semita iusti... si non procedit et crescit, quam timendum ne non sit vere semita iusti.

Denique, nullum certius et efficacius medium ad crescendum quam afflictionem tolerare. *Sustine ut crescat in novissimo vita tua.*

Notum fac mihi, Domine, finem meum ut sciam quid desit mihi.

Dies 6.

1. *De duobus Vexillis.*

Lucifer spargit suos, nullis personarum generibus immunibus relictis, immo nulla persona in particulari relicta immuni (no dexando... estados ni personas algunas en particular).

Praeter illos laqueos et catenas cavendae etiam eius *fraudes,* cum antiquus sit veterator et Dei servos conetur sub specie boni a vero bono divellere; quamquam in his fraudibus *superbiae* laqueus numquam fortasse desit.

Christus mittit suos, ut primum trahant ad *summam* paupertatem spiritualem, « *a suma pobreza espiritual...* »; idem dicitur in colloquio « *en suma pobreza* ».

Nostrum est et *meum praecipue,* ratione officii, vigilare, ne in castris nostris Lucifer signum erigat suum, attentis illis tribus laqueorum generibus et praeterea fraudibus eius et illusionibus. Sed immo meum est, Christi hoc vexillum, ante om-

nia inter nostros, erectum et in propatulo in omnium conspectu positum conservare, et ut sub illo vere ac generose ab omnibus militetur curare.

2. *De tribus modis humilitatis.*

3. *De tribus hominum classibus.*

Ut ad tertiam classem *vere* pertineam:

1°. Mortificanda studiose illa cogitationum, verborum, oculorum *otiositas,* quam notavi multorum defectum originem simul esse et materiam.

2°. *Quidquid placet* etc. maiori vigilantia et assiduitate exercendum.

3°. *Maxime omnium* me measque res omnes ita in Deum proiicere, ut adversis aut molestis ne *angar,* etiam sub specie boni maioris, et animum generose paratum servare ad *contradictiones, oblocutiones* etc. etc. et *graviora* etiam quaevis in hoc meo munere, si tanto bono Deus me dignaretur, nulla tamen ad id data per me occasione.

4. *Repetitio.*

Dies 7.

1. *Christi dolores interni.*

Tristitia, praesertim contritionis ob peccata nostra, exemplar simul et causa meritoria contritionis nostrae, ut meam insensibilitatem, meum frigus compenset Patri. (*Pro praeparatione ad confessionem*).

Pavor.

Taedium, ob ingratitudinem ac tepiditatem suorum; quid de me?

Prolixius orabat. Ad exemplum pro tempore tristitiae ac taedii et hoc et cetera in horto gesta a Christo, ut alias saepe meditatus sum.

2. *Christi opprobria.*

Tacita hominum de Christo *iudicia,* cum Eum ita haberi viderent a Sacerdotibus etc.; imminuta, immo obiecta omnis *opinio* concepta de Eius sanctitate et miraculis. *Oblocutiones* et *murmurationes,* v. g. Iudae cum Sacerdotibus.

Amor Christi constans erga illos omnes praecipue mihi imitandus erga eos, qui male de me rebusque meis et de gubernandi ratione sentiunt et loquuntur, ut eos peculiari affectu complectar et Domino in oratione commendem. Sunt hi insignes *benefactores* mei.

3. *Christi dolores corporis.* Flagellatio, spinae, crucis tormentum.

Talia ac tantorum tormentorum supplicia sustinuit *lubens ac volens,* ut quantum valeat gloria Dei et animae salus et

gratia divina, et quam enorme sit peccati debitum, et quam incomprehensibilis divinae iustitiae severitas intelligamus.

Si me divina Bonitas a morbis ac doloribus praeservat dum laborare possum ad Eius gloriam (utinam vere ac strenue!), optandum saltem, ut ubi haec ratio cessabit *doloribus* non parcat.

4. *Repetitio trium,* in contemplando Crucifixo, in quo sunt omnia.

5. *Applicatio sensuum in monte Calvariae.*

Dies 8.

1. *Resurrectio Domini et apparitio Matri suae.*

Tanta resurrectionis gloria et felicitas omnem dolorem in morte Filii conceptum abstergit, nunc fructu gaudet illius sui: *Ecce ancilla Domini. Secundum multitudinem dolorum in corde meo consolationes tuae laetificaverunt animam meam.*

Ad hanc tantam laetitiam vel ipsi dolores illi tanti, sub cruce tolerati, evanescunt, ut ipsi Christo Domino omnia illa atrocissima, quae passus fuit, nihil sunt prae hac praesenti gloria.

Matri ad plenum solatium et gaudium sufficit quod Filius vivat gloriosus, libentissime etiam quod sibi reliquum est vitae inter quascumque tribulationes transigit. Sufficit ei quod Filius glorificetur. Eius gloria sola desideriorum matris est meta. *Delectare in Domino.*

Et ego in vitae huius casibus, in calamitatibus seu privatis seu publicis, facile me solabor, si nil nisi Iesu gloriam cogitabo.

Gratias agimus Tibi propter magnam gloriam tuam. Quoniam Tu solus sanctus, Tu solus Dominus, Tu solus altissimus.

2. *Ascensio Domini.*

Praebuit seipsum vivum in multis argumentis ... loquens de Regno Dei. Et mihi in multis argumentis praesentem se manifestavit et locutus est internis vocibus de Regno Dei, de Societate. Quod ut porro facere dignetur et efficaciter, ad gloriam suam in me et in aliis promovendam, suppliciter orandus et ne ego ad Eius argumenta surdus sim aut incredulus.

Et nubes suscepit eum ab oculis eorum. Hic iam magis incipiunt *ex fide* vivere. Et ubi Eius praesentiam *nubes* desolationis tollat ab oculis, fide pergendum est et audienda angelorum increpatio: *quid statis? aspicientes? veniet, veniet.* Itaque perge et age quod agendum nosti, ut cum venerit fidelis inveniaris.

3. *Contemplatio ad amorem excitandum.*

In Hisp. « *Tomad, Señor, y recibid* »; itaque illud *suscipe* non solum dicit oblationem, qua intendamus memoriam, intel-

lectum, voluntatem etc. Domino offerre, ut scilicet iis donis ad Eius gloriam utamur, sed ita ut pro sua voluntate eadem dona sua etiam nobis auferat. Solum amorem Eius et gratiam nobis dari petimus, « *que ésta me basta* ».

Haec in 1° *puncto,* pro casu quo placuerit Domino per infirmitatem aliquam v. g. memoriae vim vel intelligentiae minuere vel auferre : amorem Tui solum et gratiam, « *que ésta me basta* ». In 2° puncto similiter si sentiendi vel intelligendi vim : amorem Tui solum et gratiam tuam, « *que ésta me basta* ». Item in 3° puncto, si eas creaturas in quibus propter me operatur, auferre placeat, vel in iis operari contra me : amorem Tui solum et gratiam tuam, « *que ésta me basta* ».

Quam fecunda seges sanctorum affectuum, resignationis absolutae !

4. *Repetitio* praecedentis.

In 3° puncto, etiam in illis creaturis operantem Dominum considerare, quae mihi molestae sunt aut ad sensum et naturam noxiae, et operans in illis etiam laudandus affectu non minori quam in ceteris. *Benedicite omnia opera Domini Domino.*

Postridie. Conclusio.

Tria ergo omni studio procuranda :

1°. *Cavenda* otiositas cogitationum, verborum, oculorum ; ita peccata et defectus innumeri excluduntur.

2°. *Exercendum* generose antiquum illud : *Quidquid placet,* in quo insignis imitatio Regis mei continetur.

3°. Ita gloria Dei intendenda, ut *cum pace* et plena resignatione omnia exspectem ac suscipiam de manu Domini : Amorem Tui solum et gratiam ... « *que ésta me basta* ».

O si tandem ... *Domine, noverim Te, noverim me!*

1832.

(d. 10 Dec.)

D. 1. *Notum fac mihi, Domine, finem meum ut* SCIAM *quid* DESIT *mihi.*

1. *Laudare,* corde, ore, opere. *Oratione, recitatione* divini officii, *conversatione* cum Nostris et externis.

Revereri, ut supra, sed praesertim cavendo ne quid sit in *corde, verbo, opere* quod divinae maiestatis praesentiam dedeceat.

Servire, actionibus et operationibus status et officii, negotiis expediendis, gratis, ingratis, fideliter, alacriter, assidue, absque cessatione aut defatigatione, *non deficientes.*

Omnibus rebus creatis *natura* superior et infinite altius elevatus per *gratiam,* utique nonnisi Deum habere finem possum. Verum o! si et sensu et omni operatione interna et externa vere essem rebus creatis, exiguis et caducis, *superior!*

2. Ad *reliqua super terram,* etiam quaecumque publicae calamitates, pestes, fames, bella, dispersio, caedes. *Ea solum quae ad finem ducunt desiderare et eligere.*

3. *Ad maiorem Dei gloriam,* Societatis Iesu *religiosus, sacerdos, professus, superior, generalis!!! laudare* studiosius, *revereri* sollicitius, *servire* impensius, verbo, opere, exemplo, vigilantia et praesertim *interna communicatione cum Deo* ac *studio perfectionis propriae.* Zelus hic *maioris* gloriae Dei incipiat a me ipso necesse est.

Quid cogitationes *otiosae,* quid verborum *profusio,* quid operationis *languor* ac *taedium?!*

4. *Repetitio,* fere tota languida, corporis lassitudine et mentis hebetudine quadam cum somnolentia. *Domine miserere!*

5. *Altera repetitio* praesertim de fine Societatis et meo in hoc officio.

Media ad maiorem Dei gloriam in hoc meo officio et ad quae praecipua cura attendendum:

1°. *Communicatio cum Deo* magis assidua, ingressus *in tabernaculum ad consulendum os Domini,* accessio *ad thronum gratiae cum fiducia propter Nomen Sanctum Eius* et propter amorem quo Societatem prosequitur, non obstante indignitate ministri. *Ego autem in multitudine misericordiae tuae introibo in domum tuam.*

2°. *Verborum parcitas,* in conversatione cum externis, cum nostris, *etiam Superioribus.*

3°. *Pax* in negotiorum seu mole seu multitudine, ne affabilitas ac suavitas inde patiatur detrimentum. NB. cum domesticis praesertim, quibuscum frequentius aut assidue agere debeo.

Dies 2.

1. *Peccatum angelorum.* Praetextus utique in peccato angelorum non defuit. In hypothesi quod ipsis fuerit propositus unus *homo* ut Rex et una *femina* ut Regina... superbia non caruit praetextu in speciem rationabili. Sed *voluntas Dei* non potest non esse *iustissima* et *amabilissima,* licet saepe *altissima,* ita ut tum quidem non intelligatur *quare,* quamquam suo tempore futurum est ut cognoscatur et intelligatur istud *quare* iustissimum... Ut sane Angeli, qui fideles remanserunt, nunc certe agnoscunt et intelligunt, neque sibi quidquam de sua di-

gnitate decessisse sentiunt. Quantopere cavendum a praetextibus et a vana specie!

Peccatum Adami. Etiam ibi non defuere *praetextus.* Sed quantopere timendum mihi, ne ratione mei gradus peccatum meum universo Societatis corpori perniciem aut corruptionem afferat.

Peccatum damnati. Unum veniale fortasse multis fuit primus gradus ad infernum. Cur mihi toties peccanti retrahere gressum dedit Deus? *Misericordias Domini in aeternum cantabo.*

2. *Peccata propria.* Mea nunc quidem praecipua:

1° *Orationis* languor ac tepiditas.

2° *Verborum* profusio cum nostris et externis. Verba otiosa, a meo officio *aliena,* non satis studiose ad aedificationem directa.

3° *Gulae* obsecundavi, praesertim in quibusdam diebus sollemnioribus.

4° *Nimia sollicitudo* in rebus agendis, ex quibus aliquando *asperitas* erga interpellantes etc etc.

Quam turpe, praesertim in Praeposito Generali! Omnia ista indigna *homine,* rationali creatura! Quid vero *christiano? religioso?* PRAEPOSITO GENERALI?

Vere *facies* animae meae ut leprosi, ut sanie ex putredine horridi coram Domino. Et quid mirum si accessum non adeo facilem inveniam, si ad colloquium intimum non ita familiariter admittar?

3. et 4. *Repetitio.*

Gravissimum quidem Praepositi Societatis *onus* coram Domino, sed tamen etiam dubitare non possum, quin *multas* mihi *gratias* concedat Dominus et multa misericordia utatur mecum hoc ipso nomine et ob amorem quo Societatem *suam* prosequitur. Sed o quantum necesse est, ut ego hoc in gradu meo ad omnem perfectionem enitar viva fide et *actuali* cognitione finis ac mediorum, nec *dissimulanter* me habeam ad *lumina,* quae pro sua misericordia immittit, et ad *gratias* quas largiri dignatur.

5. *De Inferno.*

Visus. Qui damnati? Plurimi quondam nobilitate, dignitate, honoribus, opibus, litteratura, doctrina, potentia *nominati* et *famosi.* Quidam etiam aliquando existimati fortasse etiam vere *sancti* sed *superbi!*

Auditus. Maledicunt peccatis suis et sociis peccatorum et opibus suis ac dignitatibus et honoribus et deliciis ... atque id quidem non immerito, sed Sanctis, Christo, Deo, quam inique!

O Domine! *Benedicam te in omni tempore, semper laus tua in ore meo. Vere dignum et iustum est, Tibi semper et ubique,* etiam in inferno, *gratias agere.* Ita Domine, si mea culpa per inexplicabilem stultitiam ac malitiam peream, Tibi tamen benedicere, Te laudare, Tibi gratias agere volo *in aeternum et ultra. Misericordias tuas,* vel eas quas adhuc accepi, licet nullas experturus essem in posterum, *in aeternum cantabo,* ubicumque fuero, *in omni loco dominationis tuae.*

Dies 3.

1. *De morte. Finis* temporis, ergo *nil* ultra *agere* aut *pati* pro Dei maiori gloria, pro Societatis bono potero, in aeternum...

Notum fac mihi, Domine, finem meum et numerum dierum meorum, quis est, ut sciam quid desit mihi.

Idque nunc, cum tam brevis sit hominis vita, eiusque pars magna a corporis et animi impedimentis absorpta.

Et tamen in morte *finis, nil* ultra ad animae *sanctificationem, ad perfectionem* assequendam. *Tempus instanter operando redimendum.* Cavenda eius iactura.

2. *De iudicio particulari.*

Anima corpore soluta quam *aliter intelliget* et *volet.*

Non enim *corpus quod corrumpitur aggravabit* amplius, non *fascinatio nugacitatis obscurabit,* neque *inconstantia concupiscentiae transvertet sensum.* Ergo nunc cavendum ab ista fascinatione ut videantur res quales sunt in se.

Quod iudicium Christi, quae iudicis mei sententia de anima mea...? Ille *testis verax* et *fidelis,* ego facile mihi illudo. *Domine, illumina oculos meos, ne umquam obdormiam....*

3. *Praeparatio ad mortem et iudicium.*

Ratio conscientiae reddita, ex qua:

1° *Circa exercitium virtutum.* Figenda et fixa tenenda *purissima* intentio finis, investigando et persequendo assidue quidquid *terrenum* aut *humanum* se admiscet aut irrepere tentat.

2° *Examen particulare.* Notandum utique; etiamsi identidem nihil occurrat quod notetur, non propterea omittenda praxis a Sancto Patre commendata.

In *Examine generali,* examini cogitationum, verborum, operum breviter percurrendo inhaerere, sed longius et animosius 4° et 5° puncto.

Pro *meditatione* potius puncta mihi ipse praeparare ex libello Sancti Patris et Mysteriis vitae Christi, ratiocinari mecum ac si alteri idem persuadere conarer.

Gula. Hoc utique tamquam spiritui nocentissimum, cavendum summopere et curandum ut semper *levis* sim, numquam

graver, nam alioquin etiam *gravatur cor,* ut Dominus loquitur.

Verbositas. Orandum multum: *Pone, Domine, custodiam ori meo.* Haec enim insignis gratia.

Effusio in agendo, inde asperitas.

5. *Repetitio super rationem conscientiae.*

1° *Phantasiae* illae et oculorum libertas, quam indigna mea persona!

2° *Exercitium virtutum*: insectandum perpetuo quidquid terrenum, quidquid humanum est, quod utique non uno die exhauritur.

3° In hoc officio ceterum oneroso, heu nimium! duo tamen illa bona cum magna gratiarum actione accipienda et saepe recolenda: 1°. stimulus acer ad perfectionem, 2°. multae gratiae, quae a misericordissimo Domino in me intuitu officii concedentur, alioqui certe ut indignissimo non concederentur. Ita scilicet ex amore, quo Societatem prosequitur et ut minus absurdum videatur, talem homuncionem reperiri in serie Praepositorum Generalium, talium ac tantorum virorum! Sed duplex hoc bonum non tale est ut eo non futurum esset maius unica *humiliatio,* qua vel deponerer a Generalatu, id non quaerens, vel illum resignare mihi quaerenti permitteretur.

4° Ad *reliqua super terram* pertinent etiam *culpae* vel *imprudentiae nostrorum,* quae proin cruciare me nimium non debent. Praebent etiam istae occasionem *laudandi* Deum multipliciter, per *resignationem* in divinam voluntatem saltem permittentem eas, per *humilitatem, patientiam,* per sollicitudinem et curam *operosam* afferendi remedium, instruendi etc. quibus omnibus *hostiis promeretur Deus.*

5° *Examinis particularis* usus adhibendus sedulo; imprimis circa *verborum profusionem* non deficiet tam cito materia.

Si qua *publica calamitas* consilia, quae pro gloria Dei ac Societatis profectu foveo multa et ut spero utilissima, evertat, etiam tum *una resignatio* alterum tantum et amplius valebit apud Dominum. *Mihi* quidem certe nil decedet si sciam bene uti *reliquis super terram.*

Dies 4.

1. *De Regno Christi.*

Rex quidem terrenus *talis* nec fuit umquam, nec erit, nec esse poterit... Sed Christus *vere* talis!...

In expeditione ad quam Christus invitat, paupertas parit opes, contemptus honorem et gloriam, dolores divitias, vulnera et mors nobilissimum omnium triumphum. Adeo verum est illud: *confidite, ego vici.* Adeo certa est victoria ut in hac expe-

ditione non possim non vincere, cum quaevis ab hostibus illata detrimenta vel damna lucra sint ac triumphi.

2. *Repetitio.*

Quam turpe mihi *religioso Societatis Iesu, sacerdoti, professo, superiori, generali* non esse vere ex illorum numero, « *que más se querrán affectar y señalar en todo servicio de su Rey eterno y Señor universal* ». Videarne mihi aliquid fecisse, cum me totum offeram ad laborem in ista expeditione Regis mei? At hoc quidem omnium est, qui modo sint sanae mentis: « *que tuvieren juicio y razón* ». Qui hoc non facit, nec hominis dignus est nomine, nedum *Christiani. At mihi religioso . . . Generali,* si ultra non tendam, si *praeclariora* non offeram munera, plane vilis sum et nomine meo et gradu indignus. Facere contra meam propriam sensualitatem et contra meum amorem carnalem et mundanum, sc. mortificare me continuo in rebus alioqui licitis, hoc est mei status et gradus.

Et quid magni fecero, si *ego* . . . dum *Rex* meus *Christus?...* In parabola regis terreni, *praeclariora* munera essent, si quis non modo ad expeditionem vocanti obtemperaret, militiam sequeretur, sed et familiam suam omnem et omnem substantiam expeditionis illius subsidio dicaret et ipse quovis gradu et officio laboriosissimo ac periculosissimo contentus militaret, tantum ut optimo Regi suo se probaret. Talis ego esse debeo in Christi Ducis mei servitio. At haec *intellexisse* parum iuvat, nisi *serio* tandem ac *strenue* talis esse contendam.

3. *De Incarnatione.*

Filius Dei de caelo descendit in terram, terrenus factus, sed nil de terrena contagione contraxit; homo factus, at nihil de humana imperfectione illi adhaesit, exemplar mihi factus et auctor, ut *terrenus* esse desinam aliquando et *caelestis* fiam. Huc ergo studium omne intendendum ut expurgato in me rebusque meis quidquid *terrenum* et *humanum* est, in vera vitae *puritate* ipsi vivam ad gloriam Patris. Ast huc perveniri non potest nisi« *haciendo contra* mi *propria sensualidad y contra* mi *amor carnal y mundan* ». Examini particulari materia amplissima.

4. *Repetitio.*

Quae oppositio extrema, inter mundum perversum, Dei bonitatem, Virginis puritatem et humilitatem, Verbum humiliatum in utero Virginis!!! O . . .!

Quot motiva ad expugnandum *mundi* spiritum et *omnem amorem mundanum* in me rebusque meis omnibus. Mundus enim etiam nunc idem perversus ac detestabilis.

Dies 5.

1. *De nativitate Christi.*

Omnia, omnia *propriae sensualitati* et *amori carnali* ac *mundano* contraria.

Sed pro imitatione habenda intima *diffidentia* de me ipso. Quid est quod hanc *diffidentiam* intimam de me ipso sentiam in aliquo rerum spiritualium genere et non in omnibus? quando tamen in omni sanctitatis genere utique *nihil* possum ex me, sed solum in illo, qui pro me venit in mundum?

2. *De circumcisione.*

Per mortificationem Christus nomen *Iesu* et officium adit. Supervacaneum est alias rationes quaerere, ob quas vocatus ad vitam apostolicam imprimis *mortificatione* se parare ac disponere ad opus divinum debeat. Utique exemplum Christi *Iesu* sufficit. Sed quid me facere par est, qui in nominis huius et officii Societatem vocatus sum et ceteris Sociis in hoc tanto opere *Praepositus!*

3. *De fuga in Aegyptum.*

Providentia Patris erga Filium non potuit non esse *excellentissima.* Magna ratio *resignationis* et *pacis* et etiam *gaudii* et *gratitudinis*: QUIDQUID ACCIDERIT. Quis possit vel audeat excellentiorem optare Providentiam quam Patris fuit erga Filium! Procul dubio, quidquid permiserit, ad gloriam suam permittet ac disponet, dummodo nos Ipsi permittamus et Eius dispositiones Providentiae sequamur.

4. *Repetitio* 1[ae] *et* 2[ae].

5. *Applicatio sensuum ad fugam in Aegyptum.*

In Ioseph et Maria *resignatio, sollicitudo* non anxia sed plena *fiduciae* et alacritatis, in puero Iesu: *ita Pater*... ipse conscius huius Providentiae et finis et mediorum, ad gloriam Patris et salutem nostram. In *Aegypto* quomodo recepti? fastidiose et contemptim. Si in Bethlehem *non erat iis locus in diversorio,* quid in Aegypto?

Odor suavissimus coram Deo et hominibus, vere perfectae virtutes SS. Familiae. O si harum fragrantia etiam ego conforter in angustiis et curis, ut eas cum *pace* et *fiducia geram! Ad maiorem Dei gloriam!*

Dies 6.

1. *De duobus vexillis.*

2. *Repetitio.*

Luciferi vexillum, propriae existimationis ac superbiae, ex doctrinae praesertim ac litterarum opinione conceptae, ne inter nos erigatur, cavendum. Si hoc, mox loco pacis turbatio, nec iam

Christi castra sed Luciferi videbuntur, nec campus amoenus prope *Ierusalem,* sed planities, cum igne et fumo, prope *Babylonem.*

3. *De tribus hominum classibus.*

Solum Deum, nec aliam quaerere rationem nisi Dei beneplacitum, et sufficit.

4. *De investiganda Dei voluntate.* Electio.

1° Deus a me postulat, ut aliquando vitam agere incipiam meo nomine et officio dignam, *puram* intentione Eius gloriae magis actuata et a boni delectabilis laqueis expedita, actuanda usu *electionis* frequenti, cum *examine* quod electioni respondeat.

2° Ego vero quid aliud a Te petam, Deus meus, nisi ut tandem aliquando actu et affectu *notus mihi sit finis meus*... et sciam *delectari* in Te solo, qui *dabis* tunc mihi *petitiones* cordis mei.

3. *Electione* instituta repperi, mala mea, de quibus supra, facilius ac citius superanda sola, Deo iuvante, *intentionis* puritate per *electionis* frequentem usum procuranda.

Haec ergo *examinis particularis* materia.

Proderit nihilominus, pro necessitate, dirigi ad expugnandam *verbositatem, gulam, effusionem in occupationes,* et ad stimulandam *diligentiam* ad *exercitia spiritualia.*

Sed quantum erubescendum mihi de vitae hucusque actae *impuritate* in... Praeposito Generali!!!

Dies 7.

1. *Christi Domini tristitia.*

Tantae cordis angustiae et afflictiones usque ad sudorem sanguinis ob *mea* peccata, de quibus ego tam parum commoveor. Quia parum apprehendo iniuriam Deo illatam, Illius Maiestatis sanctitatem et mali mei gravitatem.

2. *Christi Domini iniuriae et opprobria.*

Christus non solum ut Filius Dei, sed etiam ut homo sanctissimus, sapientissimus, beneficentissimus, omni honore ac reverentia dignus, ita habetur! Maledicta, contumeliae, calumniae, accusationes *coram,* dicteria, falsa iudicia, iniuriosissimae suspiciones in *absentem, ingratitudo,* omnium rerum suarum in *malam partem interpretatio.*

Omnes humanae ac diabolicae passiones commotae contra Dominum.

Mihi vero *gustandae* sunt cuiuscumque generis iniuriae, dicteria, iniustitiae, criticae de me meaque gubernatione, etiam ab iis quibus bene facere semper studui et quibus multam praebebam fiduciam, qui *in facie* benedicebant, a *falsis fratribus,* quos tamen ego non exîstimabo esse *falsos,* sed potius *specie*

boni deceptos, Deo ita disponente, ad meam exercitationem et ingens meum bonum et vere ad *gloriam suam.*

NB. *Samaritanus* es tu, « *forestiere* ».

3. *De Christi Domini doloribus in flagellatione et spinea corona.*

Quid magnum erit AGERE CONTRA propriam sensualitatem?

NB. *Agere contra* non solum est *resistere,* sed multo plus. Saltem, si quid doloris, *communicantes Christi passionibus gaudete.*

4. *Repetitio.*
5. *Applicatio quinque sensuum ad Crucifixum.*

Qui dilexit me et tradidit semetipsum pro me. Vere *Pater,* qui impendit se totum et superimpendit pro vita ac salute filii ingrati ac rebellis.

Sub umbra illius quem desideraveram sedi et fructus eius (dolores, ignominiae, virtutes item insignes) *dulcis gutturi meo,* non utique gutturi *sensualitatis et carnis,* sed gutturi *spirituali,* cui fel et acetum Christi crucifixi omnibus carnis deliciis dulcius est. O si saperem!

Dies 8.

1. *Resurrectio Domini.*
2. *Ascensio Domini.*

1° *Exprobravit incredulitatem et duritiem cordis,* quam merito hanc mihi exprobrabit Dominus post tot lumina intellectus, tot pias motiones voluntatis. *O duritiem cordis,* si non tandem aliquando . . .

2° *Benedixit eis.* O, benedictionem det legislator, ut *ascensiones in corde* disponam, et eam *de virtute in virtutem.*

3° *Ferebatur in coelum,* quid iam ascendenti Domino odia Iudaeorum, invidia Sacerdotum, omnis mundi rabies?

4° Apostolis ac discipulis vidisse ascendentem Dominum non erat satis, necesse erat adhuc, ut *sederent, orarent, donec induerentur virtute ex alto.* Quanto minus mihi potest satis esse meditando vidisse, intellexisse, nisi mentis recollectione et oratione Spiritus sancti gratiam obtineam, qua exsequi et implere quae vidi possim.

3. *Repetitio.*

Christi descensus ad inferos, quo terrore complevit daemones et in fugam convertit.

Advenienti *bono latroni* SS. Patriarchae et Prophetae gratulabundi *ave* dixerunt et honore eum exceperunt, qui Christum

honoraverat et qui a Christo ita benigne recipiebatur. Eorum voluntas et sensus idem qui Christi.

Post confessionem. Monita P. Spiritualis:

1° Primario studendum *emendationi,* per examen particulare, coniunctum illud quidem cum ista materia *de intentione.*

2° Nunc primo reassumere 1ae hebdomadae argumenta pro meditatione.

3° *Compunctioni* studendum, cui inserviet si saepe, praesertim in examinibus per 1i puncti de *peccatis propriis* usum, mala mea et peccata coram Deo in memoriam revocem.

4° *Ad confessiones,* ut bene et cum fructu debito fiant:

1° *examinis* cura, ne perfunctorie fiat;

2° *doloris,* recolendo breviter motiva doloris, et orando ad Sanctos poenitentes, 1 *Gloria Patri;*

3° *accusationis* puritas et distinctio, *cogitatione, verbo, opere, omissione;*

4° *repetitio monitorum. Compunctio, compunctio. Vilior fiam plus quam factus sum et ero humilis in oculis meis.*

5° *Singulis mensibus* revisio status animae.

NB. Melius hoc fuisse mihi quam si conclusissem cum contemplatione de amore spirituali, videor mihi sensisse. *Loquere, Domine, quia audit servus tuus.* Scilicet loco *ascensionum* in corde, *descensiones potius disponendae,* quae tamen ipsae erunt fructu compunctionis verae ascensiones. Ut qui partem montis ascendit, ac tum reperit impedimentum praecipitii, quo cogitur deorsum regredi, ut per aliam viam praecipitium istud evitet vel ad montis radices pertranseat.

1833.

Noverim Te, noverim me! Patronus S. Franc. Xav.

Dies 1.

1. 2. et repetitio.

Creavit me Deus ut illum laudem et salvem animam meam.

Hic finis Dei; alium non habuit, nec habere potuit in me creando. Nec dubium quin *pro bona voluntate sua* adiuvet et adiuturus sit gratia sua in quacumque occasione vel difficultate, *modo ego Illi et mihi* ipse non desim et vere *orem.*

Hunc Dei scopum meumque finem, nihil prorsus *extra me* impedire aut interturbare potest.

3. *Reliqua super terram.*

Ergo quae *iuvant,* amplectenda, quae impediunt, reiicienda, quae nec iuvant nec impediunt, maxima indifferentia accipienda vel potius *contemnenda.*

Desideranda et *eligenda,* quantum a me dependet, ea *solum* quae *iuvant,* i. e. *naturae contraria.* Antiquum illud: *quidquid placet* etc. Sed haec intelligens, etiam practice, quid est quod *dissimulanter, infideliter, perverse* me habuerim?

Creaturarum triplex utilitas:

1° ascensione per eas ad Creatorem,

2° usu pro necessitate aut opportunitate cum gratiarum actione,

3° abstinentia per mortificationem. Hic autem 3us modus omnino necessarius ut 2us recte adhibeatur et 1us constanter et ex habitu fiat.

Fundamento ipso statim omnis *affectio inordinata* excluditur, quae habetur etiam in rebus bonis ac per se sanctis, si in illis *voluntas propria* non est plane subdita *voluntati divinae.* Non *mea voluntas, sed tua!* Hoc scil. est *laudare, revereri, servire.*

4. *Applicatio ad statum meum.*

Religiosus, socius Iesu, sacerdos, professus, superior, generalis. Quanto studiosius laudare Deum, per me et per alios, debeo ut tot ac tantis nominibus satisfaciam!

Idem porro circa creaturarum rectum usum vel contemptum.

Idem de affectionibus inordinatis abnegandis.

Ceterum quando Deus huic meae tantae indignitati atque infirmitati praelaturam hanc tam onerosam imposuit, fidenter orandus mihi est ut per Iesum, Mariam, P. Ignatium et tot heroes filios eius, et universae Societatis amorem pro sua misericordia miserias meas sublevet. Hic *titulus* saepe in oratione adhibendus.

5. *Repetitio.*

Si inferiores tanto sumus Patribus nostris *in omnibus,* — et parum id quidem est coram mundo, in quo omnia *respective* considerantur ac iudicantur, tamen in genere virtutis coram Deo non *respective* sed *absolute* iudicabimur, — et o quanto inferiores: An vero aliud nobis coelum quam Patribus nostris? O quam procul ab illis distabimus...! Saltem ne desit *humilitas!*

Dies 2.

1. *De triplici peccato.*
2. *De peccatis propriis.*

3. *Repetitio.*

Severa Dei iustitia erga eos, quos liberalius praevenerat donis ac gratiis suis. Ergo *dona* Dei humiliorem reddant et *cautiorem.*

Vere *deficiens* creatura omnis. Omne *malum* in nobis a nobis. Omne *bonum* a Domini liberalitate per *Christum crucifixum.* O Iesu! Quid ego pro te *egi* hactenus? quid *ago*? Quid *agere debeo* in posterum?

Familiarior usque sit cogitatio animae meae *in hoc corpore velut in ergastulo constrictae; meique totius inter bruta animalia exsulis,* et *nihili mei* ac *foeditatis* ex puncto 3° meditationis 2^{ae}. (*Pro praeparatione ad Confessionem et pro examine*).

Quid fuisset de me, nisi misericordissimus Christus mihi etiam in culpis per se levibus, in animi perturbationibus, cito inclamasset: *revertere, revertere?* Ita vero innumeri perierunt, qui in levioribus non resipiscentes sese cito in graviora proruerunt!

4. *Repetitio.*

5. *De inferno.* Misericordiae Domini!

Dies 3.

1. *De morte.*

Homo cum mortuus fuerit et nudatus. Ergo sola necessaria et convenientia, neque haec ullo alio affectu, nisi pure ob Dei laudem ac obsequium. Nisi ad hoc serviant, abiicienda.

Atque consumptus. Consumptionis huius non solemus videre nisi initia quaedam et finem, sed quanto magis horribilia quae, in medio statu *dum consumitur,* corpus subit! Nunc quidem corpus hoc servire potest et ad *operandum* et ad *patiendum,* et hoc posterius *pretiosissimum. Si scires donum Dei!*

Ubi quaeso est? Ibi, ubi locum sibi paraverit in vita. Si quid *erratum,* emendationi locus non erit, sed tantum *expiationi,* heu quali! Quae *recte facta* ne unica quidem lineola per totam aeternitatem augeri possunt. Ergo *instanter operare.*

NB. Est *necessitas* corporalis, quae *molesta* est et est alia, quae *delectat;* ab hac praesertim cavendum. *Quidquid placet* etc.

In 1^a annotatione S. Pater in genere exercitiorum corporalium tria nominat: *ambulare, ire, currere.*

In spiritualibus, *beati* quidem *qui,* relicta via impiorum, *ambulant in lege Dei, immaculati in via;* beatiores vero quibus *benedictionem dabit legislator, qui ibunt de virtute in virtutem;* beatissimi, quos Dominus *trahit post se,* qui *currunt in odorem unguentorum eius, qui viam mandatorum eius currunt, cum di-*

latavit cor eorum. Adumbrantur incipientes, proficientes et perfecti.

Volare non est in exercitiis corporalibus neque in spiritualibus *hominis* operationibus. Tamen ubi Deus dederit, pauci quidam *assumunt pennas sicut aquilae, volabunt. Quis mihi det pennas sicut columbae et volabo et requiescam!*

2. *De iudicio.*

1° *Iudex sapientissimus* ... illusiones omnes deteget. Domine, *emitte* nunc *lucem tuam et veritatem tuam, illumina* nunc *vultum tuum super me et miserere mei, ut cognoscam in terra viam tuam.*

Et *iustissimus*: pure *secundum iustitiam* iudicabit iuxta debitum status ac gradus mei, iuxta mensuram gratiae, non *respective* ad alios, sed *absolute.*

O Domine, iuste iudex ultionis, donum fac remissionis ante illum diem. Purga, purga, purgationem fac perfectam ante illum diem! Utique Domine, ad gloriam tuam spectat ut ne ille, quem voluisti Praepositum Generalem in Societate Nominis tui, coram te compareat *sordidis vestibus* et tamquam torris ereptus ab igne!

2° *Examen,* pro ratione gratiarum ac beneficiorum. Eheu! semper infra mensuram gratiae mihi communicatae haereo!

3. *Repetitio.*

(Ratione conscientiae reddita, consilia:

1° *Conformitas* cum voluntate divina ita exercenda, ut pro examine particulari convertatur in *abnegationem voluntatis propriae.*

Omnia, publica, privata, externa, domestica, interiora animi, exteriora corporis a Domino sapientissimo, Patre benignissimo gubernari ac dirigi etc.

2° *Orationi* tempus dandum praeter tempora solita. Christus Dominus prae oculis formandus, qui *Caput* est *Societatis* et cuius vices sustineo. O!...

3° *Examen* brevius et expeditius in examinanda, sed tum considerationi ac dolori de praeteritis, oppositis culpis ad beneficia divina, unde nascetur *compunctionis* habitus et *abnegationis* propriae solida confirmatio).

4. *De regno Christi.*

Intellectus quidem omnino convictus; quem enim decet « *affectar y señalarse en todo servicio y amor de su Rey eterno*», si me non decet, *religiosum* Soc. Iesu, *sacerdotem,* immo Societatis Praepositum generalem? Voluntas tamen *frigida* ... Timeo ne non satis *purgatum* cor, quia in confessione generali non satis profunda cognitio, neque confusio ac dolor satis intimus. Scilicet *miserias* potius quam *culpas* considero ... et ta-

men, quasi vero non verae *culpae* et plus quam *negligentiae* ... aut quasi parum esset fuisse *negligentem* in obsequio summi Dei, cum tamen non negligens tantum sed et *perversus* fuerim! Domine, miserere!

Dies 3.

1. *De Incarnatione.*

Personae, massa totius generis humani, et tamen singuli ad imaginem Dei, ad Eius laudem, ut salventur; in ista massa perditionis et ego. Quam vere *inter bruta* animalia exsulamus!

Dei *misericordia* erga mundum perversum et voluntate sua caecum. *Miseretur* tamen Deus quia *miser* mundus.

Ita erga quosvis perversissimos etiam *commiseratio* habenda, ad imitationem Dei. *Primus* ad reconciliationem est Deus ipse.

Domina nostra sola sine exemplo placuit et facta est punctum mediationis et reconciliationis atque unionis Dei cum hominibus!

Verba et *opera* hominum vel *vana* vel *prava.* Ne talia sint mea adhuc post reconciliationem! In *verbis* praesertim videndum in conversatione, ne sint confabulationes *mundi.*

Quanto aliter omnia in *mundo* et aliter *in domo Nazaretana!*

2. *De nativitate.*

Personae. Beata Virgo, *illuminata* prae omnibus, mysterium intelligit absconditum. Ego pauperculus et servulus indignus.

Verba.

Opera, in tanta paupertate, per tantos labores, ut tandem *in cruce* compleat sacrificium, et hoc *pro me!* Quid umquam tanto amore dignum fecero! *Quidquid placet* etc.

3. et 4. *Repetitio.*

In toto *genere humano,* sine Christi redemptione, *non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* At quo indigniores homines, eo maior et excellentior Domini misericordia. Et ipse *prior* ad reconciliationem. Quod et in me, qui ex omni etiam *levi culpa* praeceps ruerem in *interitum,* nisi Domini misericordia *praeveniens* sublevaret et cursum malitae meae sisteret. O Domine, noverim Te, noverim me! *Cum defecerit virtus mea, Deus ne derelinquas me.*

Dum homines blasphemant, Personae divinae dicunt: *faciamus redemptionem!*

In *mundo* multa verba et magno rumore. In *domo Nazaretana* verba pauca et submissa voce, *item* in Bethlehem parum loquitur Ioseph, minus etiam Maria, sed eo plus loquuntur

corde orantes. Quam multa in hoc genere mihi cavenda, imitanda!

5. *Applicatio sensuum.*

Genus humanum, cum maxime beate vivere studet, miseriis obruitur. Etiam nunc *libertatis* cupidi v. g., libertatem maxime amittunt, caedibus, minis, rerum omnium iactura, omni aerumnarum genere oppressi iacent. *Iustus es, Domine,* et tamen simul misericors Pater!

Odor et gustus. Trahe me post te, in odorem unguentorum tuorum currimus. Quam magna multitudo dulcedinis tuae quam abscondisti, Domine, timentibus te. Nisi absconderit Dominus, non esset locus fidei, nec usui liberi arbitrii.

Osculari terram, praesepe, foenum. Foeno iacere pertulit, praesepe non abhorruit. O Infans divine, o Beata Mater, o Ioseph fortunatissime!

Dies 5.

1. et 2. *De duobus Vexillis.*

Lucifer mittit suos daemones ad omnia *loca* et ad omnes *personas,* nullas etiam in particulari omittens. Cavendum nostris, tum locis tum hominibus etiam singulis, ne quem suis *retibus* ac *laqueis* et *catenis* capiat.

Praeter cupiditatem divitiarum et honoris mundani (quae dicuntur *ut in pluribus*) sunt et aliae eius *fraudes,* a quibus cavendum; quae tamen ut numquam non habent de spritu *superbiae,* ita nulla re certius quam verae *humilitatis* spiritu evitantur.

3. *Repetitio.*

Fraudes daemonis etiam in nostris, *zelus* inordinatus, cura *existimationis* inordinata, *valetudinis* sollicitudo, *doctrinae* cupiditas etc.

Christus mittit *suos* in omnes partes, ut *omnibus* salutis doctrinam impertiant. Meum est: 1° omnes nostros in tam diversis orbis partibus laborantes pro Christo, iuvare *consilio, directione, opere* et praesertim *oratione;* 2° in iis quibuscum ago, *domesticis* et externis, Christi spiritum promovere, spiritum *paupertatis* et *humilitatis,* verbo et exemplo, exemplo et verbo.

4. *Repetitio.*

Impossibile omnino est ut ego in hoc gradu ac munere meo satisfaciam Deo et Christo, nisi huius Ducis mei vexillum *paupertatis, amoris opprobriorum, humilitatis,* in me ipso imprimis erectum teneam. Quomodo enim possem esse *caput* eorum, qui a Christo Domino ad hanc expeditionem electi sunt ac per orbem sparsi?

Praxis: *Quidquid placet* etc.

5. *De 3 classibus.*

Domine, doce me facere voluntatem tuam. Quid mihi est in caelo et a Te quid volui super terra?

1° *Oratio,* praeter ordinariam, addenda, quando fieri poterit, altera *hora vesperi,* — atque haec sit potissimum ut *officii Praep. Gen.* —, in qua Societatis negotia et etiam mundi, cum resignatione totali in divinam Providentiam.

2° *Abnegatio. Quidquid placet* etc. strenue ac fideliter.

3° *Resolutiones* seu *determinationes* non faciendae *subito,* sed, si tempus permittet, *meditato* differendae.

4° In *loquendo* parcimonia maior ac maior. Recreationis tempori attendendum ut magis fructuose fiat.

5° In confessionibus varianda accusatio de praeteritis.

6° Nihil me profecisse sciam, nisi *mala* mea valde apprehendam et vere *pessimum* me et *indignissimum* esse sentiam. Domine, noverim Te, noverim me!

Dies 6.

1. *De 3 modis humilitatis.*

Si vel ad 1^m^ insufficiens est ex se humana fragilitas, *inter bruta animalia* exsulans, et pro eo semper Domini magna misericordia et potens auxilium implorandum, quid de 2°? Quid de 3° sublimissimo...? Quam merito colloquium triplex crebro repetendum praescribitur!

2. *De discessu a Nazareth ad Iordanum.*

Iesus valedicit Matri. Quantum utriusque sacrificium! Amor utriusque non ut cuiuscumque filii et matris, et tamen... Discessus autem *quo* et *ad quid?* Vita sacrificii sit et mea, cum *abnegatione* omnis proprii gustus. *Non quaerit quae sua sunt.*

Baptizatur Iesus a Ioanne. Sic decet implere omnem iustitiam. Hic est filius meus dilectus. In omni vita Christi omnique eius actione meditanda, illud quaerendum ac petendum, ut *intime* Illum *cognoscam* et *magis* Illum *amen* ac *sequar.* Ipse *vera vita.*

3. *De die Palmarum.*

Dominus hunc *triumphum* meditatur et sustinet, quia *Patris voluntas* a Prophetis expressa, sed in corde *crucem* gerit, neque ullam ex triumpho delectationem admittit, *flevit.*

Hosanna, et mox *indifferentes,* paulo post *crucifige.* Ne me sinas, Domine, ita *inconstanter* tibi adhaerere.

4. *De Domini ascensu et ultima coena.*

Dominus tota cogitatione in *passione sua* et simul in *amore discipulorum. Qui pridie quam pateretur...!*

5. *De gestis in horto.*

Tristitia, taedia, timores etiam usque ad agoniam pro Christo.

Quidquid placet...

Dies 7.

1. *Ad Annam, ad Caïpham, Petri lapsus. Noctis gesta.*
2. *A Caïpha ad Pilatum, ad Herodem, ad Pilatum.*
3. *Ecce homo. Condemnatio. Crucifixio.*
4. *De mysteriis in cruce gestis.*

Cum accepisset Iesus acetum. VIDE Dominum hunc ultimum actum consummantem.

Omnia patiendi genera in Crucifixo unita eaque singula in excessu summo, tormenta, opprobria, desolatio! Sic vitam finit!

5. *De gestis post mortem Domini.*

Milites missi ad frangenda crura crucifixorum, *ad Iesum cum venissent, non fregerunt eius crura.* Adeo verum est, nihil fieri nisi Deo volente aut permittente. Quo autem in mortuo Christi corpore, idem in meo vivo et in rebus omnibus. *Tantum* quantum Deus voluerit et *nihil amplius.*

B. Virginis *solitudo.* Dolor cum *spe* certa ac *fide.* Apostolos *sperare* iusserit, sed pro suo more *tacendi* mysteria, non aperuerit illis omne id quod de proxime futura Filii resurrectione ipsa cognovisset. *Secretum meum mihi.*

Dies 8.

1. *Christi resurrectio, apparet B. Matri suae.*

Anima Christi mox ut e mortalis corporis *carcere* libera evasit, *triumphat!* Utinam...! Reddita anima corpori, iam non inter bruta animalia exsulat.

B. Virgo de Filii gloria contentissima, lubens aliquot adhuc annos exsilii sui miserias pro eiusdem gloria tolerare contenta est. *Ecce ancilla Domini, fiat.*

2. *Apparet Apostolis in coenaculo.*

Pax vobis. Contra turbationem *timoris,* et iterum *pax vobis* ad componendos animos, sanctissima licet laetitia exsultantes.

Videte... spiritus carnem et ossa non habet, palpate et videte, ostendit eis manus et pedes et latus, manducavit coram eis.

3. *De Christi ascensione.*

Per 40 dies... Quanta docuit, quanta praedixit ipsis *facienda* et *ferenda!*

Benedixit eis... Ex eis qui hanc benedictionem acceperunt, qui Dominum ascendentem viderunt, aliqui non mansere usque ad finem fideles. Quanta ratio timendi mihi! Domine, noverim te, noverim me.

Sic veniet. Ergo laborandum, patiendum.

4. *De amore.*

« *Tomad, Señor y recibit... todo es vuestro, disponed a toda vuestra voluntad* ». *Amorem tuum et gratiam da mihi* « *que ésta me basta* ».

5. Repetitio.

In 3° *puncto.* Concursus Dei ad omnia exigit vicissim concursum meum omnem fidelem, et ut obsecundem intentionibus Domini, *sequar* et *obsequar et agi me* sinam.

1834.

Dies 1.

1. Non satis fixa puncta de Fundamento; ideo vaga quodam modo fuit meditatio. *Domine, miserere.*

2. *Homo creatus* etc.

Homo inter omnes creaturas visibiles *solus* intelligentia pollens et libero arbitrio, capax finis a se libere prosequendi. Quanta nobilitas! Sed quanta gratia peculiaris eo in statu esse, per Dei misericordiam, ubi hic *finis* et cognoscatur clarius, et media tanta suppetant ad eum prosequendum!

Finis, necessarius, etiam ex parte Creatoris, *unicus, nobilissimus, facillimus,* a mea voluntate pendens, nam ex parte Dei nil deesse potest, tandem *beatissimus.*

Intentio ergo sit *unica, recta, pura.*

Figendus oculus velut in lineam rectam mathematicam a me ad Deum. Haec ne *divergat,* ne *interrumpatur.*

Sed eheu, quam saepe in me *sistit se,* non pergit! Quam saepe *divergit, interrumpitur, peccatis, offensionibus, negligentiis,* INEPTIS cogitationibus, verbis, aspectibus! Lineam istam ducit oculus intentionis, sed *vita* omnis hunc cursum teneat necesse est, numquam sistendo, numquam declinando, sed *rectis* itineribus *pergendo.*

3. *Reliqua super terram.*

Creaturae omnes propter hominem, non homo propter illas. Ille omnibus superior, ne se ulli subiiciat, ne ullius *servus* fiat, ne ulla a fine *avertat, deflectat, retardet, impediat.*

Grata, ingrata, nil refert, dummodo *media* ad finem.

Porro *ingrata* naturae, *media* praestantissima, *desideranda,* et, quantum licet ac vires ferunt, *eligenda* cum divino auxilio. *Quidquid placet,* etc. Omnis *inordinatio* hinc oritur!

Quomodo orationis materia deesse potest?

1° Quater *F* : *fugere, facere, ferre, ferri.*

2° Divinae perfectiones *laudandae,* de tam multis Domini misericordiis agendae *gratiae,* de tam multis peccatis *deprecandum,* tam multa auxilia *postulanda,* mihi, meis, Ecclesiae, mundo.

Sed nisi *venam* aperiat Dominus . . .!

4. *Repetitio.*

5. *Altera repetitio* praesertim applicando *reliqua* ad me meaque negotia.

Si oculo fixo *lineam* sequar et secundum hanc *cursum* teneam, nulla res extra me impedire me poterit.

Spoliationes, expulsiones, calumniae in Societatem, provinciarum perturbationes, *imperfectorum* inter nostros *miseriae, mortes* hominum in Societate utilium et quaecumque in me, quicumque intra vel extra moliatur, denique vel ipsius Societatis (si umquam) ruina, omnia eiusdem sunt ut in iis *laudare* Deum, Ei *reverentiam* exhibere, Ei *servire* possim ac debeam. Agitur de Domini gloria in huiusmodi rebus. Illi ipsi committenda res, qui optimus est zelator.

NB. Non ergo *angustiae* concipiendae ad nuntia quae perferuntur, ad adventum hominum inexspectatum, ad litterarum ingentes fasciculos. *Nil sine Domino. Reliqua.*

Dies 2.

1. *De triplici peccato.*

Peccatum angelorum, unum, ego toties et toties veniam consecutus, *non usque septies, sed usque septuagies septies,* certante divina misericordia cum mea malitia et ingratitudine; et interim *huc* perduxit. Quanta *confusione* ad orandum, ad sacrificandum accedere debeo, quanto *rubore* ambulare coram Domino . . . *infra daemones.*

Peccatum primi parentis. Poenitentiam tantam, tam longam egerunt; ego de tot peccatis, post exiguam poenitentiam, vix amplius cogito. *Noli oblivisci.*

Peccatum cuiuscumque damnati ob unicum, innumeri damnati ob peccata pauciora meis. De nullius iniquitate et peccatis tantum scio, quantum de meis; vere et merito *maximus peccator.*

2. *De peccatis propriis.* Valde lenta ac velut sopita meditatio. Domine, miserere!

3. *Repetitio ultimae.*

Ad p. 1. Peccata iuventutis meae etc. Merito existimare possum, imperfectiones multorum Nostrorum nihil esse comparatas ad mea *peccata,* illos *angelos* ad Societatem venisse.

Ad p. 3. Ex una parte mea extrema *vilitas,* ex altera gradus religiosi, socii Iesu, sacerdotis, professi, superioris, GENERALIS *altitudo* peccatum omne vehementer aggravat. Quantum

impediri potest boni, dum rorem virtutis perdo, dum orans pro Societate *exaudiri* non mereor, dum nec *orationis donum* obtinere mereor neque orare scio, *ob culpas meas.*

Ad p. 4. Opponendo item *Dei* erga me *benignitatem* et liberalitatem *meae ingratitudini.* Qualia et quanta beneficia! Talem ac tantulum, vocatum, perductum, gubernatum, per tot vias ac tales, denique *huc,* ut omnino *sanctus* fierem!

4. *Repetitio.*

Ad 1m p. 1ae. In expugnando daemone, coniungenda *humilitas* per agnitionem propriae indignitatis *infra* illum ipsum, cum *magnanimitate* ex Christi Iesu passione et morte concepta.

Colloquium S. Patris pro *triplici* gratia, alias etiam utiliter usurpandum.

5. *De Inferno.*

Ad 2 p. In damnatis *vociferationes,* nullus affectus suavis ac temperatus, ut amoris, compassionis, deprecationis, humiliationis, sed omnes duri ac feroces, odii, blasphemiae, irae, desperationis. Sic iam in hac vita iustorum congregationes ab impiorum secerni possunt.

Dies 3.

1. media nocte } *de morte.*
2. in aurora }

Homo, cum mortuus fuerit et nudatus atque consumptus, ubi quaeso est?

Mortuus est, hoc solum vulgo dicitur, *mortuus est;* cetera non cogitantur, non expenduntur: *mortuus est.*

Nudatus, intellige non solum de divitiis, honoribus, dignitatibus, sed et de aestimatione et amore hominum, etiam de *memoria* bonorum post mortem relicta. Haec enim, licet *si veris* meritis parta bonum sit non contemnendum per se, tamen ad *mortuum* nil pertinet, quem scilicet *alia* infinito *maiora* in aeternitate constitutum vel *infelicem* reddunt vel *suspirantem* vel *beatum.* Absit ut ab homine christiano, religioso, quidquam etiam boni operis fiat hoc animo, ut eius in hoc mundo memoria maneat! Relinquamus nomen, *faciamus nobis nomen* impiorum vox est, *ut videantur ab hominibus.* Boni et sancti reliquerunt quidem sibi nomen, sed non hoc quaerentes. *Luceat lux vestra* (non: lucete vos) *ut videant opera vestra bona* (non: vos) *et glorificent Patrem vestrum* (non: vos).

Quid mortuo prodest laudari? Quid ei nocet vituperari? Eum non attingunt nec laudes nec vituperia. *Nudatus* est atque *consumptus.* Corpus nunc laborando, patiendo, animae serviendo, in vita utilem operam navat, sed mortuum *consumitur* et quomodo...!

Ubi quaeso est? Ubi? ... Ubi? ... Quo vivus *tendebat.* Respice *finem,* sequere *lineam, cursum* tene. non contentus *ambulare, ito, curre.* Quo perveneris moriens, ibi tota aeternitate eris, nec una linea poteris ultra progredi, altius ascendere.

Pronum est quidem *resignatione* magis opus esse ad vivendum quam ad moriendum. Sed vide ne hic sensus sit ignaviae, pigritiae, taedii laboris etc. *Labor* et *dolor* verum vitae bonum et vera ratio ob quam possit vita desiderari longior: *aut pati aut mori.* Quid prodest vivere et non pati?

3. *De iudicio.*

Ratio reddenda:

Beneficiorum. O quot haec et quanta! *Qui non cognovit voluntatem,* pro hac non facta, non punietur, et *si tamen digna plagis fecerit, vapulabit paucis. Qui autem cognoverit et non fecerit, multis. Cui plus datum, plus requiretur ab eo.* Non tamen ideo minoris aestimanda dona Dei, aut, ut servus *piger* fecit, angusto corde recondenda, aut existimandum *quia homo austerus* est.

Peccatorum. Huius anni praecipua: *vanitatis* aliquid in loquendo cum aliqua complacentia, *phantasiae* periculosae aliqua data occasio per oculorum libertatem et aliqua adhaesione, *gula* in cibo et potu, *impatientia,* semel praesertim ex apprehensione rei non bene intellectae, cum afflictione fratris innocentis, *anxia sollicitudo, loquela* profusa, otiosa, aliquomodo imprudens, *tepiditas* et *negligentia* in orando, in examine conscientiae, aliquando in confessione, *pigritia* aliquoties, sine occupatione *seria, omissionum...* Ne etiam luminis defectus sit poena peccati et merito imputetur timendum. *Illumina sensus meos. Illuminet vultum suum super nos.*

Iudici. Dum veneris iudicare, noli me condemnare. Verebar omnia ... mea.

Simul tamen *Salvatori, Regi,* cuius si spiritum induere, si et inducere in alios serio et strenue conatus fuero.. Domine, ne tu mihi sis formidini, diem hominis non desideravi.

Confessio annua. Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis.

Noverim Te, noverim me, ut amem Te et contemnam *me.*

4. *De iudicio universali.*

Desolatio, non satis oravi. Domine, miserere!

Tamen, *adveniat regnum tuum.* Ut hoc possim desiderare et petere semper cum *humili fiducia.*

Sed quid hoc est, quod cum *sanctissimis* hominibus meditatio iudicii *timorem* ac *tremorem incutere soleat, mihi peccatori...*?!

Cor mundum crea! Noverim Te, noverim me! *Spiritus bonus.*	Quotidie saepius, praesertim in examinibus, haec petenda.

Dies 4.

1. *De Regno Christi.*

In Parabola Rex... cui obediunt. Talis *erat* regiae dignitatis existimatio, at nunc, subversis antiquis ideis, extrema contemptio super principes; *ius divinum* negatur et Principes et populi miseri... Sed *iustus es, Domine. Rex Christus, cuius regni non erit finis.*

Ad p. 2. Quam pauci *sanae mentis!*

Ad p. 3. Mihi non est amplius *consilium,* sed ob voti sanctitatem *praecepti* vinculum inductum est mihi felicissime. In praxi tamen multa etiamnunc remanent *consilii,* ut *insignis* esse in Christo sequendo possim. Et quidni id unum summe optem, Rex optime, Christe Iesu!

2. *De Incarnatione.*

In humano genere, omnia *inordinata,* hinc *miseriae* infinitae temporales et aeternae.

In SS. Trinitatis personis, omnia aestimanda, adoranda, laudanda, *iustitia,* et praecipue *misericordia.*

In SS. Virgine, omnia *ordinatissima,* puritas, humilitas, *imitanda.*

Sed quid? quod post admirabile opus redemptionis perfectum, post praeclaram salutarem Evangelii doctrinam tot mediis salutis constitutis, *mundus* etiamnum *talis!*

Quid? quod *ego,* tot luminibus, tot gratiis, tot stimulis, tot subsidiis... tantum adhuc de humani generis *corruptione* in me et in omnibus meis, tam multa *inordinata!*

Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum.

3. *De nativitate.*

Maria et Ioseph proficiscuntur ad solvendum tributum Caesari, et post 30 et amplius annos Pharisaei et Scribae *disputant, si licet tributum dari Caesari* an non! Miseri sapientes, sophistae!

1°. *Maria* pacatissima, modestissima, humillima, resignatissima, sollicita *sine anxietate. Me pauperculum et servulum indignum,* illis servientem, ita servire Domino *in aegrotis* invisendis.

2°. *Verba* non querulosa, non murmuratoria, non iocosa, non vana et otiosa.

3°. Labores tanti et iter UT ita incommode nascatur, et nos miseri labores tantos... UT commode nobis sit! Quam diversus Christi spiritus a spiritu mundi!

4. *Repetitio de Incarnatione.*

5. *Applicatio sensuum de Nativitate.*

Odor divinitatis, animae, virtutum, ut de *remotis,* utcumque. *In odorem unguentorum tuorum.*

Gustus, ut immediate percipiendus, non item.

Tactus, terram lingent ...

Dies 5.

1. *Praesentatio in templo.*

Iesus infans oblationem suam *sollemniter* confirmat. Matrem ipse regit, ut iam antea in utero adhuc clausus, ut et ipsa legem purificationis impleat etc. *Oblatio mei* sit seria, generosa, constans.

Mater humilitate profundissima mysterium abscondit, nec tacita quaerit in se, vel familiari cum Ioseph colloquio, humiliationem hanc suam compensare, sed *totam* sumit generose.

Simeonis devotio exemplar eius quam in contactu Iesu in Eucharistia procurare debeo.

2. *Fuga in Aegyptum.*

Pracstantissima ea Providentia, quae multa patiendi, multorum laborum et aerumnarum occasionem tribuit.

3. *Vita Domini abscondita.*

Crescebat, gratia ... apud homines, Hoc de vita *privata;* in vita *publica,* quo maiora edebat virtutis opera, miracula, eo magis incendebatur odium improborum!

4. *De 2 Vexillis.*

In Lucifero *merum odium ...* nullo suo bono ... sed *merum odium!*

5. *Repetitio.* Singula puncta singulis opposita.

Omnino, omnino in *paupertate* et *contemptu* vere et fructuose sub Christi vexillo militatur, per *divitias* et *honores* multum boni praestare velle in Ecclesia Dei *illusio* est. Hoc maxime Societati tenendum est *principium*: Damna temporalia, opprobria et calumniae et odia (nulla tamen data causa) *operi Dei* non oberunt sed proderunt. Ita *Iesus,* Dux Societatis, ita *Societas,* non ille per unam viam et haec per oppositam. O intelligam ego et sentiam magis semper ac melius! Intelligant et sentiant omnes Nostri!

Dies 6.

1. *Iterum de 2 Vexillis.* Nil novi luminis. *Fide* et *fide* procedendum.

2. *De 3 Classibus.*

Quantum ad animi dispositionem videor quidem plane in *omnem* Dei voluntatem ac beneplacitum resignatus et ad quae-

vis illa adversa libenter suscipienda et ferenda promptus. Interea tamen, in particularibus attendendum

1°. *oculorum* illi *libertati,* quae omnino *severe* frenanda;

2°. *verborum profusioni;*

3°. illi qualicumque *motui* seu *turbationi,* in epistolis expediendis, legendis, scribendis, in excipiendis iis qui importune veniunt; cogitandum a *Domino missos.*

4°. *Orandum, orandum, orandum.*

Cor mundum ... Noverim Te, noverim me.

(Ratio consc. *Ex. part.*, notandi *omnino* et defectus et virtutes. Applicandum praecipue ad cognitionem propriae *miseriae* et ad habendum *animum magnum* in Domino. Circa gubernationem Societatis considerare *Deum gubernantem,* me exsecutorem in minuto (P. Sarasa, *de Prov. Dei*).

In loquendo, ex S. Patris prudentissimo monito, ita caute ac si cum homine qui propalaturus esset, quaecumque ex me audierit.

Noverim Te, Domine, noverim me!

3. *Christi ingressus in Ierusalem.*

Triumphus hic a Christo Domino admittitur quia implenda prophetia et figura agni paschalis.

Sed est triumphus *humillimus,* et ipse *flet,* et ad maiorem passionis et Crucis ignominiam vergit.

Ita mihi *signa aestimationis* (raro sincerae, rarius constantis) humiliationis esse occasio debent, certe *memoriam meae miseriae* et *indignitatis* vividiorem excitare.

O bone Iesu, sint mihi omnes honores ignominiae et solus honor verus pati et contemni tecum et propter te!

Dies 7.

1. *Hortus, Christi tristitia.*

Pro me misero et indigno et ingrato et rebelli. *Tristis est anima* Iesu *usque ad mortem* ob meum statum animae miserae et indignae.

Timet ob *mea* pericula.

Taedet meae duritiae et ingratitudinis.

Agonizat pro anima *mea* et *usque ad mortem certat pro mea iniquitate.*

Venit *in altitudinem maris et tempestas demersit* Illum propter me, et ego velut in litore specto indifferens! O ... ! Et Iesu contristato de me et de meis rebus, ego delectari volo..... Saltem ne umquam in me rebusque meis! Sed memor ero miseriae summae meae.

2. *Dominus Iesus ad tribunalia.*

Heu iniurias et contumelias Iesu sapientiae, sanctitati, potentiae illatas...!

Atqui has ille *pro me*... et quidem mihi debitas, quippe *peccatori* ac proin et irreverenti et superbo et blasphemo et stulto et seductori!

O Domine, fac me participem... quidquid vero erit, *merito* meo eveniet, immo infra meritum semper.

3. *Flagella et spinea corona.*

Mihi flagella, mihi spinae debentur, sed si his indignus sum, saltem *spinas* sollicitudinum et subditorum et malevolorum portem pro Domini amore lubens.

4. *Crucis baiulatio et crucifixio.*

5. *Applicatio sensuum ad Crucifixum.*

Sub umbra illius... Pedem crucis stringere, tenere, inde non sinere me avelli. (Quid hoc est? quod ad propriam miseriam ob oculos habendam necessaria *mihi* est *reflexio,* et tamen qui aliquantum scit legere, ei non opus est reflectere ad *a b c.* Magnum ergo imperfectionis, caecitatis, et vere *incipientis vix, vix* argumentum).

Dies 8.

1. *Resurrectio.*

SS. anima Christi, mox ubi a corpore separata, *triumphat* prodigiis in terra, in limbo patribus paradisum sua praesentia afferens, ad sepulchrum Matri SS[ae] gaudium inexplicabile communicat. Mira dignatio Filii Dei, dignitate ab aeterno beatus, in humanitate similis factus fratribus, affectuum humanorum capax esse voluit, dolorum etc., et nunc gaudii. Omnia *propter nos, resurrexit propter iustificationem nostram.*

Exsultet nunc... Quis est tu? vix ac ne vix quidem lacrimas habes pro deflendis peccatis tuis, pro compatiendo passioni Domini, et pro Domini gloria contemplanda habes! Quis es tu?

2. *Contemplatio de amore.*

Inter *beneficia* divina etiam meae *miseriae* (non culpa, quae omnis *mea* est), sed *miseriae* sive poenae peccati, sive probationes et exercitationes, utrovis nomine *beneficia* sunt.

« *Tomad Señor, y recibid, vos me lo distes, a vos, Señor, lo torno; todo es vuestro, disponed a toda vuestra voluntad* ».

Omnia tua sunt, *dispone;* vita, salus, talenta quaecumque, oculi, lingua, aures, pedes, manus, viscera, *dispone;* generalatus, hominum qualiscumque aestimatio, socii cari et utiles, eorum opera et ministeria, *dispone.* « Todo es vuestro, disponed a toda vuestra voluntad ». Iam erant omnia per se *tua,* sed *tua* illa iterum fieri intendo offerendo omnia ac restituendo tibi: « a vos Señor lo torno; todo es vuestro, disponed ».

Amorem tuum et gratiam. Ita Domine, *ut in omnibus* clare cognoscam et perfecte adimpleam SS^mam^ tuam voluntatem. Hanc gratiam postulo, cum hac donis tuis uti volo. Quod si hoc me non facere vides aut non facturum praevides, *Tomad,* Señor, aufer potius omnia dona tua et vitam ipsam, relicta mihi solum gratia tua, « *que ésta me basta* ».

(Quam praeclare haec conclusio quadrat cum fundamento: *reliqua super terram*).

3. *Eadem.*

p. 1. *Repet.* Oblatio praesertim miseriarum et afflictionum. *Dispone,* Domine!

p. 2. Quoddam templum suum me facere dignatus est! Quomodo illud vanis rebus et otiosis ... *profano!*

4. *Eadem.*

p. 2. Deum *habitantem* in creaturis deberem praesenti oculo fidei frequentius intueri, deberem et ego vicissim *habitare in Deo.*

p. 3. Deum *operantem* in creaturis, item ut supra, et ad moderate et reverenter utendum creaturarum opera!

p. 4. Omnia bona in creaturis sine Deo *nulla,* in Deo sine creaturis omnia.

Et in Sanctis quidem dona Dei confirmata sunt, at in mortalibus, etiam sanctissimis, defectui obnoxia et plane perdi ac perire possunt. Quid vero de donis naturalibus ... !

Deus, Deus!

Ceterum magis ad *humiliationis* actus quam ad *amoris* impelli me in hac ultima contemplatione sensi, scil. *madidum lignum* flammam non concipit. Domine, miserere!

Cor mundum ...

Domine, noverim te, noverim me, ut amem te et contemnam me! Amen.

1835.

(Inch. d. 14 Sept.)

Dies 1.

1. « *El hombre* » creatura *talis ..,* tot millia millium, *omnes,* ne uno quidem excepto, inter hos et *ego* ... « *Es criado* » opus insigne divinae bonitatis et omnipotentiae, « *para alabar* » ... *laudare* solum non sufficit. Quis non agnoscat ac praedicet omnipotentem, sapientem ... ! Non sufficit: *Domine, Domine!*

« HACER REVERENCIA Y SERVIR A DIOS NUESTRO SEÑOR ».

2. « *Servir* », non *meo* modo, sed modo quo *Deus* vult, non ergo *quae displicent,* si esse Domini voluntatem intelligam, *omittere* aut *differe,* neque facere quae placent, si Domino minus placere intelligam.

Ipse *Dominus,* Eius est de omnibus rebus ad me quocumque modo pertinentibus disponere libere, plene, nulla habita ratione mei meaeve inclinationis, *meum* autem subesse, oboedire, servire.

« *Y mediante esto salvar su ánima* ». O beatitudo vera, plena, incommutabilis, aeterna, *ad quam* Deus *Dominus,* immo magis *Pater* me vilem creando *destinat!* Ex illius parte nil deesse potest, quominus consequar tantum bonum. Mirum, quod hoc loco fere utuntur concionatores ad terrendos peccatores, cum argumentum *de salute animae* ad excitandos et animandos homines tanti boni spe potissimum inservire debere videatur. Fit hoc quidem ob plerorumque hominum socordiam in cura salutis, sed tamen . . . ! Fortasse etiam quia salutis consecutio a multis veluti *felix aleae iactus* consideratur.

3. « *Y las otras cosas . . . para el hombre* », necessaria, utilia, iucunda, ut necessitati hominis, utilitati, delectationi etiam inserviant, etiam ut *occupationem* praestent, sed *ad finem* subordinata.

« *Tanto ha de usar dellas, quanto le ayudan* ». Hinc inordinatio.

« *Hacernos indiferentes* », praesertim vero ubi nobis *indifferentiam* illam deesse sentiamus, *ibi* necesse indifferentes nos facere, vi compellendo nos ad abstinendum a gratis vel ad amplectenda ingrata. *Ibi* enim periclitatur aequilibrium. N. B. « *en todo* » applicandum ad ea, quae contra voluntatem seu inclinationem, contra ea quae constitueram facere, eveniunt.

4. *Applicatio fundamenti ad proprium statum et officium* (languida et arida; Domine, miserere!).

In officio meo maior *cura parcendi tempori* adhibenda, post prandium maior temperantia in legendo, iuvabit fortasse temperantia maior in cibo et potu, ut citius ad seria applicare animum possim.

5. *Repetitio.*

Examinis part. materia sint illa quae S. P. in Praep. Gen. requirit, quarum prima dos est: ut *quam maxime coniunctus et familiaris cum Deo ac Domino nostro, tam in oratione quam in occupationibus suis omnibus sit.*

Dies 2.

1. med. nocte ⎫ *De triplici peccato.* Verum eheu! utraque
2. in aurora ⎭ languida, vel potius capitis gravedine

impedita. *Pudor* et *confusio* concepta, Domine, miserere! Quam vere anima « encarcerada en est cuerpo corruptible »!

3. *Exerc.* 2[dum] *de peccatis.*

1°. *Processus* peccatorum. Quae recolens cum pudore, magnum concepi sensum *misericordiae* erga me Dei, cursum malum interrumpentis, idque toties, in variis periculis.

2°. *Peccatorum foeditas, etiamsi prohibita non essent.* In meo praesenti statu et gradu applicatum ad innumerabilia peccata et offensiones et negligentias meas. Quam indigna *Praep° Gen[i] Soc. Iesu!!!*

3°. *Quid ego esse possum?* comparatione instituta. Si mea exsistentia est alicuius momenti, est ratione officii; me deficiente illud manebit et alteri dabitur, qui melius eo fungetur, digNioremque se auxiliis divinis praebebit et cum his cooperabitur fidelius.

4°. *Deus,* Dei immensitas ad meum *nihilum,* etc.

5°. Creaturarum ultio quam merito timenda! (Abundantior fuit lumine ac sensu).

4. *Repetitio* 1[i] praesertim exercitii.

Praecipua vis in *comparatione* peccati angelorum eorumque poenae cum peccatis meis tam multis.

Item sequela peccati Adami.

5. *De Inferno.*

Visu, quinam in inferno? Fortasse...? *Ut animas nostras* etc.

auditu, turbulenta omnia, maledicta. Ubinam in terra imago inferni?

odoratu, gustu, tactu. O quam levis, quam nulla omnis sensuum mortificatio!

Quam vere *in imagine pertransit homo!* Quid sunt omnia praesentia visibilia, seu bona seu mala, si cum iis quae fide ac meditatione cognoscimus comparentur!

Dies 3.

1. *De morte.*

Homo, cum mortuus fuerit et nudatus atque consumptus, ubi quaeso est?

Quam efficax medium ad *carnis, sensuum* et *amoris proprii ac mundani* rebellionem expugnandam!

2. *De iudicio.*

1. *Iudex.* Ille enim Iesus, qui *nunc* benignissimus, excipit, immo vocat ipse, allicit ad se, blanditiis, promissis, omnes quantumvis peccatores, semper paratus in *throno gratiae* in SS. Eucharistia.., *tunc* severissimus ac rigidus exactor, scil. tunc personam iudicis sustinebit. O Domine! ne mihi sis formidini,

ne muteris mihi in crudelem! Ergo nunc *gratia* utendum diligenter. Iuste iudex... ante diem rationis. Nunc timendum salutariter, ut tunc *ab auditione mala non* timeam.

2. *Ratio reddenda*:

beneficiorum; etiam officium hoc meum, quantumvis sub multiplici respectu timendum, est tamen beneficium in quantum acer est *stimulus* et plurimum dat *occasionem perfectionis acquirendae.*

peccatorum; magis *serio* et *constanter* dolor exercendus de peccatis etiam praeteritis.

3. *Repetitio.*

Corpus, etiam dum vivit, quid est? Sordes, putredo, quidquid attingit foedat et corrumpit, nisi assidue curetur ob necessitatem et decentiam, quid erit? Tum vero, si quando morbus aliquis, quid fit?... Quid vero, ubi anima ab illo separata sit?

ubi est? Quam triste, cum possis studiose vivens sine mora frui Deo, ob negligentiam et socordiam detrudi... et quis scit, in quantum tempus!

Iudex, momento *ante* mortem, uno actu voluntatis, potest promereri, momento *post*..... iudex!

(Rat. consc. *Non mea voluntas sed tua fiat. Non quod ego volo, sed quod tu.* Ut vere ac serio fiat, necessarium est bellum continuum contra omnem naturalem inclinationem, contra quasvis adhaesiones ad creaturas. Saepe ergo circa has me examinare, num cui rei creatae adhaeream, aut etiam, si olim adhaeserim, an ista inclinatio non reviviscat. Hoc porro opus *totius vitae,* in examinibus etc.).

4. *De regno Christi.*

Christus *vere Rex,* a Deo datus, universalis, dotibus regiis instructus.

Eius propositio *vera* et quidquid vel in parabola de rege terreno cogitari potest, infinite superat.

Sibi subiicit *omnes,* vel amore et obedientia, vel suo tempore rebelles puniens.

Conditiones quibus vocat *verae et ultra,* nam a nemine tantum postulat, quantum ipse fecit et passus est. Quid vero, si attendatur infinita distantia inter Ipsius dignitatem et nostram vilitatem! Et tamen, licet in laboribus tanta inter illum et nos differentia, in gloria quamdam aequalitatem promittit, *illic et vos sitis... sicut ego sedi...!*

In ferendis iniuriis et adversis omnibus. Hoc praecipuum Societatis *privilegium,* ob quod vocatio haec nostra nobis debet esse praecipue cara, carissima, quia *nil praeclarius* quam ita haberi a mundo.

Dies 4.

1. *De Incarnatione.*

Homines per universum mundum caeci, insani, ruentes in interitum, et inter hos *ego* cum caecis caecus, cum insanientibus insaniens, nunc saltem Domini tanta usus misericordia, eius doctrinam et exempla sequar.

B. M. V. in Nazareth pauper, ignota mundo, at Deo...!

2. *De nativitate.*

In tantis laboribus ac tanta paupertate!

Verba, ferme *silentium..,* certe nullae *querelae,* nulla *murmuratio* de civibus Bethlehemitis aliisve, *pax, pax* et *gaudium in Spiritu S.* Quanto lumine, a divino Infante communicato, illustrati Ioseph et Maria, ut paupertatis ac laborum pretium inaestimabile intelligerent, aestimarent, amarent! *Quis mihi det! Iesu, Maria, Ioseph, dulcissimi amores mei, patiar ego.*

3. *et* 4. *Repetitio.*

Mundus, homines... omnes unius Patris, nobilissimi quondam, sed qui praevaricatus est, filii, stirps omnis *degradata,* heu quales! Quid si non fuisset redemptio...? Hac statim promissa, nihilominus, quin etiam nunc post completum opus redemptionis... oblivio Dei. Poenae diluvii, ignis, oblivioni datae; familia una electa, ex hac populus electus, et hic qualis? *Alii in bello,* furor, crudelitas...

» *in pace,* otium, luxus, libido, mala ex saturitate orta etc.

» *plorantes,* hi plerique, sed sine merito et propter malitiam suam sine remedio,

» *ridentes,* vanis ac falsis gaudiis, libidinum, spectaculorum obscoenorum, commessationum et ebrietatum, et horum omnium gaudiorum *extrema luctus occupat,*

» *nascentes,* in miseriis et fletu,

» *morientes,* in angustia et doloribus et desperatione, medii *viventes* inter utrosque, immemores principii sui, *finis* sui, toti in explendis cupiditatibus suis!

Talis et *ego,* nisi misericordia Redemptoris!

Deus inter haec, iratus misericordiae recordatur, et ex mera misericordia. Quid enim universum genus humanum coram Illo?

Maria, o *beatam ex hoc* te *dicent omnes generationes.*

O Fili Dei, Verbum caro factum, Tu gloria nostra! Rex meus, Deus meus, Magister meus, Pastor meus, Redemptor meus, Salvator meus.

Exinanivit semetipsum, naturam illam in ceteris degradatam adeo suscipiens. Omnia cetera quae passus est huius humiliationis nonnisi corollaria.

5. *Repetitio de Nativitate,* cum applic. sensuum.

B. V. in specu Bethlemitica; nullum privilegium ab humanis miseriis adepta est *Mater Dei,* immo haec dignitas eam tantis obiecit laboribus et incommodis paupertatis. Iesus infans . . .

auditus, silentium, suspiria, Infantis nati lacrimae et vagitus loquuntur . . .

odoratus et *gustus* et *tactus* sanctis animabus reserventur, his ego indignus.

Dies 5.

1. *Praesentatio in templo.*

1° B. V. quam multa *itinera,* et omnia laboriosa! In omnibus: *Ecce ancilla Domini, fiat.* Rebellionem utique non sensit; sed sensit aerumnas.

2° Puer Iesus se offert Patri. Nostra oblatio et resignatio fere in abstracto versatur et in possibilibus, at Iesu oblatio erat de positivis, a se cognitis ac certo futuris, iisque gravissimis. *Ita Pater quoniam sic fuit placitum ante te.*

3° *Simeon,* erant in mundo quantumvis perdito vel pauci *iusti ac timorati exspectantes redemptionem Israel.* Ita et nunc, et erit semper, ac tales in omni coetu hominum et conditione.

2. *Fuga in Aegyptum.*

1° Acceptavit Pater oblationem Filii, et statim *duram* probationem immittit. Ita mihi cogitandum, et contra si non prober.

2° *Surge, accipe* etc.

Iesus, Maria, Ioseph non ideo existimarunt se minus coram Deo . . .

3. *Repetitio.*

Seria oblatio Iesu, generosa, plena, constans.

Iesus, Maria, Ioseph tractantur a Patre quasi non eo modo quo ceteri, quos *magna reverentia* disponit: *Surge, accipe.* Ita Deus scil. cum carissimis sibi. At nos non ab hominibus modo, sed et a Deo *leniter* haberi volumus! Quis mihi hoc tribuat, *ut affligens me doloribus non parcat!* Ita vere amare se ostendet.

4. *De 2 Vexillis.*

De *Luciferi vexillo,* nullas personas immunes relinquit, ergo nec religiosos, nec *missionarios.*

Timendum ne qui in *laqueum* cupiditatis et honoris incidant sub praetextu quod *pecunia* ad necessarios vel opportunos sumptus faciendos requiritur, et quod *aestimatio* hominum etiam ad fructum in animabus faciendum necessaria sit. Quam *caute* et *vigilanter* attendendum!

5. *De vexillo Iesu Christi.*

Paupertas summa. Quomodo hanc persuadebit qui non sit ipse vere *pauper* spiritu, et etiam effective?

Amor contemptus persuadendus. Quomodo ab eo qui se honorari gaudet? O Iesu, suscipe nos sub vexillum tuum, ut quondam servum tuum Ignatium suscepisti ita ut eras *cum cruce!*

Dies 6.

1. *Repetio de Vexillis.*

In castris Luciferi perpetua tumultuatio.

In Iesu castris pax et tranquillitas.

2. *De tribus hominum classibus.*

Ad *omnia, omnia, omnia* seu *facienda* seu *ferenda* quae Deum velle cognovero.

Ubi innotescat *quid velit Deus,* iam electioni locus non est, potest esse tamen locus electioni circa modum.

Quod homines *quicumque* impediunt, obloquuntur, non debet me a persequenda Dei voluntate cohibere. Nisi ad hoc paratus sim, non sum paratus ad omnia, proinde ad 3^{am} classem non pertineo, nisi *humanis* quibuscumque *rationibus superior sim et maneam.* Magnum hoc in actu et applicatione *universali,* et multo lumine et magna *gratia* indigeo ut hoc *perfectionis principium* teneam. *Triplex colloquium.*

3. *De tribus modis humilitatis.*

Tertius, nisi primus et secundus teneantur ante bene et solide, teneri, nisi forte transitorie, nullo modo potest. 1^{mi} et 2^{i} basis *indifferentia* est. Sed haec ad 3^{m} non sufficit, sed nec ad electionem sufficit, supposita aequalitate gloriae Dei. Quid enim? electione fiet, quia magis placet? At haec ratio *nulla* vel ex ipso fundamento. Si quis gratum quid vel adulatorium mihi dicit, respondendum: *Cur ita mihi loqueris? Quid ista?*

4. *De ultima coena.*

Mittit discipulos in Ierusalem et ipse subsequitur, quo animo? Paulo ante dixerat: *Et nunc anima mea turbata est, Pater.* It tamen, generose, exemplum mihi si quando eundum quo naturaliter nollem. *Sensus* in Christo non tollit *generositatem,* nec *generositas sensum. Desiderio desideravi.* Quid poterat hic esse obiectum desiderii nisi solus *amor* Patris et hominum!

Unus vestrum me traditurus est. Quam *afflicti* apostoli *cum* Christo *afflicto!* Sed in Christo semper *afflictio* cum *generositate* coniuncta. O exemplum! Et ego *gaudere* volo!...

5. *Prosecutio.*

Lotio pedum et institutio SS.^{i} Sacramenti. Animi *dolor* non impedit quominus nunc etiam maiora quam umquam *ca-*

ritatis officia praestet! O dolor! O amor! *Pridie quam pateretur,* et in ipsis verbis institutionis in utraque forma *passionis* futurae expressam facit mentionem. O exemplum *caritatis* in tempore *afflictionis,* non minuendae sed augendae!

Si quaecumque fecerunt Sancti nulla sunt comparata iis quae *Christus* fecit, et tamen Sanctorum exempla *stupore* replent et *humiliant* me, quid *ad Christi exempla sentire* me par est?!

Dies 7.

1. *Hortus.*

Tristis est anima mea usque ad mortem. Nil videbat Iesus nisi doloris et afflictionis argumenta. Ita ipse sponte. In me tristitia simili modo oritur, sed *praevenit,* non ut in Iesu *sequitur* voluntatem dominam.

Pater, si possibile est etc., *sensus* et generosi animi *fortitudo.*

2. *Tribunalia.*

Accusatur Iesus:

1° *a quibus?* primum antecedenter a *Iuda,* inde a *testibus* subornatis, a *principibus,* sacerdotibus, scribis, pharisaeis, hominibus auctoritate et existimatione pollentibus;

2° de quibus *criminibus?* gravissimis, at falsis; specie tamen et colore zeli obvolutae sunt calumniae, quaedam *vera* dicebantur, sed *impie* vertebantur crimini;

3° quo *effectu?* ut plebs omnis in errorem inducta opinionem, quam de Iesu conceperat, deponeret, detestaretur, reverentiam in odium ac furorem verteret inexplebilem.

Haec omnia Iesus, *volens* non malitiam hominum sed effectus ipsos contra se.

Quantus *honor Societati,* in his aliquam habere cum Christo similitudinem!

Mihi vero si quid aliquando obiicitur, saltem aliquid *veri* suberit, et praeterea quid debetur *peccatori?*

Ceterum *abhorrenda hominum aestimatio,* Iesus dux et sapientia.

3. *Dolores,* flagellatio, coronatio, crucifixio.

1° Quam *atroces* dolores, inflicti a carnificibus *absque humanitate* aut *respectu;* cum aliis mortis reis non ita agitur ab humana iustitia.

2° *Sine lenimine.* Quanta adhiberi solent ad leniendum dolorem in vulneribus a chirurgis! In Christo vulnerato vel ipse *aëris* contactus quanto fuit tormento!

Iam si a me postularetur ut *eosdem dolores* perferrem quos Christus pertulit, nimium utique non esset, pro pecca-

torum expiatione, pro inferno vitando, pro minuendo purgatorio, pro meritorum augmento, pro gloria aeterna, pro similitudine cum Christo!

Postulantur autem *tanto minora!* Quidni? etiam ut aliquantum assuescam dolori, quo facilius feram extremos dolores in morte.

Denique *saltem* non indulgere carni ac sensui.

Quam pauca haec, quam nulla!

Passio Christi, conforta me!

4. *De mysteriis in cruce* ex Lib.

1° *Iesu verba.* Omnia *dolorem* et *amorem* spirant.

Pater, dimitte ... Haec oratio etiam pro *maxime perversis et impiis.* Vere enim *nesciunt quid faciunt.*

Hodie mecum ... Si cuicumque in quocumque dolore vel afflictione hoc diceretur : *Hodie,* quam libenter ... atqui *semper* valet hoc verbum.

Mulier, ecce filius tuus ... ecce mater tua. Veluti testamentum suum disponit de iis quae *sola* sibi reliqua erant, et erant coram. Quam plena *doloris* et *amoris* legatio!

Sitio.

Deus meus, ut quid dereliquisti me, tormenta *pura.*

Consummatum est ... In manus tuas.

2° Creaturarum insensibilium *dolor.* Et cor meum non *sentiat,* non *scindatur,* non *tremat* saltem?

3° *Inimicorum* rabies, *latus transfixum. O cor! Aqua lateris Christi, lava me! Intra tua vulnera, o bone Iesu,* praesertim intra vulnus CORDIS TUI, absconde me!

5. *Sub umbra illius ... sedi et fructus eius dulcis ...*

1° fructus *compunctionis, transfictionis, scissionis cordis; contritionis, timoris ac tremoris, doloris* pro Iesu et *pro me;*

2° fructus *imitationis,* mortificationis carnis, sensuum, spiritus humani et mundani.

3° fructus *amoris,* amoris, amoris tanti Amoris. *Quis mihi det ut ego ...*

Sed fructus *gustandus,* non solum contemplandus. Heu mihi!

Dies 8.

1. *Resurrectio D. N.*

1° Statim anima Christi, ut a corpore separata fuit, abstersa omni tristitia, beatitudine perfecta exsultavit. Corpus vere *ergastulum* animae. *Quis me liberabit? Educ de custodia animam meam!*

2° *In limbo.* Patrum gaudia, gratulationes, gratiarum actiones.

3° *Ad sepulcrum.* Corporis immutatio . . .

4° *Ad B. M. V. Regina coeli, laetare.*

2. *Repetitio.*

Qui paulo ante: *Anima mea turbata est, Tristis est anima mea, Deus meus ut quid dereliquisti me?* nunc statim a morte beata luce divinitatis exsultat. *Tristitia fuit usque ad mortem,* non ultra. Utinam sic animae meae! *O . . . ! usque ad mortem* libenter omnia, omnia, Domine! cum gratia tua!

3. *De iustorum* praemio ex P. Palma.

1°. Christi *gloria,* et *spes* nostra.

2°. Iustorum *bona* in *praesenti.*

3°. » felicitas *in morte.*

4. *Contemplatio ad amorem spiritualem excitandum*:

« *haber* », quae habeo in persona mea; « *poseer* », quae externa bona;

« *todo es vuestro* ». Si mihi ea reddas, iterum tua ipse profiteor et profitebor, et nova tua beneficia nova oblatione restituo et restituam;

« *a toda vuestra voluntad* », non *mea,* quam nullam esse volo aut tibi totam oblatam adeoque tuam;

« *dadme vuestro amor y gracia* », non postulo, nec mihi, nec etiam Societati dona singularia, quibus olim floruere patres . ., *amorem tui et gratiam,* et dum *gratiam* dico, intelligo *misericordiam.* Quamquam doleo mihi et aliis, quod uberioribus donis tuis, quae tibi forent ad gloriam, impedimenta ponam;

templum me suum fecit, in quo scil. agnoscatur, et honoretur Deus, *ut videant opera vestra bona* . . . Sed eheu! Quod ego templum, quae imago Dei! Ubi refero *spiritualitatem* Dei (per visibilium rerum contemptum), ubi *bonitatem, benignitatem, mausuetudinem, sapientiam?*

Maior sensus *humiliationis* quam *amoris.*

Eheu! Eheu! Quid iuvat *intellexisse,* si *fecisse* pigeat!

N. B. *Multa* saepe *accidunt* vel *inclinationi meae contraria,* vel *contra* aut praeter ea, quae *facienda* mihi statueram, dum *venitur importune,* dum *multae* afferuntur *epistolae,* dum *mala* aut *inconvenientia* ad me *deferuntur,* dum vel a 1ª *mensa* vel a communi recreatione impedior. *Signa externa* aut *verba* displicentiae.

Praepara animum ad eiusmodi contrarietates.

Quae facienda sunt, saepe *ingrata,* hinc *differuntur* vel aliis, quae gratiora, *postponuntur,* aut nisi omnino obligatoria, *omittuntur.*

Delectari de gratis non pure in Domino . . .

Recreatio procuranda magis *spiritualis.*
21 Oct. 1835.
In ogni affare spinoso: *Memorare o. p. V. M.*

1836.

(d. 23 Nov.)

Dies 1.

Servire Deo Domino, in omnibus Illi soli, pro Eius voluntate, non pro meo lubitu. Si interpellor, si impedior importune, *non quod ego volo sed quod tu.* Totum malum a *mea* voluntate, ut contra, mea voluntate recte ordinata secundum voluntatem Dei, quid me *impedire* umquam poterit?

Reliqua. Omnia etiam rerum humanarum vicissitudines, calamitates. Quam multos haec *adiuverunt* ad virtutem et sanctitatem! Ita et me, modo *velim.*

« *Tanto usar o quitarse, quanto* », nec plus nec minus. Hoc scil. est *ordinate* uti vel abstinere. Si secus agam, *inordinatio* est. Et ista inordinatio quam frequens! ob voluntatis *propriae* viventis etiamnum ac vigentis vim nimiam. *Mortificatio* tum in usu creaturarum, tum etiam cum aliquid agere aggredior, ne omnino *velim* illud tum perficere, sed impedimenta supervenire, Deo ita disponente, feram patienter et libenter. *Sacrificium* temporis Deo acceptissimum holocaustum.

« *Por lo qual es menester* » etc. Ut illud aequilibrium servetur, NECESSE omnino est *indifferentem* me reddere. Quod fieri nequit absque mortificatione. *Quidquid placet etc.*

Laudare, revereri, servire, semper *melius* ac *studiosius.* Quid Pr. Gen. Soc. Iesu?!!! Quae perfectio in isto privato? ut sim *forma gregis ex animo.* Quae *oratio,* et quae *operatio* pro Societate? Domine, miserere, *propter Nomen tuum!*

Dies 2.

1. *Confusio* et *pudor* in accessu ad Deum, ad altare.

Angeli rebelles et damnati, potuere olim, iam non possunt in aeternum *laudare* Deum, *revereri, servire.* Ego possum, et quod possim misericordia est Dei singularis erga me, ex Iesu Christi meritis.

2. Misericordia Domini, non obstantibus peccatis meis, eo me loco posuit, in quo tam multa incitamenta simul et adiumenta sanctitatis. Unde peccatori indigno, post *innumerabilia peccata et offensiones et negligentias,* tanti favores!

Quaevis etiam levissima in me Praep. Gen. Soc. Iesu nequaquam leviter ponderanda. Quantum enim boni impedire, quantum etiam mali inducere, in universa Soc. possunt, nisi imperfectum meum serio modo lugeam et *indulgentiam, absolutionem et remissionem* supplex implorem.

3. et 4. Cor *humiliatum,* cor *afflictum,* cor *compunctum,* cor *confractum,* cor *contritum.* Saltem procurandum ut habituale sit cor compunctum et dolens de peccatis. *Noverim Te, Domine, noverim me!*

Vita *ordinata*... studiosius sectanda et servanda.

5. In inferno omnis conditionis... sed uno nomine omnes *maledicti. Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam!*

Dies 3.

1. *Ubi, quaeso, est? Ubi? Ubi?* Quis novit? Et moriens... quo iturus sit, nescit, dubitat, in *sola* misericordia Domini sperari potest.

2. Beneficia quot et tanta! tanta indulgentia habita peccatorum gravitatem augent, maxime coram Iudice, et ita debet esse in oculis meis, etiam ut his me ad contritionem maiorem excitem.

Conf. gen. et rat. consc.: *intemperantia* in cibo, *impatientia,* interna, externa, dum importune interpellor, impedior, *acedia,* in oratione, in ex. consc., in agendis quae agenda sunt, *profusio* in loquendo et imprudentia, *beneficiorum Dei* exigua existimatio in desolatione, quando *fiducia* de ultimo fine obtinendo veluti deficit.

Remedia.

1° *Compunctio* procuranda habitualis, tum per examina, tum in praeparatione ad confessionem, revocando in memoriam peccata prout in 1° p. Exercitii 2ⁱ, sistendo praesertim in gravioribus.

2° *Obiecta* illa, quae peccatorum et defectuum sunt materia, vel quae valde alliciunt, vel quae repugnantiae sensum excitant, accurata *meditatione discutere,* quam levia, quam vana, quam nulla sint, quam merito contemnenda prae Deo.

3° *Deum* contemplari in gloria sua, inter Angelorum choros et Sanctorum, *gloria* et laude honoratum, per Iesum Christum, et ab omnibus creaturis.

Ad quam gloriam ego homuncio aliquid conferre possum et debeo.

Examinis partic. materia, omnes repugnantiae meae, eas vincendo, in tam variis quae occurrunt, ut ita magis semper magisque *amoris proprii* humor mortificatione, tamquam sale quodam, siccetur.

Fiducia humilis de obtinendo fine tenenda firmiter, vel vocis actibus, si corde non sentiatur. *In te confidit anima mea, non erubescam.* Et vero quorsum tot ac tanta beneficia in immeritum collata, nisi ut tandem summum illud bonum, beneficiorum suorum omnium complementum, largiatur?

Profecto, si tot beneficiis a divina misericordia praeventus, finem meum non obtinerem, nec apud me ipsum commiseratione dignus essem, monstrum ingratitudinis.

4° *De iudicio universali.*

Universale incendium, ad purgandam terram a culpis habitatorum, et vero, quis locus, vel inter sanctissima loca, immunis a sordibus? *Ruinae* partiales nunc, fors plerumque, ob eundem finem. Ceterum hoc iudicium particulare ad revocandos peccatores ad cor, ad purgandos iustos, ad sanctificandos magis sanctos, illud vero *universale* in vindictam.

Gloria iudicis, desiderabilis summopere. *O possim stare ante Filium hominis! Ecce, isti dicunt: ubi est dies Domini? veniat. Ego autem non sum confusus...* et *diem hominis non desideravi.*

Quam parva, quam nulla, omnia praesentia! illa, illa vere magna et grandia! Haec viva fide credere vera sapientia, haec firma fiducia *exspectare* est *gaudere in spe. Venturus est iudicare vivos et mortuos. Cuius regni non erit finis. Exspecto resurrectionem mortuorum. Veni, Domine Iesu, Amen. Adveniat regnum tuum.*

Dies 4.

1. *Regnum Christi.*

« *Más afectarse y señalar en todo servicio* »: in vita ordinaria totum in eo consistit, ut agam *contra propriam sensualitatem et contra amorem carnalem et mundanum.* Haec sunt certamina *quotidiana* quibus me disponere debeo ad illa maiora, si quae mihi reservet divina Bonitas pro honore et in imitatione Regis mei.

(S. Pater in parabola proponenda imitatus est Dominum, qui et ipse huiusmodi utitur, vg. filii prodigi).

2. *Homines et Dei in eos misericordia.*

Humani generis *perversitas* et *miseria,* sub daemonis tyrannide, cuius, *ut inimici naturae humanae, animarum* deiectio et pernicies per infames praesertim *libidines,* et *corporum* per immanem *crudelitatem.* Talia et nunc eius opera et effectus in suis mancipiis. A qua servitute *misericors et miserator* Dominus nos liberavit.

3. *Annuntiatio. Gabriel,* Archangelus, *Maria,* Virgo humillima, mundo ignota, *Ioseph,* sponsus pauper... *Grandia* nun-

tiantur de Salvatore. Sed omnis *gloria* interea *abscondita. Invisibilia* Dei contemptum me docent rerum omnium *visibilium.*

4. *Nativitas.*

Eadem sensa. Vere tu es Deus *absconditus.*

Fide, fide, fide vivendum et cogitandum et loquendum et operandum.

5. *Repetitio.*

Invenisti gratiam apud Deum. Haec *gratia* non exemptionem a laboribus ac poenis, sed earum immo incrementum in hac vita Virgini sanctissimae attulit.

Ita non in prosperis rerum eventibus, non in hominum quorumcumque aestimatione vel favore, non in ulla alia re naturaliter optabili reponenda mihi aut existimanda *gratia* Dei est.

Bonum in muneribus aut officiis, quae honoris aliquid habent apud homines, sunt labores et dolores illis officiis coniuncti, cetera nihil. Absit ut privilegii aliquid aut exemptionis afferant, aut certe ne in hoc delectetur servus Christi.

Dies 5.

1. *Circumcisio.*

Duplex in Iesu *mortificatio* et utraque gravissima, doloris et humiliationis. Filius Dei servi, mancipii, peccatoris signaculum suscipit, nec pro forma, sed totam vim illius significationis in se expleturus, idque cumulatissime, ita ut nullus servus, nullum mancipium, nullus peccator in laboribus et doloribus et ignominiis Ipsum exaequet.

Ita Nomen *Iesu accipit.* Si animas salvare praetendimus sine mortificatione, frustra sumus. Erramus in ipsis principiis, si absque hac aliquid boni effectum a nobis putemus.

Ergo, oblocutiones, detractiones, murmurationes, etiam iniuriosae et calumniosae . . . Unum postulandum ut ne Deus his offendatur, sed qui huiusmodi sunt bona fide loquantur et bono zelo.

2. *Praesentatio in templo.*

Oblatio Domini quam generosa, ad omnes vitae suae labores et aerumnas, ad dolores et ignominias mortis, non, ut nos offerre nos possumus, ut ad possibilia, sed ad certo futura, quae omnia hic sollemni actu acceptat *volens* ac *lubens. Exsultavit ut gigas; dixi: Ecce venio.* Dominus mihi *aperuit aurem et ego non contradico, retrorsum non abii.*

3. *Fuga in Aegyptum.*

Herodis furor... sed *Dei providentia in sui dispositione non fallitur.* Mira quidem haec et in speciem *dura* erga sibi carissimos, sed ita necesse fuit ad exemplum nostrum. Ut di-

scamus *omnem* Dei dispositionem adorare et amare, neque hominum adeo malitiam spectemus, sed potius in iis ipsis illam *amabilissimam* providentiam, quae cum nos durioribus probat experimentis, magis nos a se diligi ostendit, *modo nos velimus. Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante Te!*

Superiores quidem errare possunt et, ut homines, errare solent in dispositionibus suis, *at non fallitur divina providentia.* Ceterum Superioris est, voluntatem Domini puro corde exquirere eamque sequi, quod semper potest; licet saepe speculative dubius, at practice numquam dubius agere debet.

4. *Vita Christi sub oboedientia.*

Maria et Ioseph imperant Iesu, et imperando exercent ipsi oboedientiam. Ita Superiorem agere debeo *ex oboedientia,* quia sic vult Deus, et oboediendo S° P[i] eiusque Constitutionibus, ita dicere potero: quoniam ego oboedio et vos oboedite. *Sic decet nos implere omnem iustitiam.* Virtute *inferior* sum iis quibus praesum.

Puer proficiebat sapientia et aetate et gratia.

5. *Applicatio sensuum in domo Nazarethana.*

Videre Iesum, Mariam, Ioseph. Quam *ordinati* in omnibus actionibus, numquam otiosi, *orant, laborant...*

Audire, silentium. Iesus, *in quo plenitudo divinitatis corporaliter* et omnes *thesauri sapientiae et scientiae Dei,* ne verbo quidem scientiam suam manifestat. Nil de iis, quae tum agebantur in mundo, in imperio romano! nec iudicium aperit de ullo homine. Quale exemplum mihi pro conversatione et colloquiis! *Quae tibi praecepit Deus, in his esto.*

Odoratus et *gustus.* Nonne suavi *fragrantia* cor confortat, dum cum sancto quopiam versari contingat? Nonne *gustatur* huiusmodi virtus? Quid ergo non efficiet Iesus, Maria, Ioseph, si *corpus quod corrumpitur,* non *aggravet animam, et terrena inhabitatio* non *deprimat sensum spiritualem!*

Tactus, osculari vestigia Iesu, Mariae, Ioseph, et istam *terram* quam calco, quaeque cohaeret cum illa terra ipsa quam calcavit Iesus.

Dies 6.

1. *Vexillum Luciferi.*

Eius *fraudes,* 1° proponit quae dare non potest et decipit insinuans hominibus ea bona facile esse obtinenda, 2° *bona,* quae vere bona non sunt, sed vanitas et afflictio spiritus, 3° finis eius est reddere miseros. Itaque, *inimicus mortalis nostrae naturae fingit* se amicum.

Innumerabiles daemones mittit. Tertia pars angelorum cecidit, at *millia millium ministrant* Domino *et decies millies cen-*

tena millia assistunt ei, multi ergo milliones daemonum sub Lucifero militant.

Quare nulla mentio de carnis illecebris, de corporis commodis? 1°. Quia haec pertinent ad *carnis* tentationes potius quam ad *fraudes* Luciferi. 2°. Quia quod per se vitiosum est, non est propria huius meditationis materia. 3°. Corporis commoda in quantum indifferentia sunt, satis continentur in divitiis, et quamvis ista carnis commoda non exprimantur a S. P., nil impedit quin meditans ad haec etiam reflectat, et in his etiam Luciferi fraudes consideret, pro necessitate quam in se reperit, si, ut *ego, philautiae* sit deditus. Quod quidem in religioso, socio Iesu, Praep. Gen[l]. quam pudendum! Et tamen quam saepe, in professione *paupertatis* actualis, ingeniose novimus *commoda* sectari! *Domine, miserere!*

2. *Vexillum Iesu Christi.*

Veram vitam monstrat Christus Iesus; non sunt in ipso *fraudes.*

Ierusalem, visio pacis, non obscuritas, ut in fumo Luciferi. Christus Iesus, Dominus angelorum, etiam angelos utique mittit *innumeros.* Sed de horum missione hic non agitur, quia non est ad finem huius meditationis, ideo neque dicitur quod ad omnes ac *singulos* mittat, quamvis vere omnes ac singulos invitet ad vexillum suum.

In colloquio non petitur *desiderium* opprobriorum, sed petuntur *opprobria,* quae sunt medium ad finem obtinendae humilitatis. Qui te beatum dicunt, illi te decipiunt. Qui obloquuntur, obmurmurant, contemnunt, hi vere *bene* tibi faciunt. Ita S. Pater supplicabat admitti ad Iesu Christi servitium.

In meditatione de regno Christi nos *offerimus,* hic magis proprie ac distincte *petimus* opprobria etc.

3. *Repetitio.*

4. *De 3 classibus.*

Domine, quid me vis facere?

Compunctio, compunctio, compunctio, haec et postea haec. (Exam. part.: frenare *linguam,* frenare *gulam,* frenare *effusionem* cordis in agendis, frenare *laetitiam* in prosperis, *sollicitudinem* aut *moerorem* in adversis. In illis: *Domine, non sum dignus;* in his: *Vere deliqui et ut eram dignus non accepi*).

Quidquid displicet, bonum est mihi.

5. *De 3 modis humilitatis.*

Sensus omnino novus, cum alias omnis affectus in 3um ferri soleret, hodie

in 1°. *timor,* ne aliquando in particularibus circumstantiis aut occasionibus in hoc ipso 1° deficiam miser, sensus quidem opportunus ad *compunctionem;*

in 2°. quid est, quod cum nec de vita, nec de magnis alioqui rebus agatur, peccatis venialibus me inquinem quotidie ob defectum indifferentiae?

in 3°. visum est mihi totum hucusque in me ferme mere theoreticum fuisse.

Magna humiliatio, quae utinam *ad salutem!* Erit ad salutem, si *compunctioni* servandae ac fovendae serviat.

Dies 7.

Christi Domini dolores interni, ignominiae, dolores corporis, quam ampla argumenta *compunctioni* fovendae. *Haec omnia propter me!* Quid, si tantae misericordiae me capiat oblivio!

Mysteria in cruce.

Nil nisi doloris et compunctionis argumenta. Solum illud *Ecce Mater tua,* suavitatem habet et consolationem.

Sub umbra Illius, quem desideraveram, sedi et fructus eius dulcis gutturi meo.

Umbra, vere nonnisi umbram percipimus *doloris* et *amoris,* qui est in Iesu crucifixo.

Desideraveram, voluntatis actu. Bonum quidem est ideam grandem sibi formare de Christo Iesu. Sed ne in *intellectu* sistat contemplatio, sed ad *voluntatem* transeat per imitationem.

Sedi, non contemplandum praetereundo, sed sedendo cum quiete et mora.

Fructus, quidquid est repugnans naturae, fructus est Crucifixi et erit *dulcis,* si *sedere* sub umbra Illius discam.

Fructus universalis erit *compunctio.*

Dies 8.

1. *Resurrectio Domini.*

2. Anima *beata,* ad Inferos descendens, limbum Patrum facit paradisum, mox ubi corpore soluta fuit, tristitia eius versa est in gaudium, ignominiae in gloriam. Quae gaudia, quae gratiarum actiones a Patribus!

2. Redit ad corpus in sepulchro, illud vivificat, transmutat, glorificat. Pro nuditate paupertatis vestitur gloria, pro doloribus claritate, subtilitate, immortalitate. Patribus ostendit quae passus sit, prophetis impleta adamussim eorum oracula, quibus passionis circumstantias et partes omnes praenuntiaverant.

3. Apparet Matri sanctissimae eamque solatur plenissime. Gaudet Mater gloria Filii et hoc ei sufficit, de se omnem curam Ei relinquit. *Gratias ... propter magnam gloriam tuam.*

2. *Repetitio.*

Gaudium de Christo *in re,* pro nobis autem *in spe. Communicantes Christi passionibus gaudete.*

Si *in anima* desolatio, tristitia, taedium, timores, si oblocutiones, murmurationes, contemptus, calumniae, si in *corpore* labores, defatigatio, molestiae frigoris, aestus, famis, sitis, dolores, morbi, *gaudete, sicut socii passionum sic et consolationis.* In omnibus miseriis imitanda B. Virgo, quae inter acerbissima illa servavit vivam *fidem, spem* firmam, *caritatem* ardentem, nec fraudata est a desiderio suo. Vidit Filium glorificatum, cum ipso et de ipso et in ipso *beata.*

3. *Ascensio Domini.*

Data est mihi omnis potestas, Ego vobiscum sum.... Quantam fiduciam servis suis ingerit Dominus! Sed haec promissa *in communi,* non *singulis* nisi se Eius praebeant servi fideles.

Benedixit eis... O benedicat mihi, Societati, Ecclesiae, mundo universo...!

4. *De amore.*

« *Tomad* », est affectus vehementis, quippe considerans Dei in me beneficia et quaerens quid vicissim ego Ei donare possim, cum nihil inveniam quod non sit Ipsius donum, merito prorumpo in istud « *Tomad*... », et addo, quasi secundans summae benignitati, qua Ipse mea haec esse voluit: « *y recibid..vos me lo distes, a vos, Señor, lo torno* », et si millies donas millies restituo, nec alio nomine volo haec esse mea, nisi ut novo semper actu voluntatis ea possim *tua* facere.

Sed memento, amorem magis in *operibus* quam in *verbis* ponendum esse, ne affectu tam bene *verbis* expresso contentus plenitudinem eius *opere* explere detrectes. Sane in *opere* extensionem habet quodammodo infinitam.

Complectitur porro haec oblatio etiam *agere* et *pati,* ut respondeat beneficiis Dei in hoc puncto consideratis.

In 2° puncto *habitat,* praesentia Dei in omnibus requirit, ut ego Domino *praesens* sim et *ambulem coram eo.*

In 3° p. *operatur,* ut Eum operantem in creaturis contempler iisque utar cum ea discretione et quadam reverentia, quam concursus Dei in illis merito postulat.

In 4° p. amor Dei tanquam *Boni absoluti.*

1837.

Dies 1.

1. *Creatus* ... Omnis difficultas, omne impedimentum in me et ex me, ex voluntate *propria,* ex amore *proprio.*

Laudare, revereri, servire Deo per se honorificentissimum et iucundissimum; *voluntas* Dei enim non potest non esse bona et optima et ipsi etiam creaturae suae desiderabilissima, sed nimirum est altera *voluntas* huic voluntati semper renitens, repugnans! Haec ergo debellanda. *Persequar et non convertar donec deficiat.*

Ut Deo perfecte serviam, i. e. Eius faciam voluntatem, necesse est illam *cognoscere,* ut cognoscam seu inveniam, necesse est *quaerere* studio proprio et oratione, at nec studium hoc erit serium, nec oratio efficax, si quid in voluntate mea inordinatum, voluntati Dei repugnans, non primum impugnatum ac debellatum sit, saltem ita ut cedat facile *supremae voluntati.*

2 et 3. *Reliqua* ... Omnia *media* ad serviendum Deo, etiam hominum iniquitas, et quidquid accidit. *Omnia* pro modo quo *recipiuntur;* si recipio prout decet Dei servum *lucrum* est, *non perditio.*

4. Non modo *creatus* sed et *redemptus, sanctificatus, vocatus* ad *Societatem* et in ea *professus* et *superior* constitutus, *ad hoc* ut melius ac perfectius serviam per me et per alios!

Media Societati etiam *adversa omnia,* sic enim opera Dei promoventur ad altissimum finem.

5. *Repetitio.*

Intime sensi, *numquam* fore ut *satisfecisse* me meo muneri *Praep*[i]. *Gen*[is]. existimare possim. Sensus iste verissimus; interea tamen faciendum quod facere possum, *successive sine turbatione, (paratus sum et non sum turbatus)* et cavendum ne dum circumspicio qua parte incipere debeam, haeream ultra modum suspensus et tempus teram *nihil agens,* quia plus quam satis deliberans.

Dies 2.

1. Angeli, tanta sapientia tantaque gratia, tamen *amore proprio* illusi perierunt. Plena dependentia a Deo et proprii nihili recordatio; *nemo potest accipere quidquam.* Cum *pudore* et *confusione* ambulandum coram Deo et hominibus.

Sed quantae Dei miserationes in me super tot milliones angelorum et hominum! Hoc autem per *Christum crucifixum!*

2. Mira Dei benignitas in me, omni vita mea toties reducentis me misericorditer in viam rectam cum ab ea deflecterer! *Confitebor tibi in directione cordis.* Ac si Dominus *opus haberet,* ita mei curam gessit ab adolescentia et usque et usque, licet ingrati saepe et saepe rebellis; de quo eo magis mihi *erubescendum* et dolendum, qui talis fuerim erga talem!

Numquam satis gratus, *non satis* dolens, laborans, patiens, amans esse possum! *Minor sum* et minor semper ero *omnibus miserationibus tuis.*

3. *Repetitio.*

Grandis timor, ne tam multis misericordiis liberalissime praeventus a Domino, male tantis beneficiis respondens, indigne donis Domini abutens, severius iudicer ... idque ex exemplo angelorum, Adami et aliorum, ut Saul, populi electi, Iudae.

4. *Repetitio.*

5. *De inferno.*

Dies 3.

1. *De morte. Nudatus, consumptus, ubi est?*

2. *De iudicio.*

3. *Conf. gen.*

1°. loqui de me rebusque meis; *item* sententiam meam proferre de negotiis, profusio in verbis, sensus displicentiae, exterius etiam ostensus, in contradictione;

2°. ad importunas petitiones eleemosinarum inquietando, exterius etiam;

3°. invigilare oculis magis et phantasiae;

4°. gula, aliquando nimium, vel obsecundando gustui;

5°. impatientia in interpellationibus, in petitionibus importunis;

6°. negligentia in oratione, in examine, in officio aliquando.

4. *Remedia* et *media* ad profectum.

1. *Compunctio* procuranda ut sit habitualis in principio omnis orationis, per frequentem memoriam peccatorum totius vitae fere ut in 1° puncto exercitii 2i *de peccatis.* Peccata illa eiusmodi sunt ut non modo *compunctum* cor, sed etiam *scissum* exigant; nec enim sunt *puncturae* leves sed *scissurae.* Tu peccatorum tuorum memoriam serva, ut Deus eorum oblivisci dignetur, eaque suo tempore et quoad culpae reatum et quoad poenam deleta invenias. Haec *compunctio* praecedat omnem orationem et evagatio animi facilius vitabitur.

2. *Humilitas* in bonis servanda, cogitando te parvulum, in omnibus dependentem a matre, qui ni sustentetur nec passum formare potest ... Si ita sustentatus ambulat, facit aliquid, sed quantulum illud est quod ex sua parte facit! Ceterum nil

habet nisi miserias et necessitates et sordes. Secerne ergo pretiosum a vili et videbis quid tibi de tuo sit.

3° *Amoris proprii* humor exprimendus, qui divinae voluntati eiusque proin gloriae unice in nobis opponitur. *Lumine* practico indigeo et *robore* voluntatis. Alterum frequenti consideratione et ratiocinatione cum divina illustratione, alterum frequentibus actibus doloris et propositi cum divina gratia acquiritur. Ut ita tandem ad abhorrenda ea quae natura amat et ad amanda quae illa horret, perducamur.

Hoc in meditatione, hoc in examine, praesertim particulari, hoc praeterea per diei decursum pro opportunitate et circumstantiis.

Quidquid placet etc. Fiat *sicut mare contritio mea.*

5. *De filio prodigo.*

Da mihi substantiam. Quam impudens temeritas! Quid illum *contingit?!* Ita ego, si Dei donis ac bonis, mihi commendatis, ut *meis* uti praetendam.

Dissipavit. Ego dissipassem plane, nisi abeuntem vel recedentem Pater benignissime subsecutus revocasset cito . . .

Non sufficit ut *credam* me vilissimum peccatorem, necesse est ut talem vere me esse *sentiam.* Mirum quod non *sentiam!* Et haec ipsa est nova ratio humiliationis, confusionis, compunctionis. Quid enim coram Deo? Quid si . . . ?

Dies 4.

1. *De Regno Christi.*

Victoria certa promittitur et inviolabilitas, sed iis qui Regem sequantur ita ut *cum* ipso in acie sint eique adhaereant; *retro* manentibus atque haerentibus in extremo agmine vulnera timenda sunt et pernicies.

« *Amor carnal y mundano* », intell. quae caro (natura) et mundus amat.

2. *Repetitio.*

Viva fides in Christum, Regem aeternum et Dominum universorum, qui debellaturus venit *inimicos suos,* daemones, gloriae Patris sui hostes et humanae item naturae osores, hominum carnifices crudelissimos.

Ex parte nostra in hac Christi expeditione magis directe cum *carne* et *mundo* pugna est, quippe daemonis auxiliariis, et ideo nos offerre Christo debemus ad *agendum contra ipsos,* eo enim ipso agemus et contra *daemonem.*

(Ariditas in oratione ad *compunctionem* iuvat).

Pugnae *ordinariae* sunt illae domesticae, quotidianae, ita etiam in Christo; *sollemne* illud in acie *proelium* (*campale*) fuit in passione.

3. *De Incarnatione Domini.*

Homines, quales fuissent sine Christo? quales fuere etiam Christo promisso et in populo electo praefigurato? et quales etiam nunc non solum Tartari sed et Christiani, Catholici? Et ego qualis sum! qualis essem?

Sanctissima Trinitas, per viscera misericordiae.

Gabriel, voluntate Dei beatus et promptus, quam pulchra oppositio *charitatis* in S. Archangelo ad *invidiam* diaboli.

Maria sola sine exemplo placuit et ipsa humillima nesciebat.

4. *Repetitio.*

5. *De modo, quo Christus in Incarnatione humani generis redemptionis opus auspicatur, contra amorem proprium.*

1° *Verbum Caro factum.* Filius Dei unigenitus *incarnatus* est, humanam naturam, eius *animalitatem* suscipit eamque *degradatam,* poenis obnoxiam, secluso peccato. *Exinanivit* se. Ego vero quid? qui *cum peccato* animal degradatum!

2° *In statu conceptionis in utero* non horruisti. Et tamen videretur futurum fuisse opportunum ad finem gloriae Dei, si statim homo perfectus hominibus lucere exemplo et doctrina potuisset in tanta mundi necessitate... ! Sapientiae Dei tale consilium, talis eius voluntas, ut discam *illusionem* detegere in *speciosis.*

3° *Actus* incarnati Verbi. *Humilitatis* actus, affectu et intellectu; creatura, homo se humiliat... idque *non ex tristitia aut ex necessitate,* sed *hilaris,* sponte. O exemplum! *Exsultavit ut gigas,* humiliationis viam ingrediens et *offerens* se ad omnes humiliationes futuras, *exsultanter* et cum sensu *victimae* pro mundi peccatis, quo nomine omnem sibi humiliationem tamquam debitam admittebat.

Quid hic offerre possum, nisi cor *compunctum, contritum,* exinanitum, *ad nihil* redactum. Vere enim qui actus humiliationis in me esse aliquid potest?

Dies 5.

1. *De nativitate.*

Omnia eo directa, ut *in summa paupertate*... « Vagit Infans » quoad *sensum,* sed in corde et *parte superiori: Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te. Non ex tristitia aut ex necessitate.*

2. *De circumcisione.*

Eadem ut supra.

Nomen autem *Iesu* gloriosum, sed pro hac vita nonnisi laboriosum ut impleatur. Ita nobis esse debet Nomen *Societatis Iesu.* Sit laboris et contumeliarum etc. seges.

3. *Purificatio Virginis et praesentatio Pueri.*

Sacrificium Virginis.

Oblatio Pueri Iesu in omnem Patris voluntatem, iam bene et distincte cognitam, longe sibi melius perspectam quam Simeoni. Sed resignatio perfectissima, *non ex tristitia aut ex necessitate,* sed hilariter quia *haec voluntas Patris* sola ratio sufficiens.

4. *Fuga in Aegyptum.*

Herodis furor.

Ioseph sollicitudo, *Mariae* et *Iesu* resignatio cum summa pace.

Super omnes Patris *providentia* vigil, quae etiam impiorum furore utitur ad fines suos.

5. *Vita Domini abscondita.*

1° Abscondit et quae *scit* et quae *facit* in divinitate. O humilitas, *vanitatis* meae confusio!

2° *Ad ea, quae sibi opus erant et matri, ministrabant manus eius. Pauper et in laboribus a iuventute.*

Rex, qui expeditionem proposuit *ad debellandos hostes suos,* 30 *annis* expugnat *sensualitatem* et *amorem carnalem* et *mundanum.* Haec prima pugna et perpetua, ne in magnis et mirabilibus versari me debere existimem et scilicet ipse illudar.

Dies 6.

1. *De Vexillis.*
2. *Repetitio.*

Forma horribilis Luciferi repraesentari non potest, nisi e variis beluis mutuando formam et cornua et dentes et ungulas...

Quicumque in quocumque statu laqueis cupiditatis divitiarum et honoris mundani irretiri se sinit, mox ea experitur quae castris Luciferi propria sunt, tentationem, tenebras, commotionem, confusionem, horrorem. Statu perfectionis excidit et in suo statu, si is perfectionis non sit, perfectus esse *non potest.*

Ideo *paupertas spiritus* et *contemptus amor* dispositiones sunt et conditiones, *sine quibus non* ad perfectionem in quocumque statu. Et hoc ut intelligatur ante *electionem* vel *reformationem,* scopus est S. Patris in hac meditatione.

Exercitium de *Regno Christi* magis respicit *praxim* universalem in tota vita, imitationem scil. Christi Regis. Duo *vexilla* magis ad *theoriam* pertinet et ad animi *dispositionem.* Ideo etiam dicit S. Pater in praeambulo : *ut videam intentionem* Christi et item *intentionem* Luciferi; hic inimicus nectit *fraudes,* Ille *veram vitam* ostendit.

3. *Repetitio.*

Quam multos etiam ex vocatis ad vitam apostolicam *fraudibus* istis suis Lucifer mancipia sua fecit et pertraxit in perniciem!

Quam multa motiva amandi contemptus praeter illud quod praecipuum est, exemplum Christi! Cor compunctum, contritum ob culpas commissas non optabit contemni?

4. *De* 3 *classibus.*

S. Patris exemplum est, iuxta intentum suum circa *statum* paupertatis deliberantis.

Mihi *compunctio* et *amoris proprii* expugnatio universalis. Dominus det occasionem et movere dignetur... Mortificatio *gulae. Dominus aperuit mihi aurem et ego non contradico, retrorsum non abii, faciem meam non averti.*

5. *De tribus modis humilitatis.*

In 1° *modo.* Notandum hanc animi dispositionem non ita securum reddere, ut occasione vel tentatione oblata non possis labi. Exemplum David, Petrus etc. O mi Deus potius... *Compunctio, compunctio,* etiam ob pericula quibus expositus es, dum vivis.

In 2° *modo.* Cum defectus indifferentiae sit venialium peccatorum seges et ex illo defectu pleraque proveniant, quae materia sunt tuarum confessionum, patet non solum *negligentias,* non solum *offensiones,* sed etiam proprie dicta *peccata* tibi esse quotidiana. Et *compungi* nescis?

Ad 3^{m}. Quî aspiras, indifferentiam nondum assecutus, quae 2^{i} est? Saltem *concupivit anima mea* propter imitationem et similitudinem Regis mei et Ducis Mei. O Iesu dignare...

In meo hoc gradu et statu similis esse Christo *affectu* magis possum quam *actu,* quae quidem non exigua miseria. Saltem ergo parum illud, quod *actu* appropinquare datur, ne perdam! Sed et in hoc negligens et tepidus; quanta *compunctionis* materia!

Dies 7.

1. *Iesus in horto, Salvator* et *exemplum.*

Tristatur et ego?

Pavet et ego?

Taedet illum et me?

Agonizat et ego? *Oratione tali confortatus.*

2. *Ignominiae,* comprehensionis, Annae, Caïphae, Pilati, Herodis.

3. *Dolores,* flagellatio, spinea corona, baiulatio crucis, crucifixio.

Si a me tanta posceret Deus quanta Iesus passus est pro me, utique nimium non posceret, nunc vero...

4. *De mysteriis in cruce.*

In quacumque afflictione cavenda pusillanimitas, animi deiectio, diffidentia. Numquid *vir dolorum, vermis et non homo, opprobrium hominum et abiectio plebis* factus Christus Dominus Patri minus carus? Immo vero . . .

5. *Christus crucifixus* compendium omnium afflictionum in *omni genere simul* coniunctarum, *cordis, famae, corporis.*

Angustiae vero ex nimia occupationum multitudine quid? De his angustiari imperfectionis est. *Vel* istae occupationes sunt aliquomodo voluntariae, et debent minui, debent declinari, vel sunt necessariae et a mea voluntate non dependent, et in hoc casu *facere quod fieri potest.* Fortasse non satisfacies *hominibus,* sed *Deo* satisfacies et *sufficit.* Hominibus ita non satisfecisse coincidit cum aliquo genere afflictionum Christi crucifixi.

Memento tibi in hac vita, pro isto statu hominis degradati per peccatum originale et, quod longe peius, innumerabilibus peccatis actualibus sauciati, etiam *ad exemplum Christi* nil esse melius neque convenientius, nil utilius, nil magis necessarium quam *pati* quocumque demum modo ac ratione Deus te *pati* voluerit. *O crux ave, spes unica!*

Dies 8.

1. *Resurrectio.*

1° Anima *beata,* statim *beata* cum soluta a corpore; in mortis puncto *victoria* et terrae motus et petrae scissae etc. signa triumphi de mundi principe. Sit VITA *labor* et *dolor,* ut MORS sit beatitudinis immediata possessio!

2° In *limbo* animabus iustis, Christi anima veniente, paradisus.

3° Ad *sepulchrum* corporis transmutatio momento facta.

4° *Matri Sanctissimae* exsultatio de Filii gloria et gaudio. Hoc vel solum superabundans solatium in vitae adhuc duraturae laboribus. *Filius meus vivit beatus, regnat.*

2. *Repetitio.*

Etiam Christo, pro sua dignatione et amore erga nos ita volenti, corpus mortale fuit animae *ergastulum,* e quo egressa libera fuit et beata. Sed post resurrectionem corpus o quale, quam dignum anima beata!

3. *De resurrectione.*

Quinque status naturae humanae:

1° Qualis in Adamo, in statu integritatis.

2° Qualis post lapsum, descriptus in praeambulo de peccatis.

3° Qualis post lapsum et addita peccata actualia, descriptus in contemplatione de Incarnatione.

4° Qualis in Christo in vita mortali, scil. miseriae corporis et animi etiam, ut in 2°, *absque peccato* et imperfectione ulla, sed ad exercitium virtutis, quia ipse *victima* et *exemplar.* Debebatur Illi status qualis in monte Thabor, sed nostras miserias assumpsit, similis nobis *absque peccato.*

Ad hunc statum Sancti in vita sua conformare se studuerunt, hunc multi proxime assecuti sunt *labore* et *dolore,* sed *sine peccato,* corpore subiecto animae, ita ut haec *exercitaretur* quidem sed *non* aut quam minimum *impediretur.* Huc aspirandum et enitendum *mortificatione.*

5° Qualis in Christo redivivo, in quo corpus et anima, sine comparatione nobilius reformata natura humana quam primum in Adamo condita, vere *divinitatis* particeps. Cogita corporis Christi mirabilia ac divina in Eucharistia.

Hoc obiectum spei meae! *Reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae.*

Quanto maiora contulit Christus quam Adam perdidit! *Mirabiliter condidisti et mirabilius reformasti.*

4. *et* 5. *de amore.*

ad p. 2. Oratio: Da mihi Domine reverentem amorem et amantem reverentiam in conspectu tuo;

ad p. 3. In creaturis nocentibus, ut in impiorum facinoribus Deum cernere, qui effectus illos amanter vult ad puniendum, ad purgandum, ad sanctificandum . . . Ipse ergo solus sit timor meus et amor meus;

ad p. 4. *Contemnenda bona ista infima,* ut ad amorem summi boni aliquando perveniam. Quodcumque bonum honestum, utile, desiderabile, tamen *Deus melior.* Eius voluntas omnis desiderii regula. Omnia nonnisi *in Illo* et *propter Illum* amanda, proinde et *propter Illum* omittenda, reliquenda, abiicienda, spernenda.

1838.

(d. 15 Oct.)

Dies 1.

Laudare Dominum *in omnibus.* Tibi Domine vivo, Tibi spiro, tibi lego, tibi scribo, tibi angustior et affligor, tibi gaudeo ac delector . . .

Explere quae *Fundamentum* requirit non est, nisi *per Christi gratiam, per quem Maiestatem tuam laudant Angeli . . .*

Hominis, Christiani, religiosi, socii Iesu, sacerdotis, professi, superioris ac praesertim *Praepositi Generalis* obligationibus satisfacere, est longe supra vires. *Stultus* sim, si hoc non

sentiam. Sola restat Domini *misericordia,* in qua omnis ratio consolationis ac fiduciae, et commode misericordiae Domini mentio quotidiana ac perpetua occurrit in precibus, in divino officio etc.

Dies 2.

In peccatis angelorum et primi parentis, illud praecipue merito percellit, quod tot *donis,* tanta *cognitione,* tanta *gratia* a Deo praeventi erant; eo *severiori iustitia* punitum est illorum peccatum. Et quid me sentire par est de culpis meis, post tot ac tantas divinae bonitatis miserationes? Nonne magis offendi Deum a me in levibus quam a tot aliis in gravioribus merito cogitare debeo?

Deinde in Adami peccato, punito in sua progenie, exemplum damni, quod ob *mea* peccata in *universam Societatem* facile redundabit. Ergo culpae etiam leves valde ponderandae et vero imperfectum meum lugendum assidue.

Peccata:

1° phantasia illa,

2° gula,

3° impatientia et nimia effusio in agenda,

4° sermo de me rebusque meis, de proximorum defectibus, de rebus publicis, nimis effusus aliquando et liber nimis,

5° negligentia in orando, aliquando in confitendo.

Ad haec omnia applicanda ea quae in 2° Exercitio.

Dies 3.

De morte. Consumptus ..., etiam vivum corpus quid? contectum ... quanta vanitas! putredo!

De iudicio, quid si comparendum coram Principe, adstantibus primariis administris, ut iudiceris?

Iudex, est tamen benignitatis Dei, ut *iudex* sit Deus *homo Salvator!*

Bonum omne *donum Dei, malum* omne et quidquid mali bono admixtum omne *meum.*

Purgatorium, quid mirum, ad illa *aeterna* gaudia, quae nullis vitae laboribus satis promereri possunt, aditus non pateat nisi perfectissime purgatis?

Rat. consc. Aliquis in humilitate profectus, sed videntur necessarii defectus quotidiani ad humilitatem fovendam; examinum ariditas, ariditas orationis extra praescriptam.

Remedia et *consilia.*

Humilitas ex intima cognitione sui ita viva et actuali, ut non in corde solum habitualis sit, sed et in verbo et in omni actione. Ad hoc iuvabit *annorum praeteritorum memoria,* com-

parando cum gratiis divinis et cum obligationibus status et gradus, *exercenda* quotidie in examine etc., unde et *compunctio* et *amoris proprii* impugnatio et repressio; ceterum *humilitas* DONUM DEI.

Ante examen tantisper colligendus animus.

Examinis particularis materia. *Ad Maiorem Dei gloriam.* Quid impedit potissimum, quid iuvabit cognoscendum ex *meditatione menstrua* de animae statu ac vitae habitu.

Pro *oratione extra praescriptam* aliquod punctum praeparandum per quod ingrediamur.

Ad *animi pacem* in meo munere, *viva fides* de Providentia Dei omnia disponentis, prospera, adversa. Nam *quod vult Deus, hoc omnino fiat necesse est.*

Magister Christus; ut lectionem servi sui repetere et menti et cordi imprimere dignetur!

Dies 4.

Christus *Rex;* coram Illo caelesti satellitio circumdato in SS. Sacramento, qua reverentia, qua *compunctione* comparendum!

Hominum *omnium,* nisi Redemptor fuisset datus, pernicies, vere *massa damnata.*

Quam opposita quae in mundo et quae in domo Nazarena! Superbia humilitas, clamores silentium, scelera innocentia, odia charitas.

O *misericordiam* Dei et Redemptoris infinitam! Sine hac, quid mundus et quid ego forem cum mundo? Et mundus ipse, quamvis et nunc perversus, quanto peior foret sine Redemptore!

B. Virgini quis honor tribui a nobis potest, qui comparetur salutationi eidem factae ab Archangelo, Deo mittente?

Iter laboriosum B. Virginis e Nazareth in Bethlehem docet *laborare usque ad defatigationem,* etiam in rebus non secundum gustum et genium.

Dies 5.

In Circumcisione Dominus, mortificatus interne et externe, cum obligatione totius legis durae, minacis, servorum et mancipiorum carnalium propriae, servandae . . . Pater caelestis erga Filium sibi dilectum *rigorem* explicat, quia nostra carne indutus et *victima* mundi est.

Nomen *Iesu;* ita rigori honor copulatur. Tamen is honor qui graviora importet onera. Si cooperari Iesu ad salvandas animas volumus, frustra sumus sine mortificatione. *Salvator commodus* est contradictio in terminis.

Maria particeps dolorum, sic ergo et honoris.

In Purificatione et Praesentatione.

Maria, nullum privilegium nulla exemptio. *Ecce ancilla.*

Iesus, hostia. *Ita Pater, quoniam sic fuit placitum.*

Simeon agnoscit; hoc solatium Virgini sed temperatum tristi vaticinio.

Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes, scil. multi Messiam venturum praedicabant, desiderare ostendebant, sed quid haberent *in corde* ad Eius adventum erant ostensuri. Quam diffidendum de cordis perversitate!

Fuga in Aegyptum.

Herodes impius, insanus, Deo sic permittente, sed demum sibi soli vere nocuit.

S. Familiae humilitas, obedientia, fides, resignatio, fiducia.

Vita abscondita. Pax et *animi tranquillitas* in vita privata ac domestica.

Dies 6.

Lucifer terribilis, verum ut *femina. Fraudes* eius non ad illas restringuntur, quae communiores sunt et generaliores, sed iis, quibus istae fraudes ita cognitae sunt ut sperare non possit effectum, alias utique texit magis subtiles *sub specie boni.* Huiusmodi sunt mihi *importunitas* spiritus et *inquietudo* in negotiis officii mei, *sub specie zeli* et diligentiae.

Sub *Christi Ducis vexillo;* cogitanda praeter illa duo principalia, peculiaria et propria ac singularia pro necessitate mea.

De 3 Classibus, item. Quid impediat?... Inveni particulare illud *phantasiae* malum, cui applicandum remedium *abstine* cum omni severitate. O miseriam in homine... *praeposito generali!*

De 3 modis humilitatis, item ad particularia et propria *tertius modus* applicandus. *Quidquid placet...*

Dies 7.

In horto *Cor* Iesu non solum *humiliatum, afflictum, compunctum,* sed *scissum,* sed plane *contritum.*

Angustiae cordis ob peccata et miserias etiam *bonae* sunt, nam et ob peccata mea Cor Iesu angoribus pressum fuit.

Dies 8.

Anima beata statim ubi corpore (*ergastulo,* in quo et ipsa licet non impediatur *exercitabatur* tamen, ut in omnibus esset similis absque peccato) soluta fuit.

Patribus in limbo pars facta gaudii et gloriae *prout* laborum socii exstiterant.

Quae vero pars gaudii data Matri SS^{ae}, quae omnium maxime particeps fuerat laborum!

Discipulorum *imperfectiones* non impediunt, quominus optimus Salvator benignitatem suam illis etiam apparendo manifestat.

Domini redivivi *agilitas* in tam diversis apparitionibus ipso primo die resurrectionis, non amplius *laboriosa itinera*, non *defatigatus sedere*, aut *dormire* indiget.

Quam bene terminatur ultima contemplatio de gloriosis Christi mysteriis in illa admonitione angelorum: *Viri Galilaei, quid statis?* et in futuri iudicii commemoratione, ut illud prospicientes ad *opera* digna nos accingamus.

In p. 2° *de amore,* est beneficiorum divinorum perpetua continuatio ut quae *dedit,* det etiam continuo; in omnibus beneficiis, etiam generalibus, τὸ *mihi* ponderandum.

In p. 1° *libertatem* offerens, promptum me exhibere ad hoc, ut id, quod ego volo aut vellem, impediri Domino disponente pacate feram. Applicandum ad importunas interpellationes et ad tempus, quod impendere saepe cogor aliter quam vellem. *Dominus disponit.*

« *Tomad, Señor . . . toda mi libertad* ».

Hoc denique amoris mei exercitium esse debere intellexisse mihi videor. O gratiam divinam! Neque sentio mihi fore impossibile in negotiis sese cumulantibus et urgentibus et *phantasiam* vivaciter excitantibus. *Domine, da quod iubes.*

Reformanda. Recreatio, modus excipiendi venientes, loquendi cum externis; ne effusus sim, ne facetias secter; modus accipiendi epistolas; earum lectio et scriptio, *nimis sollicita.* Examina et oratio. Manuum motio in loquendo.

N. B. *Oculorum* et *phantasiae* libertas, praesertim extra domum et in choro. *Tempori* parcendum.

1839.

(d. 15 Oct.)

S. P. Ignatius

Dies 1.

1. *Creator, Dominus,* creaturae quid esse potest nisi dependentia omnimoda et subiectio? *Creator* iure suo potest creatura *uti* et *abuti,* quod tamen pro infinita bonitate non facit, sed *magna cum reverentia disponit nos.* Verum hoc liberalitatis Eius est. Ego vero *nihil* iure meo exigere possum, omne do-

num gratuitum est, a Creatore *nihil* tale *merenti* concessum. Ego miserabilis creatura tua et *undecumque divino conspectu tuo indignissimus. Non quod ego volo, sed quod tu.* Qua fronte desidero maiora quam quae Deus largiri dignatur? *Nonne Deo subiecta erit anima mea?*

2. Deus liberalissimus et in praefigendo fine *salutis animae* et in mediorum copia, quoniam *omnia* servire possunt ad finem et ad hunc a Deo destinata et ordinata.

NB. Salvare animam, gradus autem sublimior non aeque omnibus et in hoc *humilis resignatio* necessaria est. Quamquam mihi tam multa insignia praestitit Deus ut, *si* utar ... Haec est *ingratitudo* mea, quod dona mihi liberaliter concessa parum ponderem et inter haec doleam, si Deus maiora aliis praestitit, quin considerem quam multis longe pauciora largiatur.

3. et 4.

5. *Soc. Iesu Praep. Gen.* Sollicitudo gravis, quantumvis iusta, tamen nimia ex *defectu fiduciae.* Quid enim? Si tanti muneris finem assequi tuis viribus non potes, si *omni virtute destitutus* ad tanta, quae vel perfectio propria vel aliorum profectus in virtute, in litteris, in gubernatione, in rebus gerendis requirunt, numquid ideo diffidendum aut fatiscendum sub onere? Nonne omnia ista humanam excedunt industriam? Ergo *in Deo* iactanda sollicitudo. Ille solus potest et *faciet.*

Eius res agitur. Christus Iesus Caput Societatis et verus ac perpetuus Generalis. *Oratione* ergo *cum fiducia* pondus gubernationis portandum, nec admittendum desiderium illud excutiendi aut quacumque ratione quiescendi. Agendum *strenue,* sed fidendum *in solo Deo.*

Dies 2.

1. *Pudor et confusio meiipsius* in contemplando, quomodo peccatum *unicum* punitum in Angelis, in Adamo, in aliis, in me autem *tam multa* partim commissa, partim certo certius committenda usque ad extremam perniciem, *nisi Domini misericordia ... !* Hic pudor esse debet habitualis ac perpetuus, non ad constringendum *cor,* sed ad illud *dilatandum* in servitio misericordissimi Dei.

2.

3. *Repetitio.*

Prima meditatio tota ad *humiliationem* infra daemones et damnatos. Ipsa Dei in me misericordia humiliationis sensum augere debet.

4.

5. *De Inferno.*

Nihil recusandum, nil grave existimandum in servitio Eius, qui me a *gehennae incendiis* liberavit.

Dies 3.

De morte, de iudicio.

Confessio generalis, ratio conscientiae.

Remedia et *consilia.*

1° Ut *sentiam,* non intelligam solum et credam, *sentiam,* nihil esse *meum* nisi *vitium* et *peccatum,* cetera quae sunt in me aut ex me, *Dei* esse non *mea!* Itaque facultates omnes et vita et earum operationes, bona desideria, iusta consilia, recta opera, labores etiam et dolores *bene* tolerati... Quidquid est boni, qualecumque sit et cuiuscumque generis, etiam minimum, grandis est liberalitatis ac misericordiae Dei in me *nihil* promeritum collatae.

Vera *humilitas,* non ignava sed *magnanima,* quia in Deo confisa, in quo totum repositum habet.

Fidei, spei, charitatis augmentum petendum et exercitatione procurandum.

2° *Orationis,* praeter consuetam omnibus, usus *Praep. Generalis.*

Examinationis item *frequens per diem.*

Consideratio status animae saltem singulis mensibus, vg. Sabbato vesperi et sequenti Dominica.

Lectio spiritualis quotidie.

Pro *Confessione*: dolor internus procurandus ut maior fructus sit.

Occupationes moderandae, non necessaria praescindenda.

Dies 4.

1. *Regnum Christi.*

Christus Rex. Vere *Rex universorum,* cui *omnes principes et populi subiecti sunt.* Quid si rebelles *nolunt hunc regnare super se? Et nunc Reges intelligite!... Cum exarserit in brevi ira eius, beati omnes qui confidunt in eo.* Cum eo victoria certa; etiam Ipse *Rex* in ipsa cruce *regnavit a ligno.* « *Hacer contra la propria sensualidad y contra el amor carnal y mundano* ».

2. Expeditio ista Christi tota est militia *spiritualis; inimici,* quos debellaturus venit et ad quos debellandos unumquemque vocat, sunt *daemones, mundus* et *caro.* Sed quid est quod S. P. in practica applicatione solum proponit pugnam adversus *sensualitatem et amorem carnalem et mundanum, de daemone et mundo* nec mentio quidem? Scilicet ut *Regnum Dei intra nos esse* debet, ita huius Regni *inimici* debellandi *intra*

nos sunt, qui si domiti ac subacti fuerint, *externi* illi, daemones ac mundus, nil nocebunt.

Sensualitatem intelligo *sensuum* oblectamenta et libertatem, oculorum, aurium, gustus, odoratus, tactus, linguae etiam et quidem *in rebus licitis.*

Amorem carnis intelligo *commoda corporis* generatim, *sanitatis* et *vitae* amorem, amorem etiam *parentum, amicorum, aliorum, non spiritualem.*

Amorem mundanum intelligo divitiarum, honorum, vanae gloriae, pomparum *amorem* nobis insitum.

Hi sunt *inimici interni; contra* hos *agere,* etiam in licitis et ubi peccatum nullum cernatur, proprium est eorum qui erga Christum Regem magis affecti, insignes esse volunt in Eius sequela et servitio. Ceterum, nisi *in licitis* domemus istos inimicos, ipsi nos *in illicita* facile pertrahent, accedente etiam *daemone* et *mundo,* primum *fraude* mox etiam *aperta vi.*

Ergo : *ne dederis animae concupiscentias eius,* sed *age contra abstinendo* et *sustinendo.*

S. P. de *daemone* et *mundo,* ut peccatorum tentamentis, hic non loquitur, quia *peccatorum* purgatio et in futurum evitatio fructus est 1^{ae} hebdomadae. Cohaeret tamen intime 2^{a} cum 1^{a} et 1^{ae} fructus per 2^{m} consolidatur et in tuto collocatur.

1° Quis iste *Rex?*

2° Quae *expeditio,* adversus quos?

3° Quibus *conditionibus* vocat?

3. *De Incarnatione.*

Finis prae oculis habendus ex praeludio et colloquio cum relatione ad meditationem de Regno Christi.

In *hominibus* vides tristes effectus *sensualitatis* et *amoris carnalis* et *mundani,* quorum illi cum sint mancipia, in omnia ruunt scelera ad interitum sempiternum. His remedium allaturus venit Filius Dei.

4. *De eadem.*

Personae, verba, opera mirum in modum omnia aptissima et efficacissima adversus *sensualitatem* et *amorem carnalem* et *mundanum.* Omnia puritas, humilitas, sanctitas, *spiritualia* ac *divina* omnia.

Ecce, Deus factus est sicut unus ex nobis! Quanta Eius exinanitio! Quanta nostrae naturae exaltatio! — Et post haec *sensualitati* et *amori carnali* et *mundano* servire porro pergam?

Dies 5.

1. *De Nativitate.*

Idem finis, contra *sensualitatem* et *amorem carnalem* et *mundanum.*

Ceterum inter haec canunt Angeli *Gloria in excelsis,* id quod invisibiliter agi etiam dum nos ad Regis exemplum pugnamus cogitandum est, eaque spe et fiducia pergendum alacriter.

2. *De Circumcisione.*

Idem fructus.

Iesu nomen et officium hoc pretio mortificationis, humiliationis, dolore et sanguine stetit! B. Mater *compatitur* et ipsa hoc pignore fit *coredemptrix.* Nos vero, *Christi adiutores* in salutem animarum, quomodo? Et ego praesertim, Praep. Gen. istorum, *commodi* ac *delicati amans* et *honorati . . . !*

3. *Purificatio B. Mariae V.* et *Praesentatio.*

Idem fructus.

Lex antiqua tota ad *humiliandum.* Maria se subiicit, consolatio ex Simeonis laetitia mox eius gravi vaticinio *temperatur.* Tales exspectandae consolationes in hac vita, non aliae, nisi quae coniunctam habeant afflictionem vel certe ad eam disponant.

Qualis oblatio Matris et Filii, ad quae et quanta se offerunt!

4. *Fuga in Aegyptum.*

Providentia Dei *permittens* impietatem Herodis.

Quare Ioseph non tempestive monitus ut se pararet, cur *nocte* statim? Omnia *contra sensualitatem* et *amorem carnalem* et *mundanum!* Sed quam *fidelis* Ioseph et Mater!

5. *Repetitio.*

Omnia in Christo Iesu id docent quod ex meditatione de Regno Christi intendimus. Omnia porro sic acta quia sic *ipse voluit.* Et mundo quidem et hominibus saeculi ista erant ignota, *inobservata* gerebantur. Ita *spiritus Societatis,* qui totus in his est, mundo incognitus et ideo contemptus et calumniis impetitus. At *sic* agitur negotium *Regni Christi.*

Quam necessarium hoc operariis nostris, quia non doctrina, non eloquentia, non aliis talentis tractandum cum hominibus, nisi haec omnia *Christi spiritu* animentur. Maxime vero omnium in me pro hoc meo gradu!

Dies 6.

De 2 Vexillis.

1. Lucifer, *miserrimus* et simul *superbissimus, horribilis,* formas simulat etiam blandas, formosi adolescentis, delicatae virginis, sed naturam suam tegere non potest, *ignis* et *fumus* brevi ipsum produnt.

Omnes, ubicumque aggredi per se vel per suos studet.

Artes eius et laquei et catenae, non solum illae de quibus in Exercitio sed aliae multiplices, pro *cuiusque* hominis dispo-

sitione; in me *blanditiae* formarum, vultuum, vestium, *compassionis* sensa, *negotiositas* cum excessu. Resistendum *prudentia* et *fortitudine.* In blandis *caute,* in violentis generose, sancte irascendum et indignandum sed humiliter, in Deo solo fiducia vincendi.

2. *Iesus summus,* potens, beatus et simul *humillimus, amabilissimus,* sed quandoque *severus* ut prosit et *suavitate vera* repleat.

3. *Iterum totum exercitium ex Libello hispano,* ubi singuli modi loquendi et verba pondus habent, praesertim in depingendis modis *superbi* Luciferi et modis *amabilis* Iesu (vg. *amonesta, encomendando, haze elamamiento, envía, hayan de tentar, quieran ayudar*). Lucifer *rabidus* ut daemon ad daemones, Christi *benignitas et humanitas* ut *Salvatoris* ad servos *et amicos.*

Porro meditanda sunt *argumenta,* quibus inducendi sunt homines *ad amorem paupertatis et opprobriorum* et his ipsis utendum apud *me ipsum.*

4. *Vitae reformatio. Oculi* et *phantasia,* SEVERISSIME. *Peccatorum detestatio* frequens cum gratiarum actione. *Benedic anima mea Domino et omnia quae intra me sunt... Alacritas* in operando, etiam in ingratis. *Oratio* prolixior, hac superandae difficultates. In *meditatione* ponderando accuratius *motiva.*

5. *De ultima coena.*

Unus vestrum me traditurus est. Quam intime sensit et doluit Deus hanc ingratitudinem! Et ego?

Si non lavero te, non habebis partem mecum. Nemo putet posse se ipsum lavare. *Nisi Christus lavet...* Hoc pro actu *doloris* et *praeparationis ad Confessionem.*

Hoc facite in meam commemorationem. Scilicet, nisi hoc Sacramentum, periculum erat ne Eius memoria obliteraretur! Eheu, etiamnum cum hoc Sacramento tanta Domini oblivio! Quid Cor Eius sensisse par est! etiam *de me...!*

Dies 7.

1. *Hortus.*

Prolixius orabat, futuras poenas sibi *repraesentans,* et repugnantiam naturae *impugnans* et Patri se *offerens.*

2. *Tribunalia Annae et Caiphae.*

Iniuriae atroces *omnis generis, contemptus* internus et *odium,* omnibus opprobriorum generibus *manifestata* ab *omni genere* personarum.

Sed quae *causa?* Nulla, *gratis* quia gratis nos peccando Deum offendimus.

In hominum iniuriis adversus Societatem, noli quaerere *quare?* Quid aequius quam *gratis?*

3. *Flagellatio et spinae.*

Gloria unica generis humani sed *ignorata!*

4. *Baiulatio crucis* et *crucifixio.*

Pater, dimitte, non enim sciunt quid faciant... Applicandum ad eos qui Societatem eiusque spiritum, utique benevolum et beneficum in omnes, lacerant, oderunt. *Pater, dimitte, non enim sciunt.*

5. *De mysteriis in cruce gestis.*

Dolor et amor, amor et dolor in omnibus.

Hi duo *poli* debent esse vitae meae. *Dolor* amore leniendus, *amor* dolore temperandus et acuendus et alendus, invicem immo alere et augere debent.

Cor Iesu exemplar, pelagus *amoris* et *doloris,* ita pelagus ut quaecumque dedit in vita mortali agendo et patiendo argumenta *amoris* et *doloris,* nonnisi *signa* fuerint illius in immensum maioris *amoris* et *doloris Cordis* sui. Ita semper de bono quocumque plus debet esse in *corde* quam in *dictis* aut *factis;* quod ni ita, periculum erit hypocrisis.

Cordis Iesu imitatio proponenda *cum confusione.*

Dies 8.

1. *Resurrectio.*

Anima beata inde a momento quo a corpore soluta fuit. O utinam! Sed tantum bonum sperare vix audeo, non audeo, non possum, quamquam o... ! Si vitam duxero in *dolore* et *amore* cum perpetua *confusione* mei ipsius, per *gratiam* et *misericordiam* Domini...

In limbo. Iam Patres nihili faciunt labores suos in vita toleratos et longam exspectationem in limbo; quid Adam de sua *poenitentia* 900 annorum?

SS. Matris solatium tum de praeteritis tum de futuris. *Non sunt condignae passiones huius temporis.*

2. *Repetitio.*

In *dolore* et *amore,* at si videbitur *magnus* dolor, erit indicium *parvi* amoris. Quid umquam magnus videri potest pro *Deo,* pro *Christo?*

Patres *in limbo,* ecce *transierunt* omnia, videbantur labores et dolores multi et longi, *longa patientia,* sed quam aliter nunc videtur! Quam *momentaneum* et *leve* fuisse sentiunt!

B. Matri et Magdalenae et piis mulieribus et Petro...

N B. Petro licet data certitudo remissionis, *non* tamen *cessavit poenitere et flere.*

(In *sinistris eventibus* quid? An dicemus Deo: Domine, hoc non debebas permittere? an errare putabimus Eius sapientiam? torpere Eius potentiam? dormire providentiam? Apage, insana et stulta cogitatio!)

Deberet Dominus *tenere concutiens extrema terrae et excutere impios?!*

3. *Ascensio ex Actibus c.* 1.

1° *In multis argumentis.* Tam firmiter fundatur fides in discipulis, quid in nobis, qui et illa signa et tam multa post illos? Quam merito, etiamsi mundus susdeque verteretur, *in fide* immobiles esse decet!

2° *Spiritui Sancto* reservatur manus ultima; fortasse ut posteaquam Illum *visibiliter* incepisse Ecclesiae constitutionem post Christi ascensum vidimus, ita *invisibiliter* et postea adesse usque ad consummationem saeculi crederemus.

3° *Domine, in tempore hoc restitues Regnum?* Impatientia humana! Quid sunt *saecula* in conspectu Domini? *Non est vestrum nosse tempora* ... Multa vobis agenda ... *eritis mihi testes ... usque ad ultimum terrae.*

4° *Viri Galilaei, quid statis?* Quam opportuna memoria iudicii *in fine exercitiorum!* Ut qui Redemptorem *nascentem* laeti vidimus et *patientem* contemplati sumus et *redivivum* et *ascendentem ad caelum,* venturum quoque *iudicem* securi *videamus,* cum opere exsecuti fuerimus ea, quae docuit, *in sancto timore.*

4. *De amore 1 et 2 p.*

1° In beneficiis numeranda non solum quae *dedit* et *dat,* sed et quae, licet desiderata et desiderabilia, *non dedit* et *non dat.* (Pater filio negat pugionem vel bellaria, sed hereditatem ei servat). Utique ideo *non dat,* ut certius *det seipsum!* Et hoc non summi beneficii loco accipiam? *Amorem tui* solum, *cum gratia tua!* Et tandem, nonne omnia praeter meritum? immo etiam *demerenti?* Oh pudorem!

2° Deus *habitans* in me, ut *in templo suo* per praesentiam et, ut spero, per gratiam! Et ego Deum, quem *intra me praesentem habeo,* relinquo et divagor ad creaturas ...?

5. *De amore.*

In 1° offerendo *memoriam* et omnes ideas et *phantasias, intellectum* et omnia ratiocinia et iudicia, *voluntatem* et omnes *affectus* et *desideria.*

In 3° *laborare* et *pati, dolor* et *amor* cum *confusione* et *pudore.*

In 4° *Mas es Dios y mas Dios, y mas.* Quam *parum* foret, si nunc tandem *inciperem perfecte « en todo amar y servir a su*

divina Majestad». Et tamen, eheu, quam timendum ne sim qui fui!

Quando tandem, Domine, quando? *In te confidit anima mea, non erubescam, neque irrideant me inimici mei!*

1840.

(d. 24 Nov.)

S. Franc. Xaver.

Dies 1.

1. *Creatus* etc. *Hominis* ante *Creatorem* exiguitas et nihil. In *adversis* servitur Domino *resignatione;* quam praeclara tum *laus* Deo redditur et *reverentia* et *famulatus!*

2. *Reliqua super terram* etc. In his *reliquis omnia* plane, *omnia;* nihil est quod *iuvare* non possit et debeat ad *finem.* Ut autem *iuvent* a mea voluntate pendet. Quanta Dei bonitas admiranda! *Voluntati* hominis eam vim indit, ut quaevis etiam mala in bona convertere possit, omnia reddere *instrumenta* apta ad opus! Hoc scil. dicit Apostolus: *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum!*

3. In *molestis* media opportunissima ad *triplex* munus erga divinam Maiestatem ut in 1°. Tunc sc. *laudatur* Dominus et *reverentia* exhibetur Ei et *servitur* praeclare, heroïce.

Et cum haec ita sint, ut sunt evidentissime, et ex his *indifferentia* perfecta nasci debeat in omnibus vitae ac rerum adiunctis, tamen in *sola* Dei *gratia* et *misericordia* fidendum, in casibus practicis, quando experientia novimus quam saepe etiam in parvis et minimis deficere nobis accidat.

4.

5. Mihi... Praep° Gen[i]... sit semper ardens, ut *lampas* aut *facula,* in corde desiderium gloriae Dei per Societatem promovendae quam perfectissime et amplissime. *Ante Te omne desiderium... Propter Sion...* Sit *ignis ardens,* qui quotidiana et perpetua consideratione et *ligno crucis* perpetuo alatur.

Dies 2.

Ex 1° *Exerc. de peccatis.*

Quanto *pudoris* et *confusionis* sensu incedendum mihi est coram Deo et hominibus, quanta *humilitate,* quando non solum nemini hominum non me postponere ex veritate debeo, sed et daemonibus ipsis et damnatis, quibus scilicet *non ego melior,* sed *maior* quam in illos *Dei* fuit in me *misericordia.*

Ex 2° Exerc.

In p. 1. Etiam illae infidelitates, illae disimulationes gratiarum, illi defectus, leviores licet sed non omnino involuntarii, eiusmodi sunt ut iuste propter istam tantam ingratitudinem Deus talis ac tantus mihi miserabili dicere millies potuisset: *Abi ergo in vias tuas, pasce hoedos tuos, non habebis partem mecum.*

Quid vero esset de me iamdudum, nisi Domini misericordia magna, ut magnus Ipse! Via vitae meae plena *putredinis* peccatorum et *luti* negligentiarum et *pulveris defectuum* infiniti.

In p. 5. Saltem patienter ferendae et in spiritu poenitentiae illa molestia a muscis et pulicibus et culicibus etc. Quando merito *omnis creatura armaretur in ultionem* . . .

Ex *triplici colloquio* 2ª gratia, de *vitae inordinatione,* saepius consideranda et postulanda.

Ex med. de Inferno.

Ne perdas cum impiis Deus animam meam!

In coll. Quam *multi* in infernum descenderunt, ex quo ego vivo rationis compos! Et ex his fortasse ne unus quidem qui *tam multis gratiis* praeventus ut ego, *tam multum peccavit.* Ergo in illis non maior ingratitudo, non maior perversitas, sed solum maior in me *piissimi* Domini misericordia et longanimitas! Ah, ah, Domine!

De morte et *iudicio.*

Vocabis me et ego respondebo Tibi. Operi manuum tuarum porriges dexteram. Ita spero in misericordia tua.

Tu quidem gressus meos dinumerasti omnes, non solum *gressus* actionum externarum et verborum, sed etiam internorum affectuum. Omnibus *regulam* aeternae rectitudinis applicabis et secundum hanc ea omnia diiudicabis. Et quam multa *distorta,* quam multa, quae a rectitudine illa declinaverint, invenies.

Omnia appendes in *statera* aeternae veritatis et expendes *iuxta pondus sanctuarii,* pro mensura gratiae datae . . .

Sed *parce peccatis meis.*

Confessio gen. et status animae.

In *statera,* in *bilancis una lance* video *debitum,* peccata . . . et beneficia et gratias Domini, quae utique debitum augent, in altera *lance* illud parum bonae voluntatis, quod totum adhuc, in quantum est bonum, donum est Domini et ad debiti partes merito transferendum. Itaque *ad nihilum redactus sum et nescivi. Debitum* vero omni ex parte immensum. Ubi ergo *creditum,* nisi in *misericordia* Domini? Mihi vero in toto *nihil* et *nihil!*

Post conf. gen. et rat. consc. monita.

1° Commendatum studium *contemptus mei ipsius;* proterere omnem surculum pullulantem *ex sui ipsius aestimatione. Amor proprius* in hoc genere si impugnetur constanter ac debelletur, illa quae sensualitatis sunt facile contemptu curantur.

(Mihi in hisce postremis *severitate* utendum et maxime *humiliare* me ex his debeo).

2° *Fiducia* in Deo; *Pater aeternus* sua illa sapientia, potentia, bonitate gubernans universa.

3° *Examen;* ante illud paulisper colligendus animus et in illo provocanda ea, quae amoris proprii sunt aut aliquando fuerunt.

4° *Oratio;* praeter consuetam semi hora satis parum est.

5° Commendatur *lectio vitarum nostrorum Patrum* et *devotio ad SS. Cor Iesu.*

Repetitio.

Gressus meos dinumerasti. Via nostra regulae nostrae.

Haec est via, ambulate in ea, iustum deduxit Dominus per vias rectas. Gressus meos dirige, dirige Domine in conspectu tuo viam meam. Vae qui deserunt; viae eorum tenebrae et lubricum In hac via ambulandum, eundum, currendum, utinam et alae adderentur ut Patribus nostris!...

Ad *contemptum mei.* Ego Praepositus Gen. S. I.?! Ut novissimus tempore, ita meritis ultimus. Quid in me simile praedecessoribus meis talibus ac tantis? Qui *eminentes* donis naturalibus et supernaturalibus ... *In me* non *scientia,* non *doctrina,* non *ars gubernandi,* non *orationis donum,* non *animi vigor* et *magnitudo,* sed *nullitas,* sed *ignavia* .. saltem non deesset *humilitas!*

Quam *pauperes facti sumus nimis!* Quam pauper Societas cui *talis* Praep. Gen.!!! Vere temporum nostrorum miseria extrema et paupertas et parvitas etiam in hoc cerni et palpari potest. *Praep. Gen. S. I. talis!*

Dies 4.

1. *De Regno Cristi.*

In *parabola,* quam vilis esset non solum qui sequi recusaret, sed vel qui inter extremos militare *eligeret!* qui *propius* Regi adesse *nollet!*

Societatis nostrae ac proin et uniuscuiusque nostrum est, *Regi nostro* militanti assistere proxime, Eius adhaerere lateri ut praesidiarii, et *ignominias et opprobria* cum Ipso et pro Ipso ferre. Quod vero nobis vi vocationis obtingit, id ut et privatim obtingat, quis non ardenter concupiscat in obsequio talis

ac tanti Regis? Sed ne desideria sterilia sint, *agendum contra sensualitatem et contra amorem carnalem et mundanum.* Et hoc totum non in theoria, sed in *applicatione practica* consistit.

2. *De Incarnatione.*

Mundus vile mancipium omnium passionum, sub daemonis tyrannide et magisterio totus *libidini* et *crudelitati* deditus. Talis vero et ego ex naturae pravitate, *semina ipsorum vitiorum omnium* in me gero et eorum signa nimis experior in me, unde *nisi gratia Redemptoris!...*

Maria, humilitatis et *puritatis* mirabile speculum, ad laudes suas *turbatur, cogitat,* licet laudes sint angeli Dei nomine salutantis. Audita granditate futuri Filii, puritatis custos non sentit tanti honoris cupiditatem, sed *quomodo fiet..?* Et audita etiam mysterii explicatione humiliat se.. *Ecce ancilla Domini.*

Verbum fit caro, *Filius Dei* suscipit formam *servi* et servi talis qualis erat homo degradatus! nec ullum sibi privilegium ab hominis miseriis sumit. *Tu Rex gloriae, Tu Patris sempiternus Filius,* non *horruisti Virginis uterum.* Et ego *contemni* contrectem? immo non ardenter exoptem?

3. *De Nativitate.*

1° In itinere nullae querelae de Caesaris edicto, tali tempore cum tantis incommodis exsequendo.

2° Nascitur Iesus, incomparabili gaudio perfusi Ioseph et Maria, *Infans* vero *vagit,* patitur. *Cor doloris* et *amoris* pelagus nihil sibi sumit solatii, *mortificationis* exemplar perfectissimum inde a nativitate.

4. *Repetitio.*

5. *Applicatio sensuum.*

Dies 5.

1. *Circumcisio.*

Utraque mortificatio, *dolor* et *opprobrium.* In Christo Filio Dei *hominem esse factum,* fundamentum omnium dolorum et opprobriorum. In me vero *esse peccatorem* principium est et fundamentum mortificationis utriusque.

Iesu Nomen novum patiendi argumentum et principium, et mihi Nominis huius participatio desiderium inexplebile patiendi *dolores* et *ignominias* excitare iugiter deberet.

Maria dolorum particeps, *coredemptrix.*

2. *Praesentatio in Templo.*

Iesus, victima *amoris* et *doloris,* se offert ad omnia sibi superventura et ultra. *Cor, Cor....*

Simeoni et Annae et nobis gaudium, Iesu vero *dolores.* Quid ego offeram? Iam non remanent vivendi et patiendi anni 33! Et, si remanerent, quid hoc ad Iesum?!

3. *Fuga in Aegyptum.*

In Herode incredibilis caecitas! Credit, *sed modo suo,* contra caelum et Deum machinatur necem Christo!... *Christus eripitur.* Vigilat Pater aeternus; cum tempus erit tradetur in manus inimicorum. *Providentia Patris,* nil nisi *quod Ipse vult* et *quando* et *quantum.* Inimici triumphant, putant *suum* se opus fecisse et Patri serviunt et nesciunt.

In ipsa liberatione tamen magni labores et aerumnae, talis *Providentia sublimissima.*

4. *Repetitio.*

In circumcisione Iesus debitorem se constituit *totius legis* explendae, legis *minacis,* populo durae cervicis impositae.

Quanta Filii Dei humiliatio ... !

5. *Applicatio sensuum.*

Maria in purificatione abscondit thesauros suos, Filium imitata; quanta *humilitas* et quanta mea confusio!

Iesus *victima; cor, amor* et *dolor.*

Simeonis prophetia tam praeclara de Christo, et tamen *positus in ruinam, signum cui contradicetur.*

Quam non mirandum, si in *Soc. Iesu* similia quae in Iesu.

Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. Multi *dicebant* se exspectare Messiam et suspirare; etiam Societatem multi *dicunt* a se amari ... sed ... *cavete ab hominibus,* ait Dominus.

Dies 6.

1. *De duobus Vexillis.*

Daemonis rabies et fraudes merito *timendae* mihi sunt; est enim non modo horribilis sed etiam *terribilis,* nec sperni potest nisi virtute Christi, qui solus fortem armatum alligavit. Mihi nec sapientia nec vires suppetunt *ex me* adversus talem tyrannum. *In Te confidit anima mea, ne irrideant me inimici mei.* Quid si scirem hoc momento Luciferum expedire unum e suis ad me, ad Societatem ... ? !

2. *Item.*

Si proprium est Christi discipulorum et Apostolorum officium, inducere homines ad *summam paupertatem* et *ad desiderium opprobriorum,* quam pauci ergo veri et genuini Christi discipuli et apostoli! Ceterum, suadere *repressionem cupiditatis* et *patientiam in iniuriis* est aliquod initium, est *Alphabetum* doctrinae salutiferae. Sed nobis utique, mihi, turpe foret ibi haerere.

3. *Repetitio.* Singula puncta singulis opposita.

Lucifer sine amore, totus *odium* et *odii obiectum.* Christus *amor* et *amabilis.*

Luciferi satellites *scelerati* et *odibiles,* ut ipse. Christi discipuli *sancti* et amabiles, ut Ipse.

Lucifer fraudulenter per *bona falsa* ad *interitum.* Christus per *mala apparentia* ad *veram pacem* et *felicitatem.*

Experientia omnium saeculorum utrumque confirmat. Oh beati qui: *pati et contemni pro Te,* qui: *non tot sunt Salmanticae catenae, quibus ego plures non optem* (1). Ubi vera sapientia et vera gloria? Et dubitabimus .. ?

4. *De tribus Binariis.* Vide retro.

5. *De tribus modis humilitatis.*

1. et 2. Si vel domorum nostrarum vel totius Societatis ruina instaret, ac posset clades averti vel per aliquod peccatum mortale vel etiam per veniale, absit, pereant potius omnia!

3. Defendere iustis modis esset obligationis, sed si dein periret, tamen laudandus aeque Deus et de nostra humiliatione gaudendum in Domino.

Dies 7.

1. *Hortus.*

Tristitia Christi tristitiae sanctae exemplar, sancta in *causa,* sancta in *mensura,* sancta in conservata benignitate et caritate.

Dolor Christi de peccatis meis, exemplar.

Oratio Christi, exemplar.

2. *Tribunalia.*

Iesus ... ut stultus, ut blasphemus et impius, et ego ... ut *sapiens* et *prudens,* ut *pius* et *sanctus! Cooperuit confusio faciem meam.* Utique *tu me melius* nosti.

Simus semper, Domine, *purgamenta huius mundi et omnium peripsema.* Haec gloria nostra, *contemni* Tecum et propter Te.

3. *Flagellatio* etc.

4. *Septem verba.*

Latroni paradisus, sed erat latro *crucifixus* cum ceteris optimis dispositionibus.

Sitio ... postquam accepisset acetum ... Consummatum est. Actus ille ultimus *oboedientiae* fuit, *ut impleretur Scriptura.* Qualis actus! qualis oboedientia! O mihi versetur ob oculos semper, semper in corde haereat illa species Domini crucifixi, sugentis e spongia acetum illud felle mixtum, ex *oboedientia!*

5. Reliqua *mysteria in Cruce.*

---

(1) Verba S. Ignatii Salmanticae in carcere inclusi.

Dies 8.

1. *Resurrectio.*

Anima beata. Quam triste nobis, cum anima de corporis ergastulo liberata in peius ergastulum detrudenda est! Hoc evitandi si qua spes esse potest, in *cruce* tota est.

Patribus in limbo qui amor in Christum! Quam nihil esse quod passi fuerunt nunc vident, et propter ea tanto maiora, quae Christum passum esse vident, et propter felicitatem, cuius tandem reddunter participes. *Abstergit omnem lacrimam, quia prima abierunt.* Si possent, optarent se plura fuisse passos.

Qui eorum sensus, cum bonum latronem supervenientem viderunt et quas laudes dedere misericordiis Domini!

Mater, quod de Filii gloria fide credebat, modo *videt*...

2. *Repetitio.*

Mater secundum multitudinem dolorum... ita consolationes.

3. *Ascensio D. N.*

4. *De amore.*

p. 1. Beneficia numero, magnitudine infinita, duratione *ab aeterno in aeternum.*

Resignatio et oblatio *universalis: « Dadme vuestro amor y gracia »,* his solis renunciare nec possum nec debeo nec volo.

5. *Tria reliqua puncta.*

Sed eheu! *Domine, miserere!*

O. † *Severitas* in oculorum custodia.

L. † *Custodia linguae,* ne quid in mei commendationem etiam indirecte, ne quid criticantis in modum de aliis. *Odium mei, carnis* et *spiritus* i. e. superbiae. In *recreatione* multa reformanda!

G. † *Severa temperantia,* abstinentia a superfluis tractationibus.

Ph. † *Severa* repressio *phantasiae;* quodsi invitus patiar, *vilem* me inde etiam cognoscere.

Ita quatuor † ex meditatione de tribus Binariis postulanda praecipue a Domino mihi visa sunt. Sed quam *vilis* sum, cui ista talia adhuc curanda! Et *charismata meliora* ubi? Quam *vilis!*

1841

(d. 14 Octobris)

Dies 1.

1. *De fine.*

Servire Deo alacriter, hilariter, *sicut in caelo et in terra.* Hoc ad *laudem* Dei, hoc ad *maiorem* Eius *gloriam* pertinet. In hoc meo officio inter difficultates et tricas et sollicitudines. Apage taedia, fastidia, desiderium inordinatum mortis, ut scil. finis esset, aut etiam desiderium exonerandi me alia via. Apage ista! *Servire Deo sicut in caelo et in terra!* Omnia, omnia *media ad finem. Fiat in omnibus voluntas Dei. In hoc gaudeo, sed et gaudebo.* In hoc *inquire pacem. Quis mihi dat pennas sicut columbae et volabo* super omnia ista infima et transitoria et *requiescam!*

Porro ipsum hoc *sicut in caelo,* assiduo *humilitatis* et contemptus mei ipsius exercitio viam apertam praebet multimode.

Dies 2.

1. *Confusio* et *pudor. Misericordia Domini!*

Nil periculosius quam fucata *species boni.* Fortasse hoc fuit peccatum angelorum, *sub specie boni* proprio intellectui et propriae voluntati, superbiae, indulsisse.

2. Via vitae meae, quae *recta* debebat esse et *non interrupta* ad Deum, quam saepe *devia,* quam *interrupta!*

Via plena *sordibus, luto, pulvere.*

Ego, punctum imperceptibile in rerum universitate, *tam foedum.*

Dies 3.

Quanta mea miseria! Meditationes de purgativa exiguo sensu factae! Ergo *post* confessionem generalem sensi minus intensum fuisse dolorem, scil. quod non satis perpensa Dei *Maiestas, beneficia, gradus meus* et *officium,* quae omnia reddunt graviores vel ipsas *offensiones* et *negligentias,* quid vero alias *culpas* et *peccata! Domine, miserere! Me magnum peccatorem!*

Dies 4.

Rex aeternus et *Dominus universorum propter nos homines et propter nostram salutem* venit, opprobria laturus et iniurias et paupertatem cum suis comitibus, et *ad ista* vocat et invitat qui se sequi velint propius.

Ista potissima in Christi sequela! grande mysterium!

Tam multi ferunt talia ex conditione gradus sui, absque ulla electione. Beati, si sua bona norint aestimare! Nos vero tam multa et frequenti meditatione ... in *theoria* haerebimus?!

Rex noster ita *contemptus* fuit tota vita sua, ac si hoc solum quaesitum venisset, cum tamen sublimissima esset Eius missio et esset omnium Benefactor universalis! Quid hoc mysterii?

Etiam S. Pater in Exercitiis *amorem opprobriorum* ... At *zelus animarum* ubi? Et hoc mysterii plenum. Scilicet *dispositio animi* quaeritur... Quot sunt, qui cum scientiae et eloquentiae operam dederint, multum se fecisse putant, ut instrumenta fiant divinae gloriae!

Dies 5.

Cum *humiliationis amore* tamquam fundamento coniungitur in Christo *paupertas,* cum suis incommodis omnibus, et *labores* omnis generis, *privati* et *publici.*

Iesus et B. Virgo in itineribus, in laboribus, in aerumnis, in humiliationibus semper *hilariter* et *alacriter,* numquam *angusto* et *contracto corde; sicut in caelo et in terra.*

Herodis impietas tantum negotium facessit sanctae Familiae; ita Dominus disponit.

Ad exercitandos suos Dominus, pro suo lubitu quia Dominus est, uti potest angelis, daemonibus, elementis, impiis hominibus, et his quidem plerumque, ut in Christo Domino ita in servis suis.

Ioseph ad inexspectatum nuntium non legitur *turbatus* fuisse... *Paratus sum et non sum turbatus. Turbari* ad honorifica potius virtutis est, ut B. V. ad Angeli salutationem.

Dies 6.

Qui calumniis propter Christum oppressus, infamis apud homines vixisset et mortuus etiam infamis habitus esset usque ad diem iudicii, quam bene, quam gloriose haberetur in caelis! Quid est omnis hominum opinio, vel in bonum vel in malum!

De tribus Classibus.

Fidelitas in audiendis inspirationibus ... Ne dissimulem, in gula, in corporis commodis, in quatuor illis † ... (1).

Iterum eadem et illa quatuor, licet tam inepta, tam indigna meo gradu et officio et vere nugacia, tamen impedimenta sunt, quae *valde retardant.* Ergo ...

Pro officio Praep. Gen. frequentior *consideratio* et ne *difficultates* declinare studeam, sed *magno animo* iis occurram.

---

(1) Cfr. pag. 180.

Amor et *dolor.* Amoris dulcedo temperet amaritudinem doloris et vicissim. *Cor Iesu.*

Sicut in caelo et in terra.

De tribus modis humilitatis.

Quid est quod cum in 1° modo horrore perculsum me senserim, ob periculum si in *actu* se offerret, in 2°, in quo periculum est tanto facilius et frequentius, non senserim tantum horrorem? Ergo non satis horreo peccatum veniale! *Domine, miserere!*

Dies 7.

Tristitia, affectio animi indefinibilis, sed qualis in Christo!

Ignominiae, apud plebem ignaram. Quam singulare Societatis privilegium! Quantus honor in hanc partem vocatum esse, in consortium *opprobriorum* Christi!

Iesus Crucifixus. Solutio omnium difficultatum.

Quam vilis, quam ingratus, si quidquam mihi *grave* in Eius servitio videatur!

Dies 8.

Etiam *gaudium* affectio indefinibilis, *satietas* animae. Mihi in hac vita *solatium* aliquando utique, *gaudium* non nisi in *Domino* et de *Domino* gaudente et glorificato.

Quod apparuit Dominus in *multis argumentis* certos reddiderat discipulos, sed ut *testes* fierent resurrectionis sine timore, indigebant indui *virtute ab alto.*

Cur Spiritui S^to^ reservatum complementum operis? Fortasse ut ita *Trinitatis SS.* mysterium luculentius promulgaretur. O Sanctissima Trinitas!

Beneficia divina infinita, infinita numero, dignitate, duratione, maxime vero collata a *tanto* ac *tali* tantillo tamque indigno . . . !

Deus *magnus* Dominus . . . ! Et erit aliquid quod multum aut grave videatur?! O miserum me! O vilem!

Ph. O. L. G. novo et maiori studio [1].

Sicut in caelo et in terra. Ad charismata meliora pertinet *ad maiorem Dei Gloriam,* pure et animo generoso. *Fiducia magna* in Deo Gubernatore universorum, semper pacato et quieto in gubernatione sua.

Consideratio et *oratio.*

In Societate curandus super omnia *spiritus* et ne inepti admittantur aut admissi conserventur.

Lectioni spirituali dandum tempus post meridiem, ante et post officium divinum.

---

(1) Cfr. pag. 180.

1842.

(d. 5 Octobris)

Dies 1.

Principium et *fundamentum*. Quae vita sine hoc *principio?* quae virtus sine hoc *fundamento?*

Deo serviat, non ergo ut excellens sit aut excellentiae nomen habeat, ne in sanctitate quidem, nedum in quocumque munere aut officio, sed solum ut *Deo serviat,* Eius faciat voluntatem, ut melius scit et potest. Scilicet voluntatis propriae est, velle plus etiam in bonis quam velit Deus. Modo tamen ne ex mea parte desim in animi praeparatione ad Dei dona maiora *ad Eius gloriam* accipienda. Ut desint talenta, desint alia media et ipsa Dei dona, at *cor, voluntas* numquam desit.

Reliqua super terram. Ad haec *reliqua* pertinent etiam detractores, maledici, calumniatores, etiam falsi fratres et quicumque modo exercent. *Omnia* ut *iuvent* ad finem, ad *purganda* vitia, ad exercendam virtutem. Nihil impedire potest, nil nocere, nisi sola *voluntas propria,* inimica voluntatis divinae; aliena voluntas, quamtumvis etiam mala, non potest nocere!

Dies 2.

Confusio et dolor. Ante Te erubescam, Domine, et dolor meus contra me semper.

In Angelis rebellibus *voluntas prava,* quae *intellectum* non *captivavit in obsequium Dei.* Certe enim videtur, *mysterium* fuisse illis propositum ad *fidei* et *caritatis* probationem.

Quoniam magna misericordia Tua super me, et eruisti animam meam ex inferno inferiori, dum tam multi, heu, pereunt!

Dies 3.

In iudicio. Beneficia Dei quanta! quam stricta ratio reddenda eorum! *Creatio,* sed haec quid, nisi *redemptio?* Haec vero quid, nisi *sanctificatio?* Haec ipsa quid, nisi *vocatio ad Societatem?* Et haec ipsa quid, nisi continua *profusio gratiarum? Singula* ex his *innumera* continent et primus eorum annulus in *aeternitate Dei! Caritate perpetua dilexi te ...!* Quid retribui? Quid retribuam?

Ratio conscientiae. De *animi abiectione* et *cogitatione deponendi ... Remedia, maior contemptus mei ipsius* et *maior in Deum fiducia.* Intellectus videat in omnibus Deum agentem et permittentem, *voluntas* solam *Dei voluntatem* quaerat, contempta omni voluntate propria seu desiderante seu repugnante.

Renovatio spiritus, annua in secessu, *hebdomadaria* in confessione, *menstrua,* ad quam applicandae solitae meditationes et examina per triduum.

Monita, de *spiritu* promovendo in Societate, de *concionatoribus,* de *missionariis* non maturis non applicandis, de *non ostendenda displicentia* de malis, quae deprehensa sint, (dicuntur *postulata* in Congregatione provinciali ideo non proposita, ne *Praep*^{o} *Gen*^{i} *displicentia* crearetur!).

Gratiam clare cognoscendi et *perfecte adimplendi SS*^{mam} *Domini voluntatem in omnibus.*

Meditationis repetitio.

Contemptus mei ipsius, omnium peripsema sive in officio sive extra ... Sed praecipuum est *id sentiri merito deberi.*

Spiritus in Societate. Multa utique feci, scripsi pro eo renovando, sed *aquam* fudi ... Scilicet inefficacia omnia, quia in me ipso deest, sin minus speculative certe practice. V. g. ubi *orationis* et *unionis cum Deo* facilitas et non interrupta continuatio?

Superiores locales, Provinciales, primi *Patres spirituales* in domibus, in Provinciis ... Praep. Gen. in Societate universa!

Dies 4.

Sequi Christum Regem est *agere contra propriam sensualitatem et contra omnem amorem carnalem et mundanum, et in ferendis iniuriis et adversis omnibus, cum vera tam spiritus quam etiam rerum paupertate.* Quando tamen sequar *vere* et *practice*? Intellecta haec dudum!

Generis humani extrema perversitas et miseria, cuius ego pars et ego *perversus* et *miser.*

In Virgine, in Angelo, in Verbo incarnato omnia *humilitatem* et *mundi contemptum* praedicant.

B. Virgo turbatur, auditis *laudibus* suis, ego *admonitionibus* aut *observationibus* de iis quae non recte aguntur! Atqui si etiam remedium afferri statim non possit, iuvat tamen scire malum, ut in tempore, quando fieri poterit, medeamur.

Dies 5.

Quae *praeparatio Cordis Iesu* ad Nativitatem, Circumcisionem, Praesentationem? *Victima, victima.*

Tamen in omnibus humiliationibus Filium Pater honorat veris honoribus, licet a mundo non agnitis. *Angeli, Nomen Iesu, Simeon et Anna.*

Figura, quam homines Apostolici facere debent, est illa de qua Apostolus: *spectaculum facti sumus, purgamenta, omnium peripsema.*

In *Herode* quanta stultitia et perversitas! *Quid* est *homo?*

Angelus ad *Ioseph* mittitur, quia ipse *caput* familiae, *dure* ipsi praecipitur sed quam perfecta viri oboedientia! *Ioseph* mihi exemplum; *fiducia* de divino lumine, modo *oboedientiam* imiter. Ioseph protector!

Dies 6.

De Dei voluntate in me cognoscenda etc.

Quatuor illa Ph. O. L. G. prosequenda, sed *contemptu* curanda facilius, maior tamen attentio ad *L.* (1).

Praecipuum est, ut *crucem meam* i. e. negotiorum farraginem et difficultates, feram *constanter, hilariter, cum pace.*

Non omnia simul possum, homo sum non Deus; quod si inde *obmurmurationes* etc., haec ad 3^m^ humilitatis modum pertinent.

Ideo vere *maior mei contemptus* requiritur et pura quaesitio *voluntatis Dei* et nil praeter illam. *Pereat voluntas propria* et *gustus proprius.* Ceterum *parce tempori, tempori parce. Cor Iesu* pauperis cordis mei refugium, ubi opprimi se aut angustiari sentiat irruentium negotiorum et epistolarum mole et pondere et multitudine.

Huc *Examen particulare.*

Ultima coena.

Unus vestrum ... Cor Iesu obrutum afflictionibus et peccatis nostris et etiam *angustiis meis,* tamen *suavissimum,* pedes lavit discipulorum et instituit amoris sui pignus maximum.

Quam stultum cogitare, *cor meum obrutum* non invenire simile quid in *Corde Iesu!* Utique non illud quod imperfectum est in meo, sed quod est *poenae* ac *doloris* et hoc quod in meo et infinities amplius.

Cor Iesu, portans onera omnium in *suavitate* et *pace.*

O quam suavis est Domine spiritus tuus, qui ... pridie quam patereris, pane suavissimo ... !

Dies 7.

Totus hic dies mihi in *confractione cordis.* Utinam bene et secundum voluntatem Dei! Erant autem *angustiae conscientiae,* de rebus dubiis.

Tristitia Domini ...

Improperia, iudicia hominum, ut faventia et laudantia non absolvunt ita nec damnantia damnant.

Pater, dimitte etiam pro me dictum, ut de peccatis ita et de erroribus et ignorantiis meis.

Deus meus, Deus meus ut quid dereliquisti me! Et mihi ingeminandum. Quod si *confracto corde* porro me vivere velit, fiat, fiat.

(1) Cfr. pag. 180.

Si curae meae et opera pro spiritu in Societate fere sine fructu, non ideo cessandum. *Insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa.*

Dies 8.

Anima beata. O si et anima mea in egressu de hoc ergastulo *purgata, ornata virtutibus* et maxime *exercitata crucibus,* sine ulteriori mora beatitudinis particeps fieri mereretur!

B. Virgo *libentissime* Filii voluntati obsequitur et *moram* exsilii patitur, Filii gloria sat beatam se existimans, quod Eum plus quam seipsam amat.

Quale *spectaculum* Christi in caelum ascendentis!

Quam *alacriter,* quam *hilariter* tanto Domino serviendum *in cruce, in cruce, in cruce!*

De amore Dei.

Ipse textus S. Patris hispanus mira unctione, quae in versione quacumque servari non posse videtur.

In 3° *p.* Et *in me Dominus laborat.* Hoc animum addere debet in negotiis et necessitatibus et muneribus officii mei. Instrumentum sim divinae manus!

In 4° *p.* Si quid aegrum me solatur, si quid afflictum erigit, maestum recreat, debilem confortat, totum hoc ab illo *sole,* ab isto *fonte.* (Hae duae similitudines iustissimae, quod nec radii nec rivuli absque sole absque fonte subsistere porro possunt).

Quotidie praeparatio cordis ad *contemptum mei.*

Consideratio quotidie alternatim de *Instituto, de statu Societatis.*

Consultatio cum PP. Assistentibus non facile vacet, etiamsi nullum negotium urgeat.

Gravissima ratio reddenda huius officii, ut periculi plena ita ad *misericordiam* Dei perpetuo implorandam impellat. Tamen cavere debeo, ne Christum mihi *austerum* fingam, ut ille *servus piger.* Immo vero qualem se exhibet in Med. de Vexillis, *speciosum* et *amabilem.*

1843.

1. *Ad maiorem Dei gloriam.* Animi generositas et perfectionis studium in actionibus omnibus.

Reliqua super terram. Omnia, omnia *sic* intuenda, *sic* accipienda.

Linea recta sequenda, si quando divergat, mox redigenda; quod ni fiat brevi longissime aberrabitur . . . !

2. O quam saepe, nisi Domini misericordia reduxisset in viam, aberrans abiissem in praecipitium!

In viam tua reducti dextera! Quoniam magna misericordia tua super me et eruisti animam meam ex inferno inferiori.

3. Satis erat, si Deus passive se habuisset, dum deflectebam a via... Praeceps ivissem in peccata, in malam mortem, ad iudicium tremendum, in barathrum sempiternum. *Benedic, anima mea, Domino et noli oblivisci.*

4. Verbum Patris venit, *ut mundum subiiciat, inimicos debellet, et ita intret in gloriam Patris.* Grandia sane! Et ut haec perficiat, media adhibet *exinanitionem* sui ipsius in Incarnatione, in Nativitate. Omnis gloria occultata, in utero Virginis, in praesepi, nil nisi *humiliatio* et *contemptus* et *paupertas* et *exinanitio* apparet. Iustus *ex fide* vivit. Oculis internis contemplandum.

5. In *Circumcisione,* in *Praesentatione.* Quomodo *occulta* sunt omnia illa grandia in Iesu et Maria! *Silentium!*

Secretum meum mihi de donis Dei, de animi sensis, nisi certa ratio aedificationis, in qua valde timenda et cavenda illusio amoris proprii.

Fuga in Aegyptum. Iesu praesentia portat secum labores et aerumnas, sed in his simul Providentiam Patris cum securitate sub tanta protectione.

In Domo Nazarena pax, silentium, unio animorum summa.

6. *Offeram me cum integra et perfecta resignatione in verum holocaustum SS^is manibus tuis.*

7. Cor meum *pressum angustiis ob peccata,* mea et meorum, Cor Iesu respiciat et imitetur et in hoc solatium capiat.

Quae utilitas in sanguine meo? Non ideo minus sanguinem dedit, etiam pro ingratis, qui aut redemptionem accipere recusarent aut centies liberati, centies denuo in servitutem redirent. Ergo etiam laborare *frustra,* libenter...

8. Inter miserias elevandus animus ad *Beneficia Dei* recolenda et ad *gloriam Christi.*

1844.

S. Ignatius - S. Teresia

Dies 1.

Finis. Relationes inter *me* et *Deum,* ut creaturae ad Creatorem, servi ad Dominum, medii et instrumenti vivi ad Finem.

Qualis debet esse dependentia, resignatio, reverentia amorosa, amor reverentialis, cura sollicita et fiducialis!

In *creaturarum usu.* Quid agendum, clare inde a primis vitae religiosae annis Deo dante intellexi. Quid est quod adhuc tam miserabiliter? Quia nimis generaliter et *in globo* hanc perfectionem apprehendi.

Applicandum ad singularia, etiam *vana* et *inutilia,* quae valde impediunt quominus *conversatio nostra in caelis sit,* ut deberet esse dudum, tam multis nominibus.

Nonne Deo subiecta erit anima mea? Quidquid afflictionis undecumque ingruat, Deo utique volente aut saltem permittente accidit. Quid vero magis absurdum, magis inutile, magis noxium, magis iniuriosum Supremae illi Maiestati ac Bonitati quam nolle ei esse subiectum? Quid? si facultas eligendi esset, illud ipsum *unice* eligendum foret, ut *unice* desiderandum quod Ipsa velit.

Finem duplicem Societatis procurare Praep. Gen. maiori studio quam quivis alius de Societate teneor, *maiori* studio propriae perfectionis, maiori humilitate, patientia, mansuetudine, ferventiori oratione, operosiori applicatione ad omnia officii mei munera.

Tempus deficit? tempori parce...

In negotiorum farragine et molestia *Pax.*

Persecutiones Societatis in manu Domini *media ad finem.*

Incrementa Societatis non in solo numero Sociorum et operum multitudine, sed in *vigore spiritus*...

Dies 2.

Peccata.

Confitebor... quoniam magna est misericordia tua super me.

In 2° p. 2^di^ Exercitii. Non solum omne peccatum *mortale* turpissimum, etiamsi lex nulla prohiberet, sed vel ipsa venialia, vel ipsi defectus voluntarii, saltem absurditatis et stultitiae plena *ex se* et ob defectum rectitudinis secundum regulam sanae rationis. Quid enim? Anima rationalis et immortalis occupatur, delectatur *nugis?!*

Dies 3.

Mors, iudicium.

Anima separata quam aliter, sed quam recte videbit, intelliget, iudicabit, volet! Quid illi omnes creaturae et creaturarum nugae?

Christus in SS. Sacramento me intuetur, me intime novit. Quid de me, de animae meae statu, de mea vita et de actionibus meis et de Societate deque eius gubernatione *iudicat?* Exquire,

audi, est *Testis fidelis* et *verax,* utique ad mei *confusionem* magnam!

Dies 4.

Regnum Christi.

Vere *necessarium* fuit, ut Christus, volens regnum Patris et suum per hominum rebellionem convulsum restituere, viam iniret mundi et carnis sensui in omnibus *contrariam. Contraria contrariis.* Alioqui rebellionis causas et incitamenta et alimenta non sustulisset, sed suo velut exemplo deificasset Quod si nunc, post tale Christi exemplum, adhuc homines . . . , quid si contrariam Christus docuisset et monstrasset viam?

Quando primum ad sui sequelam me Christus vocavit, vix intelligentem quo vocaret, certe nonnisi confuse, quam miris modis praeparavit, disposuit, animum indidit generosum tunc et omnia impedimenta superantem, vere totum *dono suae gratiae! Quid retribuam? Confitebor tibi* . . . et vero aliquando minus tarde, minus ignaviter *sequi* tandem incipiam.

In *Incarnatione exinanitio, similis factus fratribus in omnibus* miseriis *absque peccato.*

In *Nativitate* paupertas, contemptus, dolor et omnia incommoda. Omnia haec ad propositum reparandae gloriae Dei *per contraria.*

Ego vero in hoc mysterio comitatus Mariam et Ioseph, ut *asinus* aut *bos,* quid enim intelligo? Utinam saltem *iumentum* patiens et docile et oboediens!

Dies 5.

Circumcisio, Praesentatio, Fuga in Aegyptum.

In Aegypto commoratio fructum fortasse tulit tot Sanctorum qui ibi floruerunt. *Ubicumque* fueris, divinae gloriae consulere semper poteris, saltem *oratione* et *vitae innocentia. Providentia divina.*

Nesciebatis quia in his quae Patris mei sunt, oportet me esse. Haec cogitanda si quando ab iis, quae officii mei sunt, avocari quacumque ratione vel praetextu accidat.

Iesus proficiebat sapientia et aetate. Quis est qualiscumque profectus meus, si cum divinis beneficiis et gratiis conferatur, gratiae ut 100, ut 1000, profectus ut 1! Ergo nullum ex me solatium, nisi in Dei misericordia. Haec *magna super me . . . Confitebor* in futuro; nam nunc quidem ne confiteri quidem scio . . . Ex te ergo tristare inconsolabiliter, sed *delectare in Domino.*

Anni 30 vitae absconditae non minus divinae gloriae servierunt. *Gloria Dei in voluntate Dei.* Et tamen etiam in illa vita privata iuvit procul dubio animas, oratione et conversatione et

peculiaribus forte gratiis internis etiam absentes, pro illa bonitate qua mundum visitare prorsus venerat in *visceribus misericordiae.*

Dies 6.

De duobus Vexillis.

Cum iam singulari Dei beneficio sub Christi vexillo admissus militem, non aliud mihi *petendum,* nisi ut *actu* et effectu dignetur me paupertate et iniuriis exerceri concedere, idque mihi *desiderandum* et *quaerendum,* intento oculo ad *omnem occasionem* quae se offerat *arripiendam,* ac tum *gaudendum* de summo huius vitae bono. Hic mihi fructus huius meditationis de 2 Vexillis.

De tribus Classibus, impedimentis et *mediis.*

1. *Impedimenta.* Ph. O. L. G. (1) et effusio in negotia, unde pacis turbatio.

2. *Media.* Orationis fervor et frequentia praeter consuetum pensum.

Quidquid placet... ideo difficile et moraliter impossibile quia Deus *mihi non sufficit ! ! !* Heu miseriam et ignominiam!

Utinam aliquando *tandem serio* et *constanter!*

De 3 Modis humilitatis.

Ph. O. L. G. ad 2^m pertinent et, nisi misericordia Dei et vigilantia perpetua, primum ipsum exponunt periculo. *Cum timore* et *tremore, pugnandum* et *orandum.*

Dies 7.

Passio.

Dolor et *amor* et hic semper maior illo.

Ad *crucifixi pedes* perseverare... Quid? Dominus in cruce pendens perseverat, mihi grave erit ad Eius pedes *perseverare...?*

Pater, dimitte. Preces exauditae. Omnium peccatorum remissio *obtenta* per Christum. Sic nobis *salutis aeternae praemia* iam *comparavit, promeruit* et *acquisivit* ut S. Pater loquitur.

Hodie mecum eris in paradiso. Quam leve reddet vel certe tolerabile tanta promissio qualecumque tormentum mortis!

In Corde Iesu. Ipse hinc non repellet nec inimicus rapiet. O quam bonum in hoc Corde manere! Suscipe, o bone Iesu, suscipe, suscipe.

Impii nil ultra quam quod Deus vult. Exemplum in militibus qui venerant ut frangerent crura, etiam Iesu.

---

(1) Cfr. pag. 180.

Dies 8.

« *Tomad, Señor, tomad. Dadme vuestro amor y gracia, que ésta me basta* » et *ita* sufficit, ut vel ipso *esse meo et omnibus aliis donis tuis* carere velim quam esse sine amore et gratia tua, vel unico momento. *Absit, absit!* « *Tomad Señor tomad* » priusquam hoc malum . . . !

Deus habitans et *operans* in me, etiam in laboribus, et Christus etiam *patitur* in me, dum patior. O bonitatem! O quantum hinc robur accedat necesse est!

Ceterum, quid *offeram* ego nisi *miserias* meas, quae solae sunt *meae*? Praeclara enimvero oblatio! Scilicet placebunt non ipsae, sed verus et intimus earum in me sensus et humiliatio mei et exinanitio. Deus meus *Omnia* et ego *nihil* et *nihil.*

1845.

(d. 15 Octobris)

S. Teresia

Dies 1.

Inordinata est voluntas *determinata* ad aliquid faciendum *hoc die, hac hora,* quando a me non dependet ne impediar. Hinc enim saepe turbatio pacis internae. In omnibus semper ita statuendum *si Dominus voluerit.* Utique eius voluntas est, et quidem *voluntas beneplaciti,* cum impediri me etiam importunis visitationibus etc. permittit.

Deus *omnia* ego *nihil,* ergo et voluntas Dei sola valere debet, mea nihil. Quando vero voluntas Dei aliquid meo ingenio aut inclinationi contrarium, tum maxime curanda et amplexanda; *certamen ut vincam.*

In iis, quae a me non dependet, etiam optimis, mihi dicendum semper *vellem,* numquam *volo.*

Placere Deo adeo magnum est, ut id praetendere mihi rebusve meis praesumptio sit intolerabilis.

Ut *Deus mihi placeat* in omnibus, dignum et iustum est. Ceterum si Deus me resve meas vel respicere vel utcumque admittere non dedignetur, misericordia est et gratia et dignatio ineffabilis.

Dies 2.

In omni *excellentia* donorum periculum maximum superbiae, exemplum in Angelis et Adamo. Ergo ne desiderandum quidem ultra id quod Dominus dare dignatur in quocumque do-

norum genere etiam spiritualium, et super omne donum desideranda et petenda *vera humilitas. Deus* omnia *ego* nihil.

Dies 3.

Magna spes iudicii Christi propitii iudicia iniqua hominum quorumcumque. *Diem hominis non desideravi.* Sed hunc sensum corde preme et serva nec manifesta sine necessitate. *Secretum meum mihi.*

Conf. gen. et rat. consc. Pax, pax, pax in submissione totali voluntatis meae sub *voluntatem Dei,* semper sanctam et amabilem, *in omnibus.*

Quod ad gubernationem Societatis attinet, *consultatio* cum PP. Assistentibus medium cognoscendae voluntatis divinae, et item medium firmandae et corroborandae imbecillitatis meae, idque tam pro intellectu quam pro voluntate.

Dies 4.

Rex Christus... oblatio mei *seria.*

In Incarnatione Dei Filius *exinanivit* semetipsum, ut mundo perdito remedium faceret. Quid, si mundo perdito, qualis nunc est, remedium allaturus fors terribilissimum, Societatem *exinaniri,* fere ad nihilum redigi constituit? O Domine, fiat in me, de me et de Societate sanctissima voluntas tua!

(Angustiae propter culpas meas et sociorum. *Confitebor peccata mea et peccata sociorum meorum*).

Dies 5.

Quid facimus, cui bono sumus in Ecclesia, si *perfectionem evangelicam* in nobis et in aliis non promovemus? Si Christi Iesu *cognitionem* et *amorem* non dilatamus?

Si nos nostro fini desimus, quod avertat Deus! fors istum Societatis arborem excidet Dominus et ex eius radice, *spiritu Ignatii,* alium surculum germinare faciet, qui in arborem excrescat et fructus salutis et sanctitatis faciat, quos Societas non facit!

Fugam in Aegyptum utique nec Ioseph nec Maria umquam inire debuissent, nisi Iesus fuisset cum eis. Numquid ista sors *Societatis Iesu* doloris et non potius summi gaudii iustum argumentum?

Utrorumnam invidenda sors? eorumne qui cum Herode dominabantur an qui cum Iesu exsulabant? Oh! Domine, modo *tecum!*

Dies 6.

Tres Classes.

Pax, pax, pax, hanc a me Deus postulat, hanc ego a Domino.

Pax hominibus *bonae voluntatis. Bona* voluntas, quando sit voluntati Dei conformis aut melius etiam quando in illam transformetur, quantum patitur humana miseria.

Ergo, non quod ego volo, sive in particularibus rebus meis sive in universalibus Societatis, Ecclesiae, mundi, *sed quod tu, Pater.*

Ad hoc vero, ut ista mea voluntas *exinanita* sit, requiritur ut meum *nihil* intime sentiam. Qui *nihil* est, ei *nihil* debetur, nihil praetendere potest, *nihil* velle.

Voluntas signi per praecepta, consilia, inspirationes, manifestata oboedientiam exigit.

Voluntas beneplaciti in omnibus quae eveniunt amplexanda. *Amen.* Per Christum, per quem non exigua petenda, hoc tantum bonum *petendum* assidue et *exercitatione* procurandum. *Amen, Amen.*

Tres modi humilitatis

Quidquid sit, errent licet fortassis, tamen certe et boni et mali in Gallia et alibi Societatem considerant ut Ecclesiae praecipuum propugnaculum, i. e. *Christi Regis arcem.* Ergo *pro Christo* patimur. Quanta gloria! . . . *Domine, non sumus digni...*

Dies 7 et 8.

Nos autem revelata facie (expulsis figuris veteris legis) *gloriam Domini speculantes* (gloriam eius conversationis, passionis, resurrectionis, gloriam Domini in eius divina humilitate, patientia, oboedientia, caritate ceterisque virtutibus) *in eamdem imaginem transformamur* (per imitationem) *a claritate in claritatem* (ab imperfectioribus ad perfectiora) *tamquam a Domini spiritu* (gratia scil. Spiritus sancti, qui spiritus Christi est).

Cor Iesu amoris et doloris pelagus; ibi haurienda illa *claritas in gloria Dei speculanda.*

Dies 8.

Deus omnia et ego nihil.

Si quis radius *luminis* et *caloris,* ab illo; ego *tenebrae* et *frigus.*

Laborare et pati et in omnibus *voluntas tua,* Domine, haec sola *pax* mea.

1846.

(d. 16 Octobris)

S. Teresia

Redde mihi laetitiam salutaris tui et spiritu principali confirma me.

Dies 1.

Deus et *ego.* Reliqua omnia *intermedia,* quae servire debent ut ad Deum perveniam. Si *impedimenta,* per conatum ea removendi, si *adiumenta,* per constantem usum; in utroque *virtus* exercenda generose et alacriter. *Hilarem enim datorem...*

Quid est quod interdum, immo et saepe, in eo sensu me reperiam ut beatiores dicam *mortuos* quam *vivos . . . ?* Illud vitae fastidium? scilicet *difficultatis* et *sollicitudinis?* At hae ipsae inter *reliqua super terram, media* ad *finem* opportunissima.

Tempus, intermedium inter nativitatem et aeternitatem tota est *via* ad *Deum,* perge et *transi.*

Creationis beneficium summum, fundamentum omnium divinorum beneficiorum, ad *finem* tam *nobilem* ac *beatum,* nonnisi ex *voluntate perversa* minoris fieri potest. Eheu! quanta caecitas! Ob breves et leves molestias quarum praemium est *aeternum gloriae pondus,* ingratum fieri erga Supremum Benefactorem! O bona voluntas, *laetitiae* fons!

Dies 2.

De peccatis. Tenebrae et frigus. Hoc *meum* scil.!

De inferno. Misericordiae Domini! Quam nihil, quidquid in huius vitae via contingat pati, dummodo illum terminum evitem!

Dies 3.

Conf. gen. et ratio consc. Cordis dilatatio omni studio procuranda per *fiduciam* in Domini bonitate. Hic ille *Spiritus principalis* ardenter et perseveranter petendus.

Utique *ego* nihil, *Deus* omnia.

Dies 4.

Christi Regnum.

In hisce Societatis persecutionibus praeclara occasio probandi nos Regi nostro in *ferendis iniuriis* et *adversis omnibus. Nunc tempus acceptabile, nunc dies salutis.* Tempus *pugnae* et *victoriae* et *triumphi cum Rege nostro.*

Incarnatio.

Ex *Verbi* dignatione omne bonum. *Quales* meditamur homines sine hoc beneficio, *quales* etiamnum videmus scelestos homines, qui beneficium hoc non noverunt vel respuerunt, *talis* ego forem sine hoc beneficio quod mihi vix nato applicatum fuit, dein per educationem Christianam, dein per doctrinam et Sacramentorum usum, per vocationem religiosam etc etc. O misericordias Domini!

Quidquid etiam sanctitatis in quocumque homine, ex *Verbi* dignatione ... et in Angelis et in Sanctis.

Per Ipsum et *propter Ipsum* ...

Nativitas.

Abhorrere commoda discam aliquando exemplo Bethlehemitico!

Dies 5.

Circumcisio.

Filii Dei *humiliatio* et *dolor.* Ita Salvator.

Praesentatio in templo.

Et *Virgo Mater* et *Filius victimae* Deo Patri.

Fuga in Aegyptum.

Maria et *Ioseph* cum *Iesu* et propter Iesum *exsules,* divina *Providentia* protecti.

Vita abscondita in Nazareth.

Subditus. Qui *Superior* imperat, quanto inferior sanctitate et sapientia! Auctoritas imperandi ergo ex alio fonte promanat, ex ordine divinae Providentiae.

Humilitas, simplicitas, pax. O *sancta* domus!

Paupertas in victu, in lecto, in omni supellectili.

Dies 6.

De duobus Vexillis.

Ignominiis affecti Christi asseclae. *Trophaeum* Christi.

Dies 7.

In *Crucifixione* totum *corpus peccati* mortificatum.

Omnis amor proprius, omnis libertas adempta et sensus et honoris amor.

In Christo Crucifixo omnia, omnia.

Dies 8.

Christi gloria.

Amor Christi gloriosi in tantis apparitionibus.

Omnia ad remedium *miserae* naturae humanae, ab Ipso ita elevatae, *exaltatae* usque in caelum, quo nos ducit et advocat. *Sursum corda!*

De amore Dei.

Beneficia communia ex perversitate nostra minoris aestimantur, quod multis non proderunt ad *finem* aeternae beatitudinis obtinendum. Quasi vero desit quidquam ex parte *Creatoris* beneficentissimi et piissimi *Redemptoris,* qui creavit primo *ut essent* et lapsos etiam reparavit et reparavit tali modo!

Deus omnia, ego nihil.

Sentire de Domino in bonitate. Amen.

1847.

(d. 8 Decembris)

S. Franc. Xaver.

In spiritu humilitatis et in animo contrito
Domine, dabis pacem nobis, pacem tuam.

Dies 1.

Reliqua super terram, etiam *foris pugnae, intus timores.*

Servire autem Deo, voluntatem signi exsequendo et voluntatem beneplaciti amplectando plena resignatione pro futuro, conformitate pro praesenti.

Fiat, fiat. Hoc dignum homine,... me vero, Societatis Iesu Praeposito! Sed serviendum *alacriter, toto corde,* sicut *Confitemur et benedictus Domino.*

Dies 2.

Confusio coram Deo, quia ex massa corrupta peccatorum, quia vel uno peccato veniali meruissem ut me Deus sivisset ire in viam meam.... Quid? tot ac tanta peccata, post tot misericordias Domini, inde a prima aetate! *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo et glorificabo ... quia magna est misericordia tua super me ...*

De *inferno* nimis raro cogitamus et tamen ... Saltem dum oramus quotidie, etiam in Missa, *ab aeterna dannatione nos eripi.*

Dies 3.

De morte, iudicio.

Conf. gen., ratio consc. Humilitas et pax, cogitatione, verbo, opere.

Vespere de *Regno Christi.*

Christus Rex expugnaturus mundum perditum, ut salvet mundum et Patri sibique regnum restituat, socios in hanc expe-

ditionem vocat et invitat, conditionibus admirandis (inter quos ego), promissa victoria certa et indubitata, per labores, per aerumnas, per iniurias et contumelias et calumnias, per vulnera et mortem. *Ipse prior vicit.*

Nostra imitatio et sequela fere umbratilis, paupertas commoda, iniuriae fere verborum tantum. Ergo, si quid gravius, *Nunc incipio Christi esse discipulus.*

Dies 4.

De *Incarnatione et Nativitate*:

1° Mundi conditio miserrima. Quam merito non solum contemmendus sed abhorrendus, sed odio habendus propter scelera. Vanitates vero eius ad scelera ducunt. Quam benigna Dei misericordia in talem!

2° Virgo turbatur audiens laudes suas, scil. in sui nihili cognitione defixa, postea tamen ad Elisabeth, in laudibus suis, eadem humilitate in Dei laudem sua bona et dona refert.

3° Submittit se Virgo laboribus et ignominiis et martyrio, quod maternitatem divinam comitaturum erat. Ut Angelus Gabriel libenter humani generis gloriam nuntiat, ita Societas gaudeat de institutionibus a se formatis et quae illam ipsam in multis superant (v. g. Congr. Miss. extern. Paris).

In *Nativitate* Christus elegit de incommodis « *más y más mejor* », de commodis « *menos y menos, mejor* ». Quale exemplum! quae doctrina! *Quidquid placet ...*

Quamvis mundus tam perversus, etiam post tantum donum Verbi Incarnati, tamen fructus huius misericordiae insignis in tot electis qui naturae corruptionem superarunt et quotidie superant ... et *deliciae Dei, esse cum filiis hominum.* O gratiam! O benignitatem! O Salvator dulcissime!

Dies 5.

De duobus Vexillis.

In Luciferi Vexillo inscribitur *libertas, independentia, Belial,* scil. ad aedificandam civitatem Babylonis, non Ierusalem. Qualis sit spiritus cognoscitur ex *pricipio, medio* et *fine.* Itaque *fraudes* non iam occultae, nimis patentes. Absit, absit, ut illusi sub specie boni decipi nos sinamus, quando nec species boni obicitur nec malum obtegere conantur auctores malorum, in Deum et in Christum eius iniuriosi.

Si Christus *Rex* et Ecclesia *Regina,* quid est quod *libertas Ecclesiae* heu nimis vindicanda dicitur et est.

De tribus classibus, de Christi Baptismo et Ieiunio.

Dies 6.

De *Apostolorum Vocatione.*

Nimis honorificati. Quid in me vidisti Domine? Quid in me reperisti? Quam parum est, quod pro tanto bono et dono pati in hac vita contingat!

De Sermone Domini in monte, de Christi conversatione.

De Ultima Coena.

In corde Iesu amor et dolor, sed amor superat dolorem in infinitum. Apostoli parum intelligebant *tunc* tanta mysteria, sed heu, ego *adhuc!*

Dies 7.

Hortus, tribunalia, flagella, spinae, crux.

Mysteria in Cruce, ex libello.

Petenda instanter a Domino gratia meditandae Passionis.

Dies 8.

Resurrectio Domini et *Ascensio.*

Et ecce ego vobiscum sum, eritis mihi testes, elevatis manibus benedixit et ferebatur in caelum.

Praesentiae Dei exercitium. In examine, quid *boni* operetur in me *Deus* et quid *mali* admisceam in omnibus operibus meis *ego.*

De Amore.

Radius, virtus ... Quidquid est boni in me, in aliis, totum pendet a sole, a fonte, neque est in potestate nostra retinere, conservare.

O Deus *omnia,* o ego *nihil.*

1848. (1)

Dies 1.

« *Hacer reverencia* », in oratione, *reformatio.*

Iam videtur Deus velle a me, in Societatis gubernatione, glorificari *patiendo* magis quam agendo. Talis est mundi conditio et animus erga Societatem, nec solum mundi et eorum qui de mundo sunt sed eorum etiam plerumque, qui de mundo non sunt, aut certe pro statu et gradu suo esse non deberent. Ergo ... submissio, resignatio *ad omnia.*

Magnum Dei donum, *patiendo* sanctificari et salvari.

Dies 2.

Confusio coram Deo et hominibus, et *memoria peccatorum* quotidie servanda et renovanda. *Magnus peccator, reus mortis*

(1) Die 29 Mart. a. 1848 Servus Dei exsul Roma Massiliam profectus erat. Cfr. Pirri, *P. Giovanni Roothaan,* 1930, p. 414 ss.

et omni suppliciorum genere dignus. Hic sensus salis instar condire debet pietatis sensa et a corruptione servare spiritum.

Spiritu ferventes, Domino servientes ...

(Reliqua desunt).

1849.

(d. 9 Decembris)

S. Franc. Xaver.

Dies 1.

Principium et fundamentum.

Deus meus et *omnia. Ego* ex me *nihil* sum, nihil habeo, nihil possum, nihil valeo, *nihil et nihil. Nonne Deo subiecta erit anima mea?* Non Illi *serviet,* Eius voluntati seu signi seu beneplaciti? *Fiat, Amen.*

Terminus salutis animae, quam optabilis! Quam ultra omne quod facere aut pati in hac vitae brevitate possum! Quod tempus est exsilii, proditionis, exercitationis, expiationis.

Quae molesta, in quantum molesta, media optima et efficacissima *ad finem,* si sapio.

Patris Generalis nomen et officium, quam laudem, qualem reverentiam, qualem famulatum Deo exhibendum postulat! *A dextris et a sinistris ... !*

Dies 2.

Peccatum.

Corpus hoc animae carcer, sed *carcer* vivens, cuius membra omnia ad animam vexandam et torquendam et impediendam semper parata. Quam male amatur! Quam bene si quid illi affligens accidat!

Ego in *exsilio,* etiam cum benigne et laute et cum honore excipior, et tunc maxime, quod maiora pericula detrimenti in anima.

Angeli peccaverunt; praetextus non abfuit: homines aliquando angelorum choris inserendos, immo unum hominem ab angelis adorandum, *et adorent eum omnes angeli eius.* Hoc nec intellectus submissione nec voluntatis subiectione voluerunt admittere, superbi et protivi.

Adam et ipse in fide defecit circa praeceptum sibi factum et minas. Et vero ipse ut angeli rebelles, non rediisset ad cor, nisi Deus eduxisset eum e peccato suo.

Sic ergo, nisi misericordia Domini... ; semel cum declinassem e recta via, numquam in eam rediissem. Tam multi perierunt et pereunt, me vero *secundum magnam misericordiam suam et secundum multitudinum miseratiorum suarum*... Totum Iesu debetur, qui Homo Deus *attritus est propter scelera nostra,* mea.

De inferno.

Quam apte colloquium ad Christum Dominum! Utique, nonne Ille *Agnus qui occisus est ab origine mundi? Qui tollit peccata mundi? Qui dedit semetipsum redemptionem pro peccatis... totius mundi? Cuius copiosa redemptio?*... O severitatem divinae iustitiae! Immo vero o mysterium iniquitatis humanae, incredulitatis, perversitatis, pertinaciae!

Dies 3.

De morte, iudicio.

Phantasiae et *ineptiae contemptu* curandae, etiam ne moribundum olim turbent aut vexent aut tentationi viam aperiant. Omnia *adversa* optima, et recte tolerata fiduciam praebebunt prae omnibus bonis operibus.

Dies irae, meditandum in Missa pro defunctis, *magna* vere... In die iudicii omnia praesentia nonnisi imago; quid damna temporalia, ruinae, quando omnia igni consummanda?

Dies 4.

Regnum Christi. Quanta dignatio vocantis omnes, etiam feminas, in partem suae expeditionis! Victoria certa, *Ego vici...*

Incarnatio. Angelus Gabriel gaudet tanta exaltatione generis humani. Sensus habendus, ubi aliis Congregationibus benedici a Domino videmus. *Bonum nobis quia humiliasti nos!* Gratias semper *propter magnam gloriam tuam.*

Nativitas. Mariae et Ioseph silentium et patientia *simplicissima,* uti et oboedientia erga edictum Caesaris.

Labores et aerumnae, non sine solatio: *Gloria in excelsis Deo.* Haec etiam fiducia habenda in imitatione Christi. *Crux inuncta.*

Applicatio sensuum. Odor divinitatis et virtutum Angeli, Virginis, Ioseph, soporem et torporem excussit, odor vivificans...

Dies 5.

In *Circumcisione* Dominus renuntiat omni iure exemptionis a lege. Itaque et Virgo Mater subiecta Purificationi, et praesentationi ac redemptioni Ipse Redemptor! Oblatio sui, victima, Agnus Dei, ad explendum omne quod in *Nomine Iesu* continetur.

Herodes qua politica sibi regnum conservare contendit! Sed in eo Providentia divina elucet. Cuius Providentiae opera, quae aliquando apparent manifesta, certos nos reddunt, etiam ea, in quibus illa non apparet, ab eadem gubernari. *Fides* in Dei sanctitate et iustitia et bonitate.

In fuga in Aegyptum Providentia non defuit Mariae et Ioseph, immo vero...

Vita Iesu abscondita in Nazareth. Quam ordinata omnia, pax, suavitas...

Dies 6.

De duobus vexillis. Fallaciae divitiarum et honorum, contra *vita vera* in paupertate et opprobriis. Persuadetur ex fundamento, ex fide de peccato, de morte, de iudicio, de inferno et compendiosissime simul et efficacissime omnium ex fide Iesu Christi, qui est *Via, Veritas et Vita,* solus verus Rex.

Dies 7.

In iniuriis, calumniis, solus Ille: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Nobis dicendum semper: *Iustus es Domine...*

Colloquia. Deus, Iesus Christus, Maria,... Tum ego, Societas, Ecclesia, mundus. *In oratione et obsecratione, cum gratiarum actione, petitiones vestrae innotescant.* Haec mihi sint commendatissima ex doctrina S. Patris.

Corripiam ergo eum et dimittam. Iniusta sententia in Iesum, *qui innocens, impollutus,...* sed istud *corripiam* semper iustum in me peccatorem.

Domini aperuit mihi aurem et ego non contradicam. Quaecumque, undecumque patienda mihi adveniant, *nihil, nihil* coram Iesu flagellato, coronato spinis, crucifixo. Saltem *acceptare...*

Dominus in cruce, inter illa atrocissima tormenta, non se solo occupatur, sed agit charitatis officia, quasi sui oblitus! O detur mihi, si quando inter mortis angustias constitutus...!

1850.

(d. 14 Octobris)

S. Teresia

Dies 1.

Reliqua super terram. Omnia plane, prospera adversa, amici inimici, laudes vituperia, commoda incommoda, solatiola dolores, honores ignominiae, consolationes desolationes, gau-

dia tristitiae, et qui *importune interpellant furantes tempus et negotiorum aut epistolarum turba opprimens et angustiae temporis et cordis*: omnia *ut iuvent.* Sed in unis cavendum a complacentia, in alteris servanda constantia animi et vultus cum gratia divina. *Nonne Deo subiecta erit anima mea? ... Cognovi Domine quia aequitas indicia tua.* Iuvent omnia, iuvent!

Etiam in meo officio Praepositi Gen. *reliqua super terram* ad gloriam Dei *maiorem* promovendam *iuvare* debent omnino. Calumniae, contumeliae, oppressiones, spoliationes, impedimenta non solum ab extra sed et intus, difficultates et imperfectiones subditorum, mea taedia, meae angustiae, mea inopia consilii et mediorum ad finem ... *omnia* iuvent! Si non tam actione quam passione gloriam suam operari velit Deus, nonne bene? Sit animus et cor transfixum incruento martyrio, quando cruento *Domine, non sum dignus.* Sed vincendum *generose* taedium, et hoc ipsum cum omnibus angustiis et miseriis meis proiciendum in sinum divinae misericordiae, *ad gloriam Eius maiorem. Et ipse faciet.*

Dies 2.

Confusio mei ipsius, coram Deo praesertim; in omni oratione, in principio haec praecipua praeparatio, *magnus peccator.* Petendum lumen, ut videam et sentiam.

Omne peccatum turpe est, quia offendit rationem. Praecepta Dei et ipsa evangelica perfectio perfecte consona rationi, ut offendi haec non possint, quin offendatur ratio et ipsa ethica pure rationalis, et ut homo, rationalis cum sit natura, actu fiat irrationalis.

Dies 3.

Imaginem iudicis et iudicii habemus in Apocalypsi, ubi *Testis fidelis et verax* iudicium suum profert de septem Angelis Ecclesiarum, ad quos scribi iubet ... *Iudex ergo cum sedebit ...*

Dies 4.

Rex optimus Christus Iesus in expeditione adversus inimicos suos et meos, me invitat *socium* laboris et certaminis, quamvis *victoria* futura sit tota sua. Quid enim mea opella qualiscumque? Sed hoc pacto vult me vere *participem* gloriae, quae non esset gloria, si tota esset *merum donum.*

Oblatio sit de rebus maxime arduis, sed non excluduntur quotidianae exercitationes etiam in minimis. Immo vero, nisi ad has me offeram et in his me Regis mei sequacem probem humilitate, patientia, resignatione, meae voluntatis meique ip-

sius contemptu, seu placeat quid seu displiceat, grandium illorum munerum oblatio merito videbitur illusoria.

Dies 5.

In omnibus mysteriis Rex meus docet modum *pugnandi adversus sensualitatem et omnem amorem carnalem et mundanum.* Vita Christi abscondita in Nazareth: exemplum, quomodo me habere debeam in vita privata et familiari conversatione cum domesticis; non impatientiae signa, non alta vox, non turbatio in quocumque eventu, amabilitas et mansuetudo et humilitas in omnibus, compati in defectibus.

Dies 6.

Quid Deus petit a me?

Resignationem plenam in omnem voluntatem suam et in omne beneplacitum suum.

Ut conservare studeam *pacem* inter multas causas perturbationis per *patientiam.*

Ut *considerationem* frequentius adhibeam circa officia mea erga Societatem et Provincias singulas et Missiones et socios etiam singulatim.

Qui Societatem persequuntur passione agitantur; meum est *compati,* non indignari.

« Ogni diletto mi dà sospetto — ogni gusto mi dà *susto* — ogni pena mi dà lena — ogni cruce mi produce merito e gloria ».

Dies 7.

Quod Societas tam insigniter participat de *improperio Christi,* gratia est singularis, soli S. Patri Ignatio eiusque precibus et lacrimis, eiusque spiritui et spiritui Societatis primaevae debita. Nos vere tantum bonum non meremur; neque tam *humiles* sumus et *vere spirituales,* neque tam viget in nobis *continuum puritatis et virtutum omnium studium et inflammata Deo serviendi desideria* neque tam ardens et verus et efficax *zelus gloriae Dei et salutis animarum,* neque tam strenue *daemonem et mundum* oppugnamus, ut merito nobis tantum odium a mundo et a daemone ullo pacto deberi existimare possimus. O misericordiam Dei, qui nos ita honorat et caros sibi facit *propter Patres!* O Domine, *converte* aliquando *corda Patrum in filios!* et a me incipe, ut aliquando minus indignus tanto honore tantoque bono efficiar!

Saepe renovanda oblatio mei et resignatio in omnem voluntatem Dei circa *dolores* mortis, in unione dolorum agoniae Christi in cruce, ne in morte, ut frequenter fit, ineptus ad tales actus multum perdam tanti thesauri.

1851.

(d. 15 Octobris)

S. Teresia

Dies 1.

Iam toties, a tot annis, perspectum divino lumine, et adhuc?, *Creatoris* omnipotentis et sempiterni et liberalissimi dominium, supremum et ineluctabile sed simul suavissimum, totum in aeternam felicitatem meam! O Domine, tuus ego per omnia. Tibi vivo, Tibi laboro, Tibi patior, Tibi gaudeo, Tibi doleo, Tibi, Tibi, Tibi in omnibus et per omnia, ut aliquando Tibi moriar.

Quid mihi est in caelo ... Deus cordis mei? Mihi adhaerere Deo bonum est, Adhaesit anima mea post Te, Nonne Deo subiecta?

Reliqua super terram, ut alias saepe. *Omnia, omnia invent!* quaecumque illa sunt, *ut iuvent.* Iuvabunt autem, modo ego non impediam. Omnia ad modum recipientis.

O quam ferrea, quam indomabilis voluntas creata libera, perversa, quae Creatoris consilia piissima subvertit, in damna sua!

Dies 2.

De peccatis.

Vult Deus peccatorum memoriam non aboleri sed servari et timorem non deponi, quamvis *spes* et *fiducia* in Eius misericordia merito *maior* esse debeat; sed securitatem capi non vult. *Magnus Dominus et terribilis in consiliis super filios hominum.* Atque hoc ipsum est misericordiae, quod nos ita incertos velit, ne amor sine timore evanescat et omnia perdantur. *Sancti Nominis ... timorem pariter et amorem ...*

O infernus! Cum *Creator,* omnes ad beatitudinem, cum *Redemptor,* omnes ad salutem! *Ne perdas cum impiis Deus animam meam.* Sed nimirum in hac vita *misericordiae* opus, post mortem in termino *iustitia.*

Dies 3.

De morte, de iudicio. Apoc. 1, 2, 3. *Filius hominis, testis fidelis et verax, cuius oculi tamquam flamma ignis, et habet claves mortis et inferni.* Quid dicit, bona et mala discernens?

1° *Habeo adversum te, quod charitatem tuam primam reliquisti. Memor esto unde excideris, et age paenitentiam et pri-*

ma opera fac. Sin autem ... movebo candelabrum tuum de loco suo. Hae minae maxime horrendae; nam candelabrum est Ecclesia, huic angelo commissa. Ergo propter peccata Praelati percutitur Congregatio!

2° *Nomen habes quod vivis et mortuus es.* Horrendum! *Esto vigilans et confirma cetera quae moritura erant.* Fortasse *mortuus* dicitur propter socordiam in cura pastorali cum animarum damnis. *Illumina oculos meos, ne umquam obdormiam in morte ...*

3° *Scio opera tua, quia neque frigidus es neque calidus, sed tepidus.* Dicis *quia dives sum et locupletatus et nullius egeo.* Absit Domine, absit! *Ego vir videns paupertatem meam, ego vero egenus et pauper sum, Deus adiuva me.*

4° *Suadeo tibi emere a me aurum ignitum probatum et collyrio unge oculos tuos, ut videas. Ego quos amo arguo et castigo. Aemulare ergo et paenitentiam age. Ecce sto ad ostium et pulso.*

Audi iudicem tuum, dum es in via.

Post Conf. Gen. *Confitebor tibi Domine, in toto corde meo, quoniam magna est misericordia tua super me et eruisti animam meam ex inferno inferiori. Benedic anima mea Domino ...*

Stat utique infernus, cuius claves tenet Christus Iesus, nec oblivisci umquam licet. Nam ad illud de mortuo, *ubi quaeso est?* anxia semper responsio *Nescio.* Spero utique, ad summum confido, sed semper *nescio.* O abyssus divinorum iudiciorum.

Tamen memoria amabilissimae Providentiae, quae a prima aetate quasi manu deducere visa est, in saeculo, ad societatem, in expulsione ex Imperio Rossiaco, in peregrinatione in varias partes Brigam, Taurinum, demum huc ..., sane eiusmodi sunt, ut intimo grati animi sensu recolere et inde etiam bonam spem in futurum fovere debeam. Tanta utique Domine fecisti animae meae ut non periret.

Dies 4.

Regis aeterni Iesu Christi sequela. Oblatio sui ad expugnandam *omnem sensualitatem* et *omnem amorem carnalem* et *mundanum* ad Regis exemplum.

Est utique non ad *aequalitatem* sed ad *similitudinem;* aliquo modo Eum imitari. *Rex* enim est, eminenter in omnibus arduis ac duris primatum sibi vindicans mira et ineffabili charitate.

Vocatio etiam fit, non quasi nostris viribus id, vel in minimis, consequi possimus, sed gratia Eius innixi, qui ut invitat ita incomparabilibus vitae et mortis suae laboribus omnia auxilia et dona promeruit et acquisivit.

Incarnatio.

Quantus *dolor et tristitia cordis,* considerare mundum, etiam post tantae misericordiae tale miraculum, in sua caecitate persistere et in interitum aeternum ruere, tam multos, innumerabiles, etiam in sinu Ecclesiae!

Quae *compensatio* divinae Bonitati et Verbo incarnato procuranda? Digna tamen compensatio *ipsa magna gloria Dei, ipsum Verbum incarnatum,* et Mater quae *sine exemplo placuit,* tum Sanctorum chori, qui omnes et singuli trophaea sunt misericordiae Dei et Iesu Christi.

Nativitas.

Qualis quantaque desolatio! Omnium rerum necessariarum defectus! Et hoc *initium dolorum.* Qualis imitatio quae imitationis nomen mereatur? Saltem, si quid aliquando convenientis commodi deest, gaudendum, in commodis autem admittendis temperantia et moderatio adhibenda. *Quidquid placet...* a tot iam annis intellectum, quando tandem ad actum veniet *vere?*

Dies 5.

Virginis Matris immaculatae *purificatio,* Christi *praesentatio* ad sacrificium sui et Redemptoris redemptio, Simeonis exsultatio cum vaticinio acerbissimo... Sic ipsa Christi infantia initiis nativitatis et vitae postea agendae respondet. Ideo *corpus aptavit mihi.* Cavendum, ne mihi umquam videar multum pati, immo vero *parum,* semper *parum;* et hoc sentire et sic loqui debeo, quia sic est vere. Aliter sentire vel loqui mendacium esset.

Fuga in Aegyptum.

Dei Providentia, *permittens* ita insanire Herodem et insana cogitata perficere, subtrahit *fuga* Iesum, Mariam et Ioseph. Maria repetit suum *Ecce ancilla Domini,* Iesus suum *Ita, Pater,* Ioseph utriusque sensa imitatur.

Ceterum inter tot poenas spiritualis exsultatio non deerat in beneplacito Domini. *Exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo.*

De vita Christi abscondita. Pax, suavitas, mansuetudo, in vita domestica imitanda.

Ceterum magna ariditas. *Miserere Domine.* Videtur autem Dominus voluisse me docere, ut in orando exeam magis ex me ipso et magis intrem in Ipsum. Ne sim ut iumentum in conspectu Eius.

Dies 6.

De duobus Vexillis.

In Luciferi castris innumerabilis turba eorum, qui *mancipia* sunt et *nonnisi mancipia.* In castris Christi omnes *milites*

et *milites pugnantes.* Qui non pugnat non est Christi miles, non est, certe non manebit sub Eius vexillo. Pugnandum necessario et vincendum.

Quam gloriose Societas, nullo nostro quidem merito sed sola Ducis sui misericordia et gratia, sub Eius vexillo impetum satellitum Luciferi sustinuit in Helvetia, in Italia, in Pedemontio praesertim et in Sardinia! Nam *et rapinam bonorum* et *exsilia* etc... Sed quam necesse est, ita ab optimo Rege ac Duce nostro exercitatos et honoratos illi fideles esse et in *minimis,* nec minimam fibram de spiritu Luciferi sinere in se inexpugnatam subsistere. Quid vero me .. huius electae turmae Generalem!!

Reformatio. Pax, pax conservanda, repressa omni turbatione, aut melancholia, nata scil. ex amore proprio. Cavere, ne mihi proponam haec et haec *omnino* hodie agere, sed *si Deus voluerit... in aliam. Amen. Non consummabis* omnia quae facienda sunt, *donec veniat Regnum Dei!*

Dies 7.

Tristis est anima mea usque ad mortem Ita Christus Iesus, et quae sensa instante Passione manifestat, nonne toto vitae tempore in corde portavit, victima *amoris* et *doloris? Sciebat enim omnia, quae ventura erant super ipsum,* nec poterat nec volebat ab his animum avertere. O divinum exemplar!

Opprobria. Atqui haec opprobria nondum cessarunt nec vero cessabunt usque ad illum diem, quando tempus omnis rei advenerit. *Amodo videbitis ...*

Magna dignatio Salvatoris in Societatem, quod eam sibi in opprobriis sociam adsciverit; etiam porro nulla apologia sufficiet, usque dum veniat illud *et tempus omnis rei tunc erit.*

Dolores in corpore. Corpus autem aptasti mihi, aptum ad patiendum. Sic mihi corpus meum considerandum est et in occasionibus recordandum. *Aptasti mihi,* ut praebeat exercitium virtutis et meriti, ut per minora, taedii, defatigationis, doloris alicuius, praeparet animum ad maiora, priusquam dissolvatur ipsa *habitatio terrestris,* palaestra virtutis.

Mysteria in Cruce. Deus meus ut quid dereliquisti me? Sic Illum pati talia ac tanta, sine solatio, necesse fuit, ut mihi impetraret auxilium semper in tribulationibus, ut fieret quod dicit apostolus, *Non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed dabit etiam cum tentatione proventum ut possitis sustinere.*

O quas gratias piissimo Redemptori!

Dies 8.

Gloria Iesu Christi iam in tuto posita. Quid velenata telā

impiorum? *Sagittae parvulorum factae sunt plagae eorum.* Ipse solus potens Rex, ipse habet *claves mortis et inferni.*

Benedixit illis. Hanc benedictionem inter discipulos accipere et ego rogavi et animari me sensi ad certamina, quoniam victoriae tempus mihi nondum advenit. Gratias tamen agendas sensi de auxilio praestito hisce annis 45, 46, 47, 48..., quod inter tot pericula... saepe in ambiguis... Societas cursum, quem debebat, tenuerit. O misericordiam!

De amore. Deus meus et omnia. Tu solus...

Ut *solis radii,* ut *aquae a fonte,* ita ignis videtur optima comparatio, a cuius participatione omnes alii ignes accenduntur si tamen adiungatur idea *dependentiae* semper subsistentis at *continuatae.*

Pax et *inflammata Deo serviendi desideria.* Haec duo potissimum procuranda, per examen particulare, incipiendo a primo, per *abnegationem* totalem *amoris proprii.*

1852.

S. Teresia

Dies 1.

Dominum revereatur. Divinae Maiestati debita reverentia. Summe Te timeam ac reverear.

Reliqua iuvent ad prosecutionem finis. Consecutio, fructus prosecutionis, quando poterit dici *Consummatum est.*

Ad maiorem Dei gloriam tota Societas. Quid Praepositus Generalis? Quam vilis de me sensus? Saltem ne desit humilitas et *misericordia Domini* super vitas.

Dies 2.

Tremenda *iustitia* divina in angelos, in genus humanum, in quemvis damnatum, et *misericordia* in me; utraque in confusionem mei... Quodvis peccatum, etiam veniale, rationi repugnat et viam aperit ad omnia pessima, nisi divina misericordia sistat cursum extra viam.

O infernus! Tremenda incertitudo! *Sancti Nominis tui, Domine, timorem pariter et amorem...*

Dies 3.

Conf. gen. Verba cum veritate imprudentia, gula, phantasia, acedia, negligentia in examine, inquietudo, pusillanimitas. Pax, Pax, Pax, victoria tui ipsius.

Dies 4.

Mira in Virgine humilitas, cum tamen *sola sine exemplo* ... Scilicet ita Deus dona sua conciliat: ut maioribus exornat gratiis, eo profundius radices figat humilitatis. Haec mirabilia opera Dei *solius.*

Ego miser et *degradatus.* Hoc prae oculis habendum in defectibus et miseriis, idque non ad humilitatem solum et vilitatem meam, sed etiam ad *fiduciam* in divinam misericordiam.

Dies 5.

Circumcisio. Opprobrium et humiliatio, dolor, sanguis, pretium quo nomen et officium Iesu acquiritur. Quid ministri et cooperatores ad salvandum?

Purificatio et *oblatio.* Mariae humiliatio et oboedientia, nulla exceptionis aut privilegii cupido, Iesu oblatio victimae. *Ita Pater* ...

Herodis impietas et stultitia, credit et non credit; mundus eiusque spiritus.

Iesu, Mariae et Ioseph oboedientia, resignatio, pax, fiducia in Providentiam Patris.

Dies 6.

Quomodo in te reperis illam dispositionem circa duo vexilla, circa tertiam classem, circa tertium humilitatis modum, cum tantas miserias habeas, tantam in oratione et communicatione cum Deo difficultatem?

Dies 7.

Mysterium Crucis ...

Dies 8.

Humilitas, humilitas, humilitas ...

RELIQUIAE COGITATIONUM

Ut lumina, Exercitiorum Spiritualium diebus accepta, ita ea, quae extra illa tamquam fructus e meditationibus percipiebat, Pater Roothaan, Superior Generalis factus, in codicillos (19.3 × 12.2 c. m.) rettulit, quos Reliquias Cogitationum inscripsit. « Quo titulo », ut editor anonymus a. 1891 ingeniose coniecit, « non dubitandum quin venerandus auctor alludat ad ea, quae leguntur in Vita P. Balthasar Alvarez a Ven. Ludovico de Ponte conscripta (cap. 2): « Quid inquit B. A. debet quis interdiu cogitare?» et respondet in hunc modum: « Si apertos habeat oculos, oratio caelestis et reliquiae cogitationis diem festum agant (Ps. 75, 11) ei. Quemadmodum enim in aula principis fideliter servienti datur quotidie constituta portio, ita Deus fideliter sibi obsequentibus ex reliquiis ferculi proprii nova sensa communicat veritatum, quibus anima iucunde alitur et occupatur ». Ipse Servus Dei e S. Roberti Bellarmino commentario, cui titulus Explanatio Psalmorum, haec sibi excerpserat: « reliquiae cogitationum, i. e. perpetua memoria, quam in iustis relinquit cogitatio tantae rei ».

Notae margini ex ipso autographo adscriptae sunt.

Reliquiae Cogitationum eodem volumine quo Octidua eademque condicione, idest omissis iis quae post annum 1847 notatae erant, Hagae Comitis apud Th. C. B. ten Hagen a. 1891 in lucem editae sunt. Hoc libro primum integrae publicantur.

Manuscriptum Romae in Archivo Curiae Generaliciae S. I. invenitur.

1830.

10 Dec. *Missus est angelus Gabriel a Deo. In DEO,* singularis amor, qui *sic dilexit mundum,* homines, natura inferiores Angelis, genere ob primi parentis defectionem *degradatos;* et tamen *semen Abrahae apprehendit.* Annuntiatio.

In Gabriele, mira ad Dei nutum oboedientia, prompta, alacris. Tamen mittitur ad annuntiandum mysterium, quo natura humana miro modo supra Angelicam evehatur, licet homines rebelles, Angeli sancti, fideles; scilicet sola Dei voluntas norma voluntatis et gaudii Angelici. Non se quaerit nec suos, solum Dei beneplacitum. Talis dispositio imitanda mihi et nostris, pro beneplacito Dei gaudendo non minus de alienis quam de nostris bonis, nulla erga alios religiosos ordines zelotypia aut simili praepostero amoris affectu. Hoc scilicet petimus: *Sanctificetur... Fiat voluntas tua, sicut in caelo et in terra.*

12. *Ingressus Angelus ad eam,* cum reverentia, honorat quam Deus sic exaltaverat. S. Gabriel, Virginis paranymphus, Verbi minister, patronus mihi adsciscendus, qui me ad Jesu ac Mariae honorem, amorem, devotionem introducat, meque suis commendet ac praesentet.

Quae... turbata est in sermone eius et cogitabat, humilitas, verecundia, prudentia in silentio; *cogitabat,* verbum nullum proferens. Exemplum silentii praesertim in omni animi perturbatione imitandum, ne lingua praecurrat mentem.

13. *Ne timeas... vocabis nomen eius Iesum.* Sed Mater futura *Salvatoris* se paret ad innumeros labores, ad opprobria; sine quibus salus humani generis non reparabitur. Quomodo ergo *ne timeas?* 1°. Refertur hoc ad praesentem turbationem potius quam ad futura. 2°. Docet non timenda quaecumque mala humana, cum *gratiam invenerit apud Deum.* Deus timor noster et amor noster; modo gratiam habeamus apud Deum, quid aut unde timendum? Vis non timere? *Humilia te in omnibus et coram Deo invenies gratiam.*

14. *Quomodo fiet istud?...* Non ulla difficultas tenet Virginem, non aerumnae. Sed solum, qua ratione, salva conscientia, ob virginitatem Deo votam fieri possit. En quid unice etiam me

debeat habere sollicitum in omni deliberatione, *an liceat, an deceat, an expediat.*

Visitatio.

15. *Et repleta est Spiritu S. Elisabeth et exclamavit...* Spiritus S. confestim ad laudandam B. Virginem ac Salvatorem, potenter magnoque inspirationis suae impetu, excitat et impellit; *exclamavit voce magna: Benedicta tu... et benedictus fructus... et unde hoc mihi?* Vehementes affectus admirationis ac laudis. Similes ego sentire debeo, si Spiritu S. ducar.

17. *Et ait Maria: Magnificat...* Ad magnificas laudes sibi ab Elisabeth datas non respondet Maria, sed alio, ad Deum scilicet, conversa et in eius bonitatem mente defixa, *ait* Virgo humillima: *Magnificat...*

18. Ad mei compunctionem et humiliationem: *Quid sum? Quid habeo? Quid possum? Quid facio? Quid patior? Quid quaero vel quo feror animo? Et quo ardore spiritus? Qua operis efficacia? Quid laetum me, quid tristem reddit?* etc. etc., convertendo etiam verbum praesens modo in praeteritum, modo in futurum. Vere *nihil, servus inutilis,* utinam non etiam *nequam* et infidelis!

19. *Inventa est in utero.* Quam dura probatio sanctissimarum personarum! Sed quanta utriusque virtus! In Ioseph anxietas propter conscientiam, in Virgine silentium. Sed Deo curae fuit eripere.

21. *Benedictus Dominus Deus Israel quia visitavit...* Videbatur Dominus quasi absens fuisse ab Israel per longos annos; visitavit ergo, ut *redemptionem faceret.* Visitat Deus mundum, Ecclesiam, Societatem, domos, animas singulas, multis ac variis modis. *Orandum ut visitet nos in salutari suo et non in furore suo neque in ira sua.*

Nativitas.

26. *Exiit edictum a Caesare Augusto.* Huic edicto humiliter obtemperavit Ioseph et Maria, sine murmuratione, licet non sine multiplici gravamine ipsi pauperes id praestare possent.

Quid rebelliones ac perturbationes nostrorum temporum? Scilicet divina iustitia istas permittit, ut et Reges et populos puniat, illos ob potestatis abusum, hos ob effrenis libertatis cupidinem, omnes ob Dei et Ecclesiae iura ac leges diu multumque violatas. *Da pacem, Domine, in diebus nostris. Custodi nos ut pupillam oculi... in abscondito faciei tuae, a conturbatione hominum et tempestate.* Mira hominum caecitas, qui causas malorum inquirunt, sed ibi nolunt eas videre, ubi revera sunt. Quando tandem sapient et intelligent!

28. *Factum est, cum essent ibi, impleti sunt dies, ut pareret. Ibi,* extra domum propriam, velut in *exsilio,* qui vere *exsul* veniebat, victurus ac moriturus in *exsilio,* pro nobis *exsulibus* filiis Hevae. Quidquid incommodorum vel iniuriarum,

seu ab inanimis seu ab hominibus seu a daemonibus accidat, sum *exsul* et *peregrinus super terram.* Quid mirum, si male habear? Immo vero, mirum quod tam bene in *exsilio.*

Pastores vigilantes et custodientes vigilias noctis super gregem suum; pastorum, superiorum exemplum, non solum dicendi vigiles, sed vere *vigilias custodire.*

30. *Gaudium magnum, quod erit omni populo.* Omne verum gaudium in hac vita de *futuro, spe gaudentes.* Adamo promissi mediatoris adventus pignus est explendae promissionis de perfecta beatitudine, et *ex perceptione praesentium munerum firma fit exspectatio futurorum.* Ita mihi beneficiorum divinorum hucusque perceptorum memoria spem alere debet ac fiduciam ceterorum.

Solidi autem gaudii ratio iam nunc est: *Gloria in Altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis.*

1831.

4 Ian. *Et erant pater eius et mater mirantes.* Faciebant novos progressus in cognitione mysterii. Et mihi conandum ut proficiam in cognitione Iesu Christi. *Haec est enim vita aeterna, scire et nosse ....*

6. In *Herode* spiritus mali signa *turbatio,* dissimulata fictione, dein *ira* et *crudelitas.* Fuga in Aegyptum.

14. *Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce... Quid est? Nesciebatis...? At illi non intellexerunt.* In eumdem fere modum licebit cum humilitate et fiducia cum Domino conqueri de miseriis meis, Societatis, Ecclesiae, mundi... *Domine, quid fecisti vel permisisti sic? Ecce...* Sed audiendum responsum: *Quid est quod quereris? Nescis?...* Utinam vero *intelligere verbum* contingat! Inventio in templo.

15. *Factum est verbum Domini super Ioannem Zachariae filium in deserto.* Praeparatio ad praedicationem, secessus, solitudo, oratio, vita austera. Nostris haec operariis et mihi ut capiti, magis quam cuiquam, necessaria. Solitudo et silentium.

17. *Et egrediebatur ad eum omnis Iudaeae regio...* Quis nisi Deus ita poterat movere corda hominum, ut ad Ioannem ita omnes confluerent eumque audirent? Bene Ioannes: *Quis demonstravit vobis fugere a ventura ira?* Ita Dei donum est audiri, quod ille *suis,* qui vere se disponunt ad opus DEI exsequendum, largitur. Hoc pro nostris operariis, sed et pro me, ut et ego in meo hoc officio audiar. Dedit *ei Dominus crescere in plebem suam.* Baptismus.

19. *Cuius non sum dignus corrigiam calceamenti solvere.* S. Ioannes indignum se existimat, et merito, Christo vel infima servorum praestare obsequia. Quanto magis nos decet ita sentire, quo humilitatis sensu Christo servire in opere animarum? Quo sensu me decet ei obsequi in meo munere? Domine non sum dignus, ut mea opera in ulla re utaris, *indignus* qui pro te laborem, *indignus* qui pro te patiar aliquid, *undecumque vel divino conspectu tuo indignissimus.*

Cuius ventilabrum in manu eius, et mundabit aream suam, aream mundi, Ecclesiae, Societatis, domus vel collegii, animae etiam cuiuslibet; *ventilabrum in manu sua* ad separandum pretiosum a vili. Christi vero aemulandus nobis est zelus, ne et nos separemus pretiosum a vili, imprimis in nobis ipsis.

23. *Ioannes videns Iesum ambulantem dixit: Ecce Agnus DEI...* et *secuti sunt eum. Ecce Agnus DEI,* vox suavissima et ad animum afflictum sublevandum aptissima.

Nuptiae in Cana Gal.

25. *Dixit mater: vinum non habent.* O si mater id pro me, pro Societate dicere dignetur: Spiritum, scientiam non habent, quibus tantopere indigent, ut mundi et Ecclesiae exspectationi satisfiat, ne confusione erubescant. Patres eorum tam bene erant virtute ac doctrina instructi...! Ipsi autem *vinum non habent.*

At Iesus fortasse: *Nondum venit hora.* Nobis quidem videtur iam nimium quantum *tempus faciendi,* Domine, sed tamen *si moram fecerit, exspecta eum* Tantummodo *quodcumque dixerit vobis facite,* impleamus vel *aqua* hydrias.

Vendit. in Templo.

26. *Invenit in templo vendentes. Zelus domus tuae comedit me.* Animam meam templum suum esse voluit ac domum orationis... Plena vanis ac impertinentibus obiectis!

28. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Daret, ut *ita* nasceretur, *ita* viveret, *ita* haberetur ab hominibus, *ita* moreretur, *daret,* plane *daret* ac traderet... Et ipse Filius ita se *dedit* ac tradidit et etiamnum totum in SS. Sacramento. Quid magni faciam, si me totum dedero DEO, Christo, animarum saluti ac meae propriae?

29. *Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de caelo.* Remedium adversus invidiam de bonis alienis, uti et adversus vanam complacentiam de bonis propriis.

3 Febr. *Rogatus... ut descenderet et sanaret. Nisi signa... non creditis...* Domine *descende... Vade, filius tuus vivit.* Fides imperfecta a Deo severe reprehenditur sed simul benignissime exauditur petitio. Sed non eo modo, quo volebat regulus; facit Dominus *modo suo.* Hoc pariter in necessitatibus meis, Societatis, Ecclesiae cogitandum. Atque ita orandum aut etiam desiderandum, ut faciat Dominus *modo suo. Sanctificetur, ad-*

veniat, sed ita, ut *fiat voluntas tua,* modo Tuo, Domine, non meo. *Cogitationes mortalium timidae et incertae. Revela Domino viam tuam et ora eum, et ipse faciet.*

7. *Per totam noctem... nihil... in verbo autem tuo...* Resignatio et fiducia in infelici successu. *Exi a me Domine, quia homo peccator sum.* Humilitas in prosperis. Quam diversi quam etiam contrarii affectus naturae in prosperis et in adversis! Praesertim *humilitas* et *humiliatio sui* in prosperis.

9. *Domine, salva nos, perimus... Modicae fidei...* Orare *Domine salva nos,* bene quidem; sed *perimus* nimii timoris erat itaque reprehenditur. Tempestas in mari.

10. *Legio nobis nomen est, quia multi sumus.* Qualis hodie *legio* mundum percurrit, pervertit ac devastat! Sed vide quam vilis, quam imbellis coram Iesu!

Febr. *In Passione Domini...* quam omnia ab inimicis Passio Domini.
Mart. facta sine ratione et contra omnem rationem! Quid mirum, si cum Dei servis agatur similiter?

Ignominiae et cruciatus Domini facere debent, ut non miremur quascumque calamitates, seu privatas seu publicas, quas divina iustitia in vindictam peccatorum immittit mundo. *Quia si in viridi ligno haec... in arido quid...?*

17. *Stabat iuxta crucem Iesu mater eius.* O dolores! Mater tamen *stabat iuxta,* quae domi potius se contineret, ni talis esset mater talis filii, in tali causa crucifixi. Quid non ferendum *iuste* a nobis?

18. *Factae sunt tenebrae super universam terram.* Et quia sol iustitiae Christus Dominus obscuratus et quia tenebrae errorum, passionum, peccatorum excreverant ad summum. *Potestas tenebrarum.* Et nunc, eheu, quae *tenebrae, super universam terram!*

19. *S. Ioseph.* Eius castimonia, tantae sponsae electus, operositas, silentii amor, nullum eius verbum refertur in Scriptura, fides, patientia, oboedientia, resignatio... S. Ioseph.

Ut in S. Familiae capite sollicitudines, generose acceptae, curae matrimonii absque eius temporalibus solatiis, aequanimitas in adversis ac prosperis, quibus tota deinceps eius vita contexta fuit! Quantum porro profecit ex assidua praesentia Iesu et Mariae, in quorum semper conspectu vivebat et operabatur, *conferens* et ipse *omnia in corde suo!* Omnia mihi, tum ut privato tum ut Praeposito Societatis imitanda, praesertim vero Iesus et Maria ut praesentes intuendi, cum illis curae omnes meae ac sollicitudines, in adversis ac prosperis, humiliter conferendae.

20. *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* et mox: *Sitio...* Videtur utraque vox esse doloris ob exiguum passionis Passio.

suae fructum. Hunc ego dolorem cum intime sentire contingit, ob mundi universi perversitatem et animarum fere communem perniciem, et ob Societatis ad Ecclesiae subsidium nimiam infirmitatem et imperfectionem, inter tam multa impedimenta externa, usurpare cum humilitate eadem verba potero, simul in ipso Domino fortitudinem et remedium.

31. *Illi autem spongiam aceto plenam obtulerunt ori eius.* En refocillatio *sitienti* DEO. Idem in sensu spirituali. Quae siti gloriae divinae ac salutis animarum refocillatio offertur? Heu peccata et negligentia et tepiditas et animarum pernicies et probra DEI.

23. *Cum accepisset Iesus acetum, dixit: Consummatum est.* In toto cursu passionis Dominus Iesus se ostendit omnibus opprobriis ac tormentis *superiorem,* omnia agit pacate, tranquille, meditato, non turbate, non est oppressus, non ipsi dominantur poenae, sed ipse poenis dominatur. Haec divina sunt utique et homini inimitabilia in eo gradu, aemulanda tamen et imitanda pro nostro modulo, ut in quocumque affectu, quem seu prospera seu adversa producant, in vita, in morte, affectus isti nostri sint subter nos et nos dominemur illis. Verbis praesertim invigilandum, sive laeter sive trister, seu timor seu spes et gaudium animum pulsat.

Pater, in manus tuas... Finis pugnae ac certaminis. *Pater* fiduciae est. Victoriae triumphus.

30. *Domine recordati sumus, quia seductor ille etc.* Inquietudo Pharisaeorum et Pontificum, quam parum contenti post expletam omni scelere et crudelitate passionem odii et invidiae! Haec solita merces ex passione quacumque expleta vel obsecundata.

4 Apr. Post unum alterumve diem consolationis ac laetitiae spiritualis successit *desolatio* et nescio qui maeror.

Desolatio in sollemnitatibus (videtur): 1. Ut sentiam, ex mysteriis gloriosis fructum, dum vivam, capiendum esse patientiae; nondum enim advenit tempus gaudendi, nisi *in spe.* 2. Ut potius sit gaudium et gratiarum actio *propter magnam gloriam DEI.* 3. Ne laetitia, etiam spirituali, solvatur compunctio, ut nimis pronum est accidere imperfectis, *quorum ego unus sum.* 4. Ob hanc ipsam compunctionis relaxationem, cuius iustissima poena est desolatio.

Appar. 3a. 7. *Dixit mulieribus Avete.* O vox dulcissima! *Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis et facies tua decora.*

10. *Qui sunt hi sermones... et estis tristes?* Interrogatio improbantis, ut ad Magdalenam: *Mulier, quid ploras? Quem quaeris?* Mihi similia dici existimabo in meis desolationibus ac maeroribus.

Oculi eorum tenebantur, ne eum agnoscerent. Quanta miseria praesens habere summum bonum et nescire; nos *autem sperabamus.* Ecce imperfectorum pronitas ad diffidendum plane. Appar. 5a.

Cognoverunt eum et ipse evanuit. Consolatio datur ad necessitatem, non ad fruitionem, in hac vita.

25. *Iesus apprehendit manum puellae... Talitha cumi.* Applicatum animae meae languenti, atque utinam non mortuae. O non exhorreas, Domine, porrigere dextram huic misero et iussu tuo excitare sopitum in umbra mortis!

29. *Multitudo languentium, caecorum, claudorum, aridorum, exspectantium...* Me inter illos languentem etc. *Unus triginta octo annos habens in infirmitate sua;* vere ego ab annis *triginta octo* eoque amplius *peccator. Vis sanus fieri?* Utinam vere dicam aliquando *Volo!*

3 Mai. *Pater meus usque modo operatur et ego operor.* Sed etiam cooperari ego debeo cum Patre et Filio.

9. *Discipuli esurientes coeperunt vellere spicas etc.* Dominus licet fortasse non minus esuriens quam discipuli, tamen non legitur *vellere spicas...* At discipulos defendit a criminatione Pharisaeorum. Ipse sibi quidem quod perfectius erat et mortificatius assumpsit, sed non ideo, quod minus perfectum erat, damnari permisit, *severus* secum ipso, *blandus* erga alios.

11. *Vocavit ad se, quos ipse voluit. Nemo potest accipere quidquam, nisi... Non vos me elegistis sed ego elegi vos. Beati, cum maledixerint... et persecuti vos fuerint et dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me, et eiecerint nomen vestrum tamquam malum.* Ultimo loco utrobique positum videtur a Domino quod omnium gravissimum est persecutionis genus et omnes alias persecutiones post se trahit. Vocatio Apost.

16. *Nihil est opertum quod non revelabitur.* Omnis cura sit *sollicite ambulare cum Domino DEO meo*, illum testem omnium actionum quaerere, internorum praesertim, quae ad intentionem spectant et ad communicationem cum Domino.

Magnum id solatium, quando homines *dicant omne malum adversum nos mentientes.*

Ven. Martyri Andreae (1) haec item sententia aptatur: *nihil est opertum quod non revelabitur,* etiam in hoc mundo, si ad Gloriam DEI secundum eius voluntatem fuerit.

22. Pentecostes. *Cum complerentur die Pentecostes.* Utinam, mihi, Societati, Ecclesiae calamitosis hisce temporibus *complerentur dies, quos Pater posuit in sua potestate* et quibus Adv. Spir. S.

(1) Causa Beatificationis clarissimi martyris poloni Andreae Bobola S. I. (d. 21 Maii a. 1657) a. 1831 nondum absoluta erat.

misericordiam facere decrevit. *Quia misereberis Sion, venit tempus miserendi eius, quia venit tempus. Tempus faciendi, Domine, Domine usquequo?*

1 Iun. *Nemo potest duobus dominis servire. Aut enim unum odio habebit et alterum diliget; aut unum sustinebit et alterum contemnet.* Mira sententia quod vel solum sustinere, pati, non odisse alterum illum dominum, inferat contemptum Dei. Adeo necesse est positive obsistere malo, et condemnatur mollis indifferentia, quae ad contemptum Dei necessitate quadam ducit.

15. *Caeci vident et beatus qui non fuerit scandalizatus in me.* Mira conclusio post tot miracula. Sed hoc etiam Societati et singulis nobis.

Bonam vitam ego puto multa bona facere (non satis) *et multa mala pati* (S. Bern.).

18. *Illis autem abeuntibus* (*cum discessissent nuntii Ioannis*) *coepit Iesus dicere ad turbas de Ioanne...* Non coram nuntiis, sed cum discessisent, coepit Iesus laudare Ioannem, scilicet nihil captans gratiae.

27. Cum inter coronam Pater in enuntiando mysterio diceret: *la natività di nostro Gesù...* et corrigeret dein: *nostro Signor* Gesù C[to], illud *nostro Gesù* sensum in me excitavit plene novum ac satis vehementem, quod vere nos beati quod *noster* sit Iesus, et vere *noster* et utinam semper *noster... nostro Gesù!*

Appar. 8a. 29. *Simon Ioannis, diligis me plus his?* Exprimitur, quod dignum et iustum erat. Simon iam inde a primo congressu, mutato nomine designatus a Iesu Cephas petra Ecclesiae, deinceps ubique a Domino praelatus ceteris et post trinam negationem tam benigne in gratiam divinam receptus ac redintegratus, merito diligere debebat plus ceteris, et maxime ratione officii sibi promissi. Et ipse Petrus sensit utique, quam iustum id esset, sed omni comparatione omissa, quam sibi humilitas vetabat: *Domine tu scis, tu omnia nosti, tu scis, quia amo te.* Numquid religiosus Societatis Iesu non aliquid simile ob tot divina beneficia debet?... Quid vero ego, Generalis, ratione beneficiorum et ratione officii?...

5 Iuli. *Magister volumus a te signum videre.* Hypocritae tot miracula vident et signum quaerunt! vere *generatio prava et adultera, genimina viperarum.* Quam similes nostrorum temporum increduli, quibus nullum argumentum satis est, semper alia quaerunt.

6. *Dimissa turba Iesus ascendit in montem solus.* Viri perfecti ascendissent cum Domino et cum illo pernoctassent in oratione. Ita quidem S. Ignatius fecisset et ex meis praedecesso-

ribus plurimi, ego vero non tendo ad excelsa, non ascendo ad sublimia . . .

Discipuli laborabant in remigando, erat enim contrarius ventus, tota nocte, imago navis Ecclesiae et cymbae Societatis. Nos etiam, vocati remiges a Pio VII, laboramus in remigando, contrarius est ventus, nox est *et potestas tenebrarum,* Iesus videtur abesse; sed speremus, aderit suo tempore, *ambulans super mare, et fiet tranquillitas* et navis suum tenebit cursum *in portum voluptatis.*

7. *Ecce mater tua et fratres foris stant, quaerentes loqui.* Fratres quidem poterant velle ei *otiose* loqui, at mater sanctissima de negotio gravi, quodque ad Dei gloriam spectaret, certe ex motivo *virtutis quaerebat loqui ei.* Et tamen *non admisit,* quia erat *in iis quae Patris erant.*

11. *Vobis datum est, nosse mysteria Regni DEI . . . datum* plane gratuito. *Beatus quem tu erudieris,* Domine! Quam multis, quam gratis plane praelati et privilegiati Apostoli, et post illos religiosi, sacerdotes, . . . *Multi prophetae et iusti cupierunt . . . et non . . . Vobis datum est,* etiam non cupientibus, quia ignorantibus.

13. *Nonne bonum semen seminasti . . . unde ergo zizania?* Quam apte de Ecclesia, de ecclesiasticis personis, de religiosis, de Societate, . . . de anima mea, agro utique Domini, in quo bonum Ille semen seminavit, nec parce aut avare sed copiose ac liberaliter. *Unde ergo? Unde . . . ?*

14. *Simile est Regnum Dei, quemadmodum si homo iaciat semen suum et dormiat et exsurgat, et semen germinet et increscat, dum nescit ille.* Solatio plena doctrina verbum praedicantibus, quod saepe fructificat crescente semine insensibiliter, *dum nesciunt illi,* et tamen *ultro terra fructificat.* Item in instructione iuventutis.

17. *Dominus in synagoga, . . . Spiritus Domini super me . . . Hodie impleta est haec scriptura . . . Multi audientes admirabantur in verbis gratiae . . . Unde huic haec sapientia? Nonne hic est filius fabri? Unde ergo illi haec omnia? . . .* Et scandalizabantur in eo. Quanta iudiciorum diversitas et opinionum successio! *Admiratio,* ex admiratione *inquisitio* malo animo facta, inde *dubia,* denique *scandalum.* Tandem, cum veritas odium pareret, *repleti sunt omnes in synagoga ira et eiecerunt eum . . . ad supercilium montis, ut praecipitarent eum.* En quo tandem *passio,* non initio frenata, ducit!

20. *Videns turbas, misertus est eis, quia erant vexati et iacentes sicut oves, non habentes pastorem.* O pietas, o misericordia! O quantum nunc etiam tangi debet Cor SS. Iesu *misericordia* tot populorum!

Missio ad praedicandum.

23. *Praedicate,... infirmos curate, mortuos suscitate,... gratis accepistis, gratis date.* Ultima praeceptio ceteris ministeriis auctoritatem conciliat. Ceterum securos reddit de necessariis non defuturis, *dignus est enim operarius mercede sua.*

24. *Dicite: Pax huic domui;... sin autem, ad vos revertetur.* Operam numquam perdent, si minus aliis sibi certe proderunt.

26. *Non veni pacem mittere.* Qui hoc? quia scilicet *pax* nonnisi *hominibus bonae voluntatis,* multi autem sunt malae voluntatis, *quia stultorum infinitus est numerus.*

Qui recipit prophetam in nomine prophetae i. e. quia propheta est, non ob alium terrenum finem, *mercedem prophetae accipiet.* Magnum solatium iis, qui DEI servis benefaciunt.

27. *Herodes dicebat, quem ego decollavi, Ioannes surrexit a mortuis.* Mala conscientia mira sibi fingit et timet, ubi non est timor, nec tamen ad salutem timet.

28. *Apostoli renuntiaverunt, quae egerant. Et ait illis: Venite seorsum in desertum locum et quiescite pusillum.* Prospicit eorum animis et corporibus etiam; nam *nec spatium manducandi habebant.*

Tamen Iesus ipse exiens vidit turbam... et misertus est eis et coepit docere eos...

Mirac. panum.

30. *Manducaverunt... et dicebant: quia hic est vere propheta.* Etiam viderunt eum miraculose transivisse in alteram lacus partem et tamen, cum de fide in ipsum a Domino instruuntur, respondent, *quod ergo tu facis signum?* et minoris aestimant miraculum panum quam Moysis manna. Inde occasio praenuntiandae Eucharistiae; nec tamen aliud nisi: *murmurabant ergo Iudaei.* Tam facile beneficia obliviscitur humana ingratitudo.

31. Iul. *Ad maiorem Tui Nominis gloriam propagandam novo per B. Ignatium subsidio militantem Ecclesiam roborasti.* O fiat et nunc *novum hoc* subsidium Ecclesiae, nec umquam senescat! *In novitate vitae et renovato spiritu.*

2. *Aug. Quare discipuli tui non lavant manus?* Externarum caeremoniarum grandis cura, cordis autem nulla in Pharisaeis hypocritis. Christus omnino aliter: *convocatis ad se turbis dixit eis: Audite et intelligite.*

7. *Omnipotens, sempiterne Deus, qui abundantia pietatis tuae et merita supplicum excedis et vota etc.* Oratio pro Societate ut Domini magna misericordia *dimittat quod conscientia metuit et adiiciat, quod oratio non praesumit.* Haec praesertim caput petat et imploret.

12. *Misereor super turbam, deficient in via, quidam enim eorum de longe venerunt.* Providentia de omnibus et de sin-

gulis; necessitates communes et particulares et cognoscit et sublevat.

13. Et *statim* post miraculum panum *ascendit navim cum discipulis* fugiens honorem. Interea *Pharisaei signum de caelo quaerebant. Generatio mala et adultera!*

16. *Convocatis turba cum discipulis suis, dixit eis: Si quis vult post me venire, abneget etc.; dicebat autem ad omnes.*

18. *Iesus ascendit in montem ut oraret, et facta est, dum oraret, species vultus eius altera ... Petrus vero et qui cum illo erant gravati erant somno.* Iesus *orat,* discipuli *dormiunt.* Haec nostra, mea imago. **Transfiguratio.**

25. *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. Credo, Domine, adiuva incredulitatem meam.*

27. Toties Iesus annuntiat discipulis passionem suam, en autem effectum crucis in imperfectis: *ignorabant verbum istud et timebant interrogare de hoc verbo; et contristati sunt vehementer.*

1. Sept. *Magister, vidimus quemdam in nomine tuo eiicientem daemonia et non sequitur nobiscum.* Aemulatio non bona. Tamen notanda verba Domini: *Nemo est, qui faciat virtutem in nomine meo, et possit cito male loqui de me.* Ergo non quidem *cito,* sed tamen, cum toto animo non sequatur, facile deficiet *aliquando.* Et revera quam saepe accidit huiusmodi tristis mutatio!

5. *Gaudet super eam magis quam super* 99. Scilicet 99 fecere quod *debebant,* unus qui defecit *iniuriam* intulit. Unius peccatum magis *offendit* quam ceterorum fidelitas *honorat,* quia haec nihil ultra debitum. *Servi inutiles sumus.*

10. *Decem millia talenta ... : patientiam habe in me et omnia reddam tibi.* Quomodo potest promittere servus, quae praestare numquam poterit? Sed Domini benignitas dimisit eum: *et debitum dimisit ei.*

12. *Transi hinc, ut et discipuli videant opera tua.* Species zeli pro eius honore et erat mera invidia.

20. *Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina.* Mira vis, quam habet bona voluntas faciendi in intellectum ut cognoscat.

30. Dixit Iesus ad eos, qui crediderunt ei: *Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis et veritas liberabit vos.* Quam merito: *si manseritis;* brevi enim defecerunt multi ex eis.

7. Oct. *Neque hic peccavit nec parentes eius, sed ut manifestentur opera Dei in illo.* Rudium et imperfectorum est, omne infortunium peccato alicui tribuere.

Missio Apost.

11. *Misit illos binos ante faciem suam ... quo erat ipse venturus ...* Nisi Dominus subsequatur, inutilis operariorum labor, sed et meminerint se ire *ante faciem Domini.* Eadem memoria servabit humilitatem in bonis successibus, ut sciant ac sentiant, non suos esse sed Christi illos successus.

19. *Volens iustificare semetipsum, ... et quis est meus proximus?* Interrogaverat *tentans* et fingit ignorantiam ut se excuset.

28. *Omnis qui petit accipit ; ... dabit spiritum bonum petentibus se.* Et quid aliud petam a te, bone Iesu, nisi *spiritum bonum,* mihi ac Societati universae? Nonne venient nobis omnia bona pariter cum illo?

Festum B. Alphonsi.

30. Festum B. Alphonsi. *Nemo lucernam accendit et ponit in abscondito, sed super candelabrum.* Lucerna per se non lucet, nisi accendatur et ponatur apto loco. Dominus autem nos facit lucernas lucentes et ardentes. B. Alph. Rodríguez vere lucerna accensa et in candelabrum posita.

2. Nov. *Exsultabunt Domino ossa humiliata.* Quae humiliatio per mortem illata ... Sed Christus : *Ego sum resurrectio et vita; exsultabunt* per Christi virtutem, cui o quantum debet humiliatum genus humanum.

7. *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit etc.* 1° Loquitur ad *pusillum* gregem, humilibus sc. haec dicuntur. 2° Iubet eos *non timere,* non quod a transitoriis malis liberi futuri sint, sed ut ea sciant *non* esse *timenda,* quia 3° *Complacuit Patri dare* eis *Regnum. In hoc gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in caelis.*

11. *Non, dico vobis* (non fuerunt magis peccatores illi, qui periisse nuntiabantur) *sed nisi poenitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Ita Dominus et saepe similia minatur, qui tamen totus benignus et ad sublevandas et solandas humani generis miserias venerat. Scilicet Verbum Patris veritatem dicit et minas intentat, ut salvet. *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant, ... ut liberentur dilecti tui.*

14. *Mulier habebat spiritum infirmitatis annis 18 et erat inclinata ..., quam alligavit Satanas.* Quam saepe infirmitates daemonis operae tribuuntur in Evangelio! Sensu dein spirituali, peccato *inclinatus, alligatus* a Satana ... *nec omnino potest sursum respicere.*

16. *Tertia die consummar.* Quam saepe Dominus de sua passione et morte loquitur. Eam habebat semper praesentem. Bonum etiam mihi est utique, futura mihi prospicere et mortis incertae certam exspectationem fovere, additis etiam variis adiunctis dolorum ac poenarum; sed tamen intellexi modera-

tius fovendam hanc cogitationem et potius de Christi morte cogitandum saepius et de eius fructu in me et in aliis procurando, dum vivo.

20. *Quidam de simul discumbentibus dixit: Beatus qui manducabit panem in regno DEI.* Bonus vir sanctam cogitationem exponit. Cui Dominus parabola respondet, qua *homo fecit coenam magnam et vocavit multos.* Ac illi vocati *coeperunt simul omnes excusare* et alii pro illis vocantur et intrare compelluntur. In quibus omnibus et Dei in excitando ad regnum DEI liberalitas et hominum ingratitudo et aliorum pro aliis substitutio.

22. *Quousque animam nostram tollis? Si tu es . . . dic nobis palam . . . Sustulerunt ergo lapides.* Ecce insincerum desiderium audiendae veritatis! Quam similes imperfecti religiosi, qui superioribus suis profitentur se optare ut dicat ipsis defectus suos, at ubi hic liberius aperit sensa sua, veluti *lapidatur* ab illis. *Tange montes et fumigant.* Saepe vero homo est *duplex corde* et nescit. *Proba me, Deus, et tenta me. Noverim Te noverim me.*

27. ss. *Exercitia Spiritualia.*

4 Dec. *Creatus homo, ut . . .* Domino DEO *suo serviat,* voluntatem Eius faciat. Hanc cognovisse in particularibus quam difficile! Quam merito orabant sancti, nominatim Ignatius et Fr. Xaverius, *ut clare cognoscerent et perfecte adimplerent sanctissimam Domini voluntatem.* DEUS *misereatur nostri, ut cognoscamus in terra viam tuam. Doce me facere voluntatem tuam, quia* DEUS *meus es Tu . . . Mitte sapientiam tuam, ut mecum sit et mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud Te omni tempore.* In hoc scilicet Regnum DEI et DEI gloria: *Pater adveniat Regnum Tuum.* Quanto demum facilius pati quam operari . . . .

5. *Redde rationem villicationis tuae.* Utique Domine, tua sunt omnia. Ego ipse tuus sum, tua est Societas universa, tui sunt socii omnes ac singuli, tua omnium ac singulorum officia et opera, tua res agitur in animarum procuratione, quia animae illae omnes tuae, tua etiam quaecumque temporalia, quae a nobis administrantur. O ergo quam merito *rationem* exactam *villicationis* huius arcae reddendam postulas!

Quid faciam? prudentia villici. 1° Futura *praevidit* et ut *certo futura,* nec dicit: *Bonus est Dominus,* non erit tam severus. 2° *Media excogitat* et 3° *Statim exsequitur;* imitanda prudentia.

7. *Fili, recordare, quia accepisti bona in vita tua.* Grande malum accipere bona in vita sua, *habere consolationem suam*

hic. Scilicet bonorum istorum seu *laqueis* seu visco capitur animus. Ut contra *Lazarus mala* in vita sua, *nunc* autem *consolatur.*

9. *Impossibile est, ut non veniant scandala. Impossibile. Numquid gratiam habet servo illi, quia fecit quae ei imperaverat? Non puto, sic et vos, cum feceritis omnia ... Servi inutiles sumus.* Nil ergo praetentionis ad dona Domini habere etiam diligentissimus quisque potest.

11. Interrogant Pharisaei: *quando venit Regnum DEI ... Non venit Regnum DEI cum observatione. Regnum DEI intra vos est.* Perpetua Pharisaeorum hypocrisis, ea quaerentium quae non poterant ignorare, si bona fide agerent. Dominus illis respondet, ut merebantur. *Ad discipulos* autem de die iudicii respondet.

13. *Oportet semper orare et non deficere,* i. e. non cessare prae taedio, quod videamur non exaudiri. Sensus manifestus ex parabola iudicis et viduae.

14. *Oblati sunt ei parvuli.* In illis Dominus non externa, fastidiosa, sed pretium internum animae immortalis, quae omne pretium omnium visibilium, solis etiam et astrorum, in immensum superat, considerabat, et quid et quantum pro illa facturus et passurus esset ... O mihi tales oculi, quibus interna rerum pretia cognoscam ... et aestimem, quae aestimat Christus Iesus!

Complexans eos et imponens manus super illos, benedicebat eos, dulcissima Domini caritas.

16. De mysterio Incarnationis et Nativitatis Domini.

19. Christus in utero matris 1° *oblationem sui* facit continuam et perfectissimam, eamque eo maioris pretii, quod non ut nos ad incerta et ignota et dubia futura se offerat, sed ad certa, sibi perspectissima eaque omni ex parte durissima et gravissima se volens ac lubens amore summo offerat; 2° *resignationem* ipso iam actu in illis materni uteri angustiis.

Nativitas. 25. Sistens me coram divino Infante, valde mihi erubescendum esse sensi. Nam si vel coram S. P. Ignatio, vel etiam coram aliquo viro sancto in terris degente, qui superno lumine illustratus animae meae miserias et imperfectiones provideret, ego certe rubore multo perfunderer, quid coram Divino Infante? Augeri ruborem necesse est ex status mei et gradus altitudine. S. Ioseph et Virginem matrem rogans, ut me Filio suo praesentare dignetur: ... *En, Fili, iste socius tuus, immo sociorum tuorum Praepositus Generalis!* Confusio simul tamen et fiducia in suavissimo Infante. Gratulatio in Domini Natalitiis non solum *ad homines,* quibus hac S. Nativitate salus pariter et omne solatium et omne bonum, sed etiam vel ma-

xime *ad ipsum Infantem* multis nominibus: ob summas perfectiones eius, quibus externae illae miseriae paupertatis, contemptus, dolorum, nihil adimunt nec adimere possunt, et, licet nascatur in laboribus et ad labores maiores, tamen hi brevissimi, post quos et ex quibus gloria immensa et aeterna... *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam.* Et si pro animarum salute tanta suscipit Filius DEI, animae utique tanto pretio dignae sunt; nam non potuit infinita sapientia rem quamcumque maioris aestimare, quam vere aestimari meretur.

1832.

1 *Ian.* Nomen *Iesu* sub optimis auspiciis initium anni praestat; est enim spei, fiduciae, gaudii, salutis pignus. Ast huius dulcissimi nominis honor et gloria Circumcisionis humiliatione ac dolore miscetur non modo, sed etiam in illis fundatur. Intelligam anni faustissima auguria complecti etiam humiliationes et cruces, in Nomine Iesu tamen et pro eo non modo patienter sed et hilariter tolerandas, quippe in quibus et DEI gloria et nostra fundatur. Circumcisio.

16 *Domine, ecce quem amas infirmatur,* modus orandi fiducia et resignatione plenus.

12 *Febr. Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum et reverti.* Christus Iesus recessit ab hoc mundo ad caelum accipere sibi regnum et revertitur, primum quidem ad singulos in morte, dein ad universos ad iudicandum. Interea: *negotiamini, dum venio.*

21. *Venit hora, ut clarificetur filius hominis... Amen. Nisi granum frumenti... Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam? Pater, clarifica me ex hac hora. Sed propterea veni in horam hanc... Venit ergo vox de caelo: Et clarificavi etc.* Ignominiae ac dolores passionis medium ad gloriam Patris et suam. Interea tamen ad exemplum infirmorum virorum etiam turbari voluit in anima ob passionis proximae acerbitatem.

24. *Homo plantavit vineam, et locavit eam agricolis... Locabit eam aliis agricolis, qui reddant ei fructum.* Vinea Societas nos coloni, quam sollicite et fideliter operandum et fructus *illi* dandus, *illi* qui Dominus est vineae, *non nobis, Domine non nobis, sed nomini tuo.*

25. *S. Mathiae.* Humilitatis exemplum; ante electionem ad Apostolatum et post eam ignorantur eius gesta ab hominibus,

sed a DEO ... *Ut tuae circa nos pietatis semper viscera sentiamus.*

29. *Erunt sicut Angeli DEI in caelo.* Nunc sumus sicut bruta animalia in terra; *hominem ipsum inter bruta animalia exsulantem* vocat S. Pater.

5 *Mart. Videtis haec omnia? Amen, dico vobis,* non *relinquetur hic lapis super lapidem.* Haec occurrent in aspectu aedificiorum, quae mundus stupet.

Coena ultima. 15. *Occurret vobis homo lagenam aquae baiulans.* Passim admirabile divinitatis argumentum in Domino, omnia, minutissima etiam, cum summa pace ac securitate disponente.

18. *Domine tu mihi lavas pedes?* Hucusque recte Petrus; sic etiam Ioannes: *Ego a te debeo baptizari et tu venis ad me?* merito. Sed hic ad primum Domini responsum acquisivit, non ita Petrus, qui non sola *admonitione* sed *minis* corrigi debuit. Sunt alii, quibus nec admonitio nec minae sufficiant, quibus proin *punitio* necessaria est ut sapiant. Notandi gradus varii docilitatis. *Lotio pedum* evidenter praemittitur institutioni Eucharistiae. Si ad solam humilitatis doctrinam, utique Dominus antequam accumberet fecisset, sed *surgit a mensa etc.* Semper *lotio pedum* praemittenda, scilicet purgatio per contritionem saltem et orationem, *dealba me, Domine.*

Passio. 15 *Apr.* I. N. R. I. ... *Quod scripsi, scripsi.* En *Regnum* Christi et principium eius gloriae; ita et nostra Gloria, nostrum Regnum in *Cruce.*

2 Iun. *Sic Deus dilexit mundum,* indignissimum illum, sed tamen *dilexit.* Ita ego *indignissimus* cuius recordetur, quem respiciat, quem adiuvet, quem salvet; et tamen propter magnam misericordiam suam et respicit et adiuvat et, ut spero, salvabit.

Ult. Coena. 1 Iul. Memoriale *passionis* suae Dominus instituit Sacramentum *convivii,* totus suavis in nos, sibi reservans amara. Quod tamen ipsum nos ad amara eo libentius pro Eius amore suscipienda incitare atque inflammare debet.

5. Quantum in Christo Iesu salutis ac santificationis nostrae desiderium! Vita, doctrina, passione ac morte non contentus, institutis Sacramentis, gratiae mediis efficacissimis, desiderio suo non existimavit satisfactum, nisi in uno ex his *ipse* in persona adesset, operaretur et operaretur intime *incorporatus* nobis! Tantum sanctitatis ac perfectionis meae desiderium in Christo. Cui desiderium in me sanctitatis quam exiguum, quam languidum respondet! O ingratitudinem!

10. Invitat Dominus, allicit promissis, adigit minis, ut eius beneficia admittamus. *Nisi manducaveritis* ... Nos vero bene de DEO mereri putamus, ubi summa Eius dona non respuamus,

ubi ea utcumque admittamus!!! Hoc de SS. Sacramento, hoc de ceteris omnibus divinae Bonitatis effectibus cogitare possumus; vere enim ita est. Quae hominis, etiam qui sibi non ingratissimus videatur, gratitudo erga DEUM?

8 Sept. *Per quam salus mundi credentibus* apparuit, *cuius vita gloriosa lucem dedit saeculo.* B. V. Nativitas

9. Vanitas hominum, qui filiis suis imponunt nomina grandia, secundum spiritum mundi, *Caesaris, Augusti, Pompei, Herculis,* quibus filii dein contrariis animi dispositionibus respondeant. Non ita, ubi nomen imponitur a DEO: *Maria.*

11. *De fine hominis. Ut qui vivunt, iam non sibi vivant*... non mihi, sub quocumque respectu, sed Deo eiusque gloriae *soli,* cum abnegatione proprii gustus et solatii.

Fiducia consequendi finis maxime necessaria ad animi generositatem. Quidni vero fidendum in Domino tot misericordiis praevento ad finem obtinendum!

12. *Finis creaturarum. Et sumam panem meum*... *et vinum meum, et liberabo lanam meam et linum meum.* Creaturae sunt *Domini. Liberabo,* ait, creaturas *meas,* scilicet vel auferendo eas vel tollendo e medio eum, qui abutitur. Mihi haec applicanda tum bonis temporalibus, quae in Societate modo magis particulari Dei et Christi sunt, tum Societati ipsi eiusque personis, quas liberabit ab auctoritate Praepositi negligentis. *Pasce oves meas.*

11 *Oct. Deus meus et omnia!* Ut hoc dicere possim, necesse est ut ego etiam dicere possim: *ego, Domine, tuus sum.* At vero ut sim *tuus,* Domine, requiritur ut non sim *meus* in ulla re. *O Deus meus et omnia, ego servus tuus, totus tuus sim, nullus meus.*

13. *Discede a me, maledicte. Maledictum* dici ab aeterno iudice unice timendum est malum, ab hominibus vero *maledici* et vocari *stirpem iniquam, generationem pessimam, detestabilem pestem etc.* parum refert. *Mendaces filii hominum.* Quin etiam: *Beati, cum maledixerint vobis homines; maledicent isti, et tu benedices.* Exemplum David, cum ei malediceret Semei.

6 Dec. *Missus est*... *ad Virginem*... Quod ab aeterno decreverat DEUS, electam Virginem disponit in tempore; eius corpus et animam praeparaverat, demum exsequitur;... *suaviter* (*cum magna reverentia disponit nos*) petit eius consensum, certus utique de consensu praestando. Quantum interest inter Providentiam illam et nostras *cogitationes timidas et incertas providentias!* Annuntiatio.

24. *Exsultavit infans in utero*... Spiritualium gratia gaudiorum mysteria conceptionis et nativitatis Domini comitatur.

Spiritualium vere enim et in sacra familia et in Praecursore nihil *carnalis* gaudii videre est. Immo semper *contraria sensualitati et amori proprio ac mundano.*

25. *Ut servulus pauperculus ad praesepe* Domini...

Nativitas.

1°. *Sana me,* Domine et *sanabor, salvum me fac et salvus ero.* Petendo ut mundet me, indignissimum qui ad conspectum eius admittar aut propius accedam.

2°. Adoratio, postulatio, pro me, pro Societate...

26. *In tempore isto exiit edictum a Caesare Augusto.* A DEO scilicet ita dispositum, ut in tempore illo Caesar censum ediceret, ad eos fines quos Deus sibi proposuerat. Providentia divina... pro fine aliquo suo supernaturali vel totius mundi conturbationem permittit. Et vere, quid sunt omnia mala temporalia ac transitoria vel ad *unam* aliquam boni *supernaturalis et aeterni* partem! Sic ergo sentiendum de iis, quae accidunt vel ab hominibus fiunt, permittente DEO.

Nativitas.

28. *Peperit Filium summ... et pannis eum involvit.* Mater quanto simul *amore* et *reverentia* Filium aspexit et attrectavit! Utrumque hunc sensum coniungere necesse est; mihi vero contingere video cum difficultate, facile enim aut humilitatis sensus minuit fiduciam aut ex amoris sensu reverentia detrimentum capit. Quanta mea miseria! O Mater, o Fili, *humilem fiduciam et amantem reverentiam* in conspectu tuo!

Curae infantuli, molestiae paupertatis ac solitudinis Virgini Matri valde tolerabiles, immo etiam levissimae, etiam iucundissimae visae sunt *prae amore.* Quodsi mihi negotiorum et curarum multitudo ac moles gravis videatur, hoc inde fit, quia *parum amo.*

29. *Pastores,* ita ad Patris gloriam, primi quibus manifestatur Christi nativitas, pauperes, ignobiles, laboriosi pastores. Scil. DEUS per media, ab humanis modis non modo aliena sed et illis opposita, ad fines suos pertingit. *Non enim cogitationes vestrae cogitationes meae.* Principium oculis fidei contemplandum etiam in praesentibus mundi eventibus. Deus *opus suum* operatur *modo suo. Et hoc vobis signum... infantem* (humilitas), *pannis involutum* (paupertas), *positum in praesepio* (incommodorum tolerantia).

1833.

Magi.

2 *Ian. Vidimus stellam... et venimus.* Videtur parum pro divina Bonitate, quod stella tam paucos perduxit ab *Oriente;* numquid non etiam pro aquilone et pro meridie et pro occasu natus Salvator? Utique, sed neque his gratia denegata, quam-

quam liberalior magis ... Ceterum stella illuminavit, movit interius, non portavit, ipsis veniendum fuit et ut venirent multa generose fuere superanda. Ita DEI in nos liberalitas et gratia copiosior exigit cooperationem nostram etiam laboriosam.

6. *Invenerunt puerum cum Maria ... et procidentes adoraverunt ... et ... obtulerunt ei munera.*

7. *Impleti dies purificationis Mariae.* Ut nulla in re dignitas Matris DEI Mariam ab ullo praecepto, seu humano seu divino, exemit! Nullum ex dignitate privilegium in genere honoris in mundo vel commodi temporalis, quin potius opposita omnia ... Scilicet semper et ubique *contra omnem sensualitatem propriam et amorem carnalem ac mundanum.* **Purificatio.**

8. *Simeon, iustus et timoratus, exspectans consolationem Israel,* spiritualem non carnalem, nihil aliud desiderans, ac proin fructus huius puritatis: *Spiritus S. erat in illo.* Nisi affectus purgatus sit ab *omni sensualitate propria et amore carnali ac mundano,* non poterit cor habitaculum esse Spiritus sancti, non potero ad unionem cum DEO efficaciter adspirare. *Munda cor meum, disrumpe vincula mea, solve vincula colli tui, captiva filia Sion.*

10. *Et venit in spiritu in templum.* 1°. *In spiritu,* scilicet Spiritus S., qui erat in eo *habitualiter,* nunc *actuali* gratia ipsum in templum ea hora venire fecit; 2°. *in spiritu,* ut in templo adesset quidem etiam corpore, sed multo magis spiritu, totus in honorem DEI et Verbi incarnati. Ita mihi *spiritu vivendum* et *spiritu ambulandum,* ut ait Apostolus, ut et cogitationes et verba et opera sint *in spiritu;* verum id consequi non possum, nisi *carne mortificatus. Quis me liberabit de corpore mortis huius?*

11. *Et accepit eum in ulnas suas,* non solum in manus sed *in ulnas suas.* Qui sensus devotionis, i. e. gaudii, gratiarum actionis, amoris ... in Simeone! Quid ego, qui *quotidie toties* contrecto eumdem Iesum et etiam in intima viscera recipio?

Et benedixit DEUM, affectibus *devotionis,* cuius *compunctio* fundamentum est.

Nunc dimittis ... Nihil in terra quod ipsum detineat, quia cor ab omni terreno vinculo iamdudum solutum *solum* Salvatorem desideraverat, idque non *sua* solum causa sed *gentium* omnium. *Lumen ad revelationem gentium ...* Cor solius DEI gloriae et universi generis humani felicitatis cupidum quasi oblitum sui. Quam dignum tale cor *religioso Soc. Iesu, sacerdote, professo, superiore generali!*

12. *Repetitio* de Simeone. Ut pure *DEUM* et eius gloriam quaeram, non *haerendum* in usu creaturarum; *ne pas s'arrêter, passer,* sicut ipse mundus *transit, transire per bona temporalia.*

Et responsum accepit a Spiritu S. Quantum valet ardens desiderium boni apud DEUM! Scilicet Ipse dat desiderium, qui cupit dare id, ad quod desiderandum nos movet.

13. *Et erant pater eius et mater mirantes*... Affectus gaudii et laudis ob revelata Simeoni mysteria, quae sibi solis nota esse existimabant. *Et benedixit eis Simeon*... *Beata, quae credidisti*... *Ecce hic positus est in ruinam*... Miscentur gaudia fletibus, amara dulcibus. Ad has vicissitudines servandus animus semper paratus.

Fuga in Aeg.

14. *Fuga in Aegyptum.* Providentia DEI in S. Familiam *altissima,* sed et *amabilissima* et in omnibus certe *excellentissima,* pro meritis ac dignitate talium personarum sibi carissimarum.

Ita consideranda Providentia divina *in omnibus.* Quid? Si mihi optio daretur circa rerum eventus, possemne aliud eligere quam illud: *Fiat*... *altissima voluntas tua?* In Oratione Dominica sunt omnia, quae recte ac tuto postulari possunt. Extra illas petitiones incerta omnia ac dubia, utrum profutura sint an nocitura, ignoramus.

Sed, quanta sollicitudo ambulandi cum Domino esse debet, ut ne amabili sua Providentia me reddam indignum! Praesertim vero, ne repugnem Eius dispositionibus. *Subditus esto Deo et ora eum.*

15. *Ecce Angelus*... *Surge et accipe puerum etc.* Durum mandatum duro modo intimatum. Durius quam cum alias: *Ioseph, fili David, noli timere*... Ita DEUS cum acceptissimo sibi Ioseph, et durius pro ratione profectus in virtute ac perfectione. *Proba me, Deus, et tenta me, ure renes meos et cor meum.* Non ergo diffidendus, non despondendus animus, cum etiam ab ipso DEO durius habeamur. Immo vero haec pars filiorum DEI.

Ioseph et Mariae et pueri Iesu oboedientia, et in exsecutione aerumnae, paupertas, humiliatio.

16. Iesu et Mariae et Ioseph aerumnae, labores, egestas, derelictio et contemptus in fuga et in commoratione, quam gratiarum actionem, quem amorem, qualem imitationem non postulant! Et tamen, o miseriam!, omnia ista pro me, et ut pro meis tam contrariis dispositionibus satisfaceret et impetraret gratiam ipsum imitandi. Et interea a tot annis in perfectionis schola versor et in ea *professus, Superior Generalis!*...

17. *Herodes videns quoniam illusus esset a Magis.* Ita scilicet cum ipsi non successiset *illudere* magis, prout optaverat. Sic Nabuchodonosor: *quod defenderet se.* Caecitas passionis.

Iratus est valde, et mittens occidit, fera crudelis, caeca, impotens. Atqui et in me, quoties contra rationis imperium,... et nisi lux Evangelii et Christi gratia... !

Infantes occisi, *in paucis vexati, in multis bene dispositi.*

18. *Ibant in Ierusalem ad diem festum.* Iesu, Mariae et Ioseph *reverentia* erga divinam Maiestatem, exterior quidem etiam, sed multo magis interior, consistens in *recollectione* animi, *compunctione, devotione.*

Iesus duodennis in Templo.

Animi quies in omni actione et in omni circumstania spectat ad *reverentiam* divinae Maiestati debitam, et mihi omnino procuranda.

Remansit puer Iesus ... et non cognoverunt parentes eius. Pro DEO nullus respectus humanus, nulla ratio habenda etiam hominum sanctorum et quibus ceteroqui reverentia deberetur.

19. *Post triduum ...* Quale triduum factum a Puero Iesu! in agendo cum Patre de generis humani salute, et cum hominibus de Patre; quale a Virgine Maria in sollicitudine et gemitu ... !

20. *Fili, quid fecisti etc. Ancilla Domini,* quam est *domina* affectuum suorum,... non manifestat temere dolorem, admirationem, gaudium, non gloriatur tali Filio... Quale exemplum mihi, ut et ego *servus* Dei sim *dominus* mei meorumque affectuum.

Verba prudentiae et omnia *in pondere et mensura;* labiis tuis fac *stateram,* ut sint *ponderata.*

22. *Fili,* amoris ac fiduciae vox.

Quid fecisti nobis ... Uno verbo multa dicit: quare remansisti, nos reliquisti, non praemonuisti, dubitabas forte, ne impediremus? ...

Sic? quam multa exprimit haec vocula!

Ecce pater tuus et ego ... commiserationem excitat. Responsum Christi dignum Filio DEI.

Potero identidem similiter amanter conquirendo orare: *O Pater, o dux noster et Imperator summe, quid fecisti, permisisti sic? Ecce,* anima mea, Societas tua, Ecclesia tua ... Et putabo responderi mihi: *quid est quod ... ? nesciebas ... ?*

23. *Erat subditus illis.* Quis subditus? Tale exemplum debebatur hominibus, ut libenter subesse velint; praeesse enim humana miseria appetit, ad quod proin non indigebat stimulo et praeterea praeesse paucorum est, subesse multorum. *Cui?* Scilicet inferioribus. Praeesse non veram addit dignitatem coram DEO nec meritum maius.

In quibus rebus? quomodo? quamdiu? Quae gratiarum actiones, qui amor, quae imitatio Christo debetur pro tanta humiliatione tantisque laboribus *mea causa susceptis* ac tanto amore?

Maria autem conservabat ... in corde suo ... quo suo profectu? n. b. *in corde suo,* non solo intellectu; hoc imitandum *in corde.*

Baptismus.

24. *Cuius non sum dignus corrigiam calceamenti solvere.* Ioannes ille sanctus, angelus a prophetis annuntiatus, quid de Christo Iesu sentit? Quam se nihil esse coram illo! Et vero Personae Iesu Christi dignitas infinita, eius in nos merita tanta, tanto suo labore comparata, eius gloria regni, quantam a nobis humiliationem postulant! Qui labores, quae etiam tormenta, quae mors pro Eo suscepta videri esse *aliquid* potest? O miserum me, qui non ad *corrigiam* eius *calceamenti solvendam* admittor, sed ad eius mensam divinam, ... Et tamen qualis ego in Eius servitio!

Baptizabit in Spiritu S. et igni. Ignem vero illum per Sacramentum Eucharistiae in viscera recipiens, qui potest quod semper frigore et gelu constrictum cor!

Ventilabrum in manu sua, purgabit aream suam ...

25. *Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me? Sine modo ...* Tantum annihilare se, et non solum infra dignitatem sed infra nihilum abiicere debuit Iesus, ut *superbiae* meae *medicinam faceret.* Pater, licet humiliari Filium voluerit, non ideo minus cum diligit: *Tu es filius meus dilectus.* Quantavis humiliatione vel afflictione Deus nos probet, non ideo de Eius in nos amore dubitandum. Immo vero ...

Christus in deserto.

26. *Iesus plenus Spiritu S. ductus est in desertum a spiritu.* Ut Spiritus S. sapientia *non invenitur in terra suaviter viventium,* ita neque eo ducit aut impellit suos, sed *in desertum. Ducam eam in solitudinem,* ad mortificationem. Quo spiritu ducor? *Qui spiritu DEI aguntur, ii sunt filii DEI. Et erat cum bestiis, et ieiunavit 40 diebus.* O bone Iesu, quanta tu pro me et quam nihil ego pro te.

27. *Menstrua consideratio status.* Meditatio de *fundamento.* Si per impossibile creatus esset homo ad fruitionem bonorum huius vitae, etiam sic *operae pretium non esset,* istis inhaerere bonis imperfectissimis et caducis, idque tam brevis et incertae vitae spatio. Quid vero nunc? Quam *non* operae pretium! Quam immo contemnendum quidquid temporale prae iis quae sunt aeterna! *Indifferentes nos reddere,* id fieri non potest, nisi expugnando affectum ad infima ista eumque ab illis abstrahendo, *avellendo* si adhaereat; sicut ad aequilibrium in bilance restituendum aliud medium non est, nisi auferendo ea quae alteram lancem deprimunt.

Praxis 1° *actuare* intentionem *laudis* ac *reverentiae* et *servitii DEI,* praesertim in omnibus, quae directe *DEUM* attingunt, ut in officio divino, in oratione etc.

2° *in usu creaturarum,* praesertim cibi, et in determinatione ad hoc vel illud agendum, motivum mortificandi affectus vel illud solum sufficit: *si non sentiam me indifferentem.* Unde

in *electione* ad hanc normam respiciam. (*Annot.* 16 *ex* 20 *in libello* (¹)). Quamquam plus a nobis alio nomine requiritur, scilicet ut non modo altera lanx pondere terreno liberetur, sed etiam ut altera caelesti pondere alteri omnino et constanter praevaleat; neque enim in hoc meo statu et gradu *sola indifferentia* sufficere potest.

28. *Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.* Tentatio est, 1° quia medium suggerit non necessarium, 2° *si filius Dei es,* 3° quia talis auctor consilii. Etiamsi iustum aliquid suadere videatur daemon, mundus, caro, tamen non ideo sequenda suggestio; nam his consiliariis nihil umquam boni conficitur.

Non in solo pane vivit etc. Tentatio gulae *contemptu* potissimum vincenda. *Non in hoc, neque in hoc solo vivo;* cum tamen is solus sit manducandi et bibendi finis, *ut vivam;* quod ut consequar, non nisi *pauca* sunt *necessaria* eaque obvia.

29. *Diabolus assumpsit Iesum et transtulit...* Quanta dignatio Filii DEI, sese portandum permittere diabolo! Sed quid mirum, qui tanto graviora in se fieri permisit pro me! Quidquid ergo *extrinsecus* evenire etiam a daemone potest, non timendum, dummodo *interius* bene et cum DEO.

Haec omnia tibi dabo... Princeps huius mundi a Domino vocatus ob magnam potestatem, quam DEUS ei permiserat, et fortasse etiam nunc denuo permittit aut permittet, in poenam apostasiae hominum a DEO. Ceterum superbiae et mendacii pater *vane* se iactat.

Sed *quid ego pro Christo Domino,* qui pro me ita congredi cum hoste meo dignatus est, ut aliquando et ego generose pugnarem ac vincerem?

30. *Miserunt Iudaei ad Ioannem...: Tu quis es?* Exterior species virtutis, praesertim vitae austeritas oculos vulgi percellit, quod propterea Ioannem Christo Domino sanctiorem iudicavit. Sed n. b. sanctitas Christi *in vita communi,* non *in vita commoda.* Hoc pro *vita communi* in Societate *maius Dei obsequium semper intuendo.*

Tu quis es? Et confessus est et non negavit, et confessus est. Homo sum, *Christianus, religiosus* sed qui ne primo quidem atque infimo nomini satisfaciam. Unde innumera habeo nomina, ob quae confundar et erubescam.

31. *Ego baptizo in aqua. Ipse est, qui post me... qui ante me...* Ioannes se *nihil* esse, Christo comparatum, profitetur... *O! noverim Te noverim me!*

1 Febr. (*pro exhortatione domestica*) Christus in templo victima Patris et nos victimae; vita nostra esse debet instar *sa-* Praesentatio in Templo.

(¹) Exercitia spiritualia S. Ignatii.

crificii continui propriae voluntatis, iudicii etc., eadem haec obligatio omnibus. Gradus diversi ad *corpus* Societatis spectant, quoad *spiritum* eadem ratio omnium. Quidni? tot *victimae* mundi, daemonis, nos *victimae* DEI!

2. *Oblatio Christi in Templo* ex fine restituendi regnum Patris sui. Hoc erat etiam tractandum et applicandum ad nos in exhortatione hesterna.

3. *De* 1° *peccato (Ex Lib. Exerc.). Liberas* creaturas habere DEO gloriosum, et creaturis hisce etiam *bonum,* licet *periculosum.* Angeli, quorum omnis actio cognitio et amor, libero arbitrio abusi, mutati de gratia in malitiam, in infernum praecipitati, aeternum et irreparabiliter. Ego, tanto vilior creatura, ob tam multiplicem liberi arbitrii abusum, quoties tristem subii mutationem! Et adhuc vivo! quia etiam misericordiis me Deus coronare vult et beatum reddere in aeternum...

4. *De* 2° *peccato.* Sum creatura *degradata,* expulsa e paradiso, exsul inter bruta animalia. Christus Iesus reparavit, sed sapientissimo consilio *miserias* temporales reliquit, ad humilitatem et ad aliarum etiam virtutum exercitium. Sed quantopere cavendum mihi, in hoc meo gradu, ne per me *corruptio invadat* Societatem, cuius ego caput constitutus sum!

5. *De* 3° *peccato.*

6. *Repetitio.* Totum ad pudorem et confusionem mei ob abusum liberi arbitrii.

1°. Angelus rebellis ob unum peccatum factus monstrum *vile, abominabile, exosum DEO et omnibus creaturis et sibi ipsi.* Quid ego ob tam multa peccata?

2°. Ob Adami peccatum tanta *corruptio* in omne genus humanum. Quanta in me *corruptio* ex tot peccatis propriis? Infinita *DEI* misericordia, quae non abiecit in finem sed per Christum, ut spero, me *eduxit e peccato meo,* non debet imminuere sed augere merito confusionem meam. *Talis* ego fui (et qualis etiamnum sum!) erga *talem! Iniquitas* et *ingratitudo* inexplicabilis.

7. *De peccatis propriis.*

In *processu, innumerabilia peccata et offensiones et negligentiae.* Infinita Dei misericordia quae *talem* sustinere, fovere, promovere ad meliora non cessavit, et etiam nunc non cessat, neque oculos avertit neque abhorruit *in finem* hoc *ulcus et apostema,* ex quo per tot annos defluens *sanies* peccatorum *foedissimam cloacam* efformavit. Talis vita, quomodo potuit veniam et gratiam invenire, nisi interposita vita sanctissima Filii *DEI?*

8. *Repetitio.* Ariditas summa. *Domine miserere...*

9. *De inferno.* Damnati infeliciores quam ego, sed non peiores. Quid enim? malorum omnium semina in me, et quae vitio-

rum principia, heu nimium, sensi ac sentio, quo non perduxissent dudum aut non producerent etiam nunc, nisi misericordia Domini in me copiosior et sanguinis Christi applicatio abundantior! Quodsi inter tam multa tamque excellentia subsidia ac praesidia sum adhuc *talis,* quid esset de me, si erga me Deus usus non esset uberiori misericordia, quam erga innumeros damnatos?

10. *De Regno Christi.*

11. *Eadem.* Christus rex eiusque dotes divinae, expeditionis scopus, condiciones, totum universum et singulos invitat. *Omnes qui sint sanae mentis ...., sed qui velint insignes esse,* universalem abnegationem amplectentur. Ego vero, nonne statu et professione mea et veste ipsa talem me esse velle profiteor? Quid ergo *sensualitas* et *amor proprius?* eheu ...

12. *Eadem.* Ponderando singula verba S. Patris. « *Christo Señor y Rey eterno, delante dél todo el universo mundo, a cada uno en particular llama, conquistar todo el mundo, todos los que tuvieren juicio y razón* ... ». Quantum humiliari decet me, qui cum esse certe deberem quamque maxime e numero eorum, qui velint « *affectarse y señalar en todo servicio de su Rey eterno* », vix ac vix quidem ad eos pertineam, qui sint *sanae mentis!* Eheu ...

12. *De Incarnatione (ex libello).* De Incarnatione.

1. Non otiose notantur varii hominum status et condiciones, *albi* et *nigri,* et eorum variae affectiones, *ridentes* et *flentes,* etc. Omnes sunt creaturae rationales, quae per liberum arbitrium Deum laudare, ei reverentiam et servitium exhibere possunt ac debent, sed passionibus variis illaqueati a fine suo aberrant. *Omnes* obiectum sunt magnae illius misericordiae *DEI,* qua *sic dilexit mundum, ut Filium suum* .... Haec valde apta ad zelum excitandum. O si ... ! *Domine mitte quos missurus es!*

2. Quam admirabile consilium DEI et quam suave! Vult, ut initium reparationis generis humani non fiat sine actu *liberi arbitrii* humani. Vult ut una ex humanis creaturis operi suae Bonitatis consentiat, suamque etiam operam conferat. Virginem ipse praeparavit etc.

14. *Eadem,* coniungendo statim *verba* et *opera* cum *personis.*

1° *Homines,* ut heri, verba et opera caecorum, ruentium in interitum. Etiam nunc post misericordiam tantam humano generi factam a DEO! Quid, nisi 1° *gemere,* ut illi qui apud Ezechielem iubentur signari signo *Tau;* 2° disponere nos ad salvandas reliquias, ad cooperandum DEO; 3° excitare zelum nostrorum pro animarum salute.

2° *Personae divinae; cum* hominum scelera nonnisi fulmina provocarent in vindictam, *tunc sic Deus dilexit mundum.*

15. *Angelus et Maria.*

1° *Angelus Gabriël* lubens exsequitur, neque reputat parum honorificum se, *Principem Caeli,* ad filiam mitti *generis humani,* ad annuntiandum mysterium, quo genus humanum supra Angelos elevaretur. *Voluntas DEI.*

2° Domus in *Nazareth; compara Nazareth* cum *Roma, palatia* Augusti cum *domuncula* Mariae. Sed hic *paupertas, innocentia, puritas, solitudo, silentium, unio cum DEO.* Haec digna caelesti visitatione et Angelorum consortio. *Sola sine exemplo placuisti.*

3° *Turbata est in sermone eius.* Utique Virgo SS. non ignorabat dona Dei in se, sed *thesaurum* tenebat *absconditum* nec propalari volebat. Neque ad eius humilitatem necesse erat, ut erronee de se iudicaret. At nobis omnibus, qui deficimus omnes, aequum est existimare nos omnium pessimos, quia gratiae divinae numquam ex aequo respondemus, et *nisi Dominus...* peiores essemus omnibus sceleratis.

4° *Ne timeas: invenisti enim gratiam apud DEUM.* Dummodo gratiam apud DEUM, tum utique illud *ne timeas* erit et mihi dictum.

16. *Repetitio* et *prosecutio.*

17. *Ecce ancilla Domini.* Heroica resignatio in voluntatem DEI. Gloria maternitatis DEI, ex qua in hac vita nonnisi labores et aerumnae gravissimae, heroicum postulabant sacrificium omnis propriae voluntatis. Fide omnia superavit, nil nisi *DEUM* eiusque SS. Voluntatem intuendo. Nobis ad tanto minora ac leviora deficit animus, licet non ignoremus gloriam a *DEO* promissam. Sed praesentia ac visibilia affectum ad se rapiunt, ut futura et invisibilia minus moveant.

18. *Adoratio SS^mi^. Dominus nobiscum . . . Quid est homo quod memor es eius, aut filius hominis, quoniam visitas eum?* Hoc parum dicit; plus est *Quid est homo, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum?* Sed neque hoc satis exprimit tantam dignationem, tantum amorem, tantum beneficium. Quis possit aestimare, honorare, gratias agere digne? Amor tuus, o Iesu, te laudat et amorem hunc tantum tibi compensat. Nos vero quid? Ne tantum quidem facimus quantum possumus, et confusione ac rubore pressi ob nostram ingratitudinem, ad *miserias* nostras, tamquam ad arcem confugimus, ad *excusandas excusationes* in negligentia et ingratitudine. Heu, Domine, quando erit finis!

19. *Adoratio SS^mi^.*

20. *Memento, quia pulvis es . . . .*

1° *Pulvis es.* Ob privilegia gratis concessa nec naturae ullo modo debita, aliquid esse praesumpsisti; ergo his merito tuo privatis, *pulvis es,* et non esse te aliud experieris ac senties, tota deinceps vita.

2° *Et in pulverem reverteris.* Sed per multos primum *dolores* et aerumnas transeundum et, postquam remanserit corpus exanime, per qualem statum *foeditatis* gradatim foedioris, *in* pristinum *pulverem reverteris?*

22. *De Domini Passione, Coena legali.*

Personae, Christus Dominus et discipuli, omnes afflicti ob imminentem passionem et ita quidem in *die festo.* Sed in Domino suavitas cum afflictione coniuncta... Quid est, quod in me compunctio suavitatem minuere soleat, vel spiritus alacritas compunctionem solvat? Sunt autem haec duo coniungenda, *compunctio* et *suavitas,* id quod fiet, si vera erit compunctio, qua amor DEI et proximi promovetur et odium mei. *Desiderio desideravi,* pati desiderat, immo *desiderasse* se ostendit inde a primo incarnationis momento, quia *pati* pro reparanda Patris gloria et nostra salute erat ultimus terminus ac finis adventus eius in mundum.

23. *Unus ex vobis tradet me,* iam ad unam particularem afflictionem gravissimam... Nihil indignationis in verbis Domini, sed afflictio et commiserationis affectus erga proditorem. Haec imitanda mihi, etiam si quis, quod utique numquam erit, ita esset erga me iniurius, ut Iudas erga Dominum.

24. *Surgit a coena et ponit vestimenta sua... et lavit pedes...*

1° *Dominus afflictissimus* et simul *suavissimus* omnia *ordinatissime* agit, maeroris ac sui plane velut oblitus totus est in *dilectione* suorum!

2° Cum Petro, *gradatim fortius* loquitur.

3° Beati quibus dicitur: *Vos mundi estis.*

4° Christi *hominis* humilitatis et caritatis opus, *DEI* autem mysteriosa actio ad indicandam puritatem, Sanctissimo suscipiendo necessariam.

25. *Contentio, quis eorum videretur esse maior.* Quam durus, quam insolens spiritus superbiae et ambitionis! In hac occasione tantae afflictionis de primatu contendere! Sed nimirum spiritus iste est egoista.

Reges gentium... et... benefici vocantur... Vocantur per mundi vanitatem, cum saepe quidem non *sint,* et cum servitia accipiant, non faciant...! Vos autem *non sic.*

Vos permanisistis mecum, et ego dispono vobis regnum. Quid vultis amplius? aut qui locus ambitionis inter vos esse

potest? pro humilitate *dispono vobis regnum.* Quidni hoc abunde sufficiat, ut quocumque loco vel gradu sitis contentissimi?

26. *Et hymno dicto exiit in montem Oliveti.* Praestat quae solebat alias, afflictione interna nihil retardari se sinit.

Omnes vos scandalum patiemini. En alteram gravissimam *afflictionem. Omnes vos* post tantum temporis consumptum in vos erudiendos doctrina, exemplo, miraculis, *omnes ... vos.* Simul tamen *suavitas,* tum in textu prophetae, quem adfert, tum in promissione ... *praecedam vos in Galilaeam.*

Etiamsi omnes, ego numquam. Noli confidere sensui qui nunc est, cito mutabitur in alium, ac tum vae, nisi Dominus adsit peculiari gratia sua, qua certe praesumptio, praefidentia, aestimatio sui supra *omnes* reddit indignum.

Similiter autem et omnes dicebant. Fortasse maesti tacuissent ac timuissent sibi, sed provocati exemplo Petri et ipsi *similiter ... dicebant,* dicebant fortasse plus quam sentirent in corde. Certe in coena illa sollicita interrogatio: *numquid ego sum* Domine, nullam indicabat praesumptionem. *Humilitas* et *diffidentia* mei ipsius; semper *orare* in omnibus necessitatibus, seu gravibus seu levibus, etiam pro exiguis culpis vitandis, etiam pro minimis virtutum actibus exercendis. *Sine me nihil potestis facere.*

In Horto. 27. *Tristis est anima mea.* O bone Iesu! Tristis de *praesentibus,* de *praeteritis,* de *futuris* ob hominum *peccata, ingratitudinem, poenas imminentes,* mundi *perversitatem.* Omnia simul obruunt Cor dulcissimum Iesu. Et ego *gaudere* velim? Quam multa mihi tristitiae sanctae causa, in me et extra me!

28. *Positis genibus procidit in faciem suam super terram.* Ita Filius DEI in afflictione positus, ego vero in hac mortali vita numquid non semper merito in angustia et in necessitate et in afflictione positus? Et quomodo oro?

Pater si possibile est ... Possibile quidem erat utique, quin etiam unico gemitu satisfiebat *iustitiae.* Sed non ita *misericordiae.* Nam si nunc, post tale exemplum passionis Christi, tam pauci et tam imperfecti, quid, si leviori modo redemptionis opus fuisset perfectum?

Non mea voluntas sed tua fiat. Ita demum heroica divina resignatio ubi de tam horrendis agitur sustinendis.

1 Mart. Domini suavitas, licet afflictissimi, erga discipulos *dormientes,* qui meam inertiam repraesentant .....

Spiritus quidem promptus, caro autem infirma, non solum est benigna *excusatio* dormientium, sed simul *adhortatio* ad vigilandum et orandum, quia promptitudo spiritus non sufficit ad carnis infirmitatem sustentandam, sed *oratione* obtinendae

vires ac robur. Quam saepe haec experimento didici! Et tamen, etiam in afflictione orans, obdormisco! *Domine miserere.*

2. *Et factus in agonia prolixius orabat, et factus est sudor eius etc.* Quid me miserum et indignum facere et pati decet, et quomodo tristitias ac taedia et agonias etiam tolerare, et in illis quomodo *orare prolixius* et in oratione *perseverare*... nec tam *consolationem* quaerere quam *confortationem,* ut *sustineam,* non ut *liberer!*

3. *Dormite iam et requiescite.* Dulcis simul et amara Domini querela: dum ego angor et affligor, dum inimici mei vigilant operosi ad me comprehendendum, vos, amici mei ac discipuli, *dormite, quiescite!* Pudere me debet, pacem et consolationes quaerere vel etiam optare, dum Christus contemnitur, Ecclesia opprimitur, animae pereunt! *Dormite iam et requiescite,* scilicet hoc tempus quietis et laetitiae opportunum... Etiam Societati hoc tempus non debet esse pacis et quietis, quando non est Ecclesiae Christi. Oramus autem: *ne respicias peccata mea, sed fidem Ecclesiae tuae, eamque secundum voluntatem tuam pacificare.... Secundum voluntatem* Domini. Vult quidem Dominus Ecclesiae prosperitatem et pacem, sed *modo suo* non nostro; itaque etiam Ecclesiae proelia et vexationes sunt in vero sensu *secundum voluntatem* eius.

Surgite eamus..... Generosus Christi et heroicus ac vere divinus animus, non est tumultuaria sui coniectio in pericula et mortem, sed tranquilla sui traditio in omnia illa tremenda mala. Turbatio et tumultus est adversariorum, Domini autem *pax* per totum passionis decursum, in omnibus opprobriis ac tormentis ac premente licet desolatione interna. O exemplum!

4. *Iudas... et turba... cohors militum et ministri... et principes sacerdotum et scribae ac seniores,* qui sequebantur turbam illam, ut ex subsequentibus in S. Ioanne patet. Traditus Iesus *in manus peccatorum.*

Iuda, osculo...?

5. *Sciens Iesus omnia, quae ventura erant... Oblatus est, quia ipse voluit.* Ergo vere pro tanto amore *voluntarie sacrificari* debeo.

Ego sum... abierunt retrorsum et ceciderunt, sed iterum surgentes perrexerunt in proposito. Ita nunc impii, quantumcumque flagellati, prostrati, nolunt agnoscere manum Domini et obstinati pergunt.

6. *Tamquam ad latronem...* et latronum ducem qui suis suorumque armis se defensurus sit, *existis* ad me inermen comprehendendum.

Haec est hora vestra et potestas tenebrarum. Et nunc quid? *Domine miserere.*

Petri lapsus.

7. *Petri lapsus.* Nec *luminis divini* abundantia, nec *fervor amoris,* nec *proposita saepe* confirmata *Apostolum* praeservarunt a lapsu, *quia* non satis *diffidebat* de se nec timebat; peius autem, quod *statim* non agnoverit imbecillitatem suam. Debuisset ipsi satis fuisse, quod *fugam* cepisset cum ceteris, sed non ... Rediit ad periculum et ab uno in *alterum* ac *tertium gravius* semper ac profundius *praeceps ivit.* Et nisi Dominus *respexisset .....*

Tribunalia.

8. 9. 10. 11. 12 Mart. *Iesus ante pontificem* etc. Quomodo abscondita divinitas! Et propterea omnibus iniuriis et contumeliis Christus afficitur. Ita nunc Dominus et eius sancta religio ab impiis tractatur. *Verumtamen ... amodo videbitis.*

13. *Iesus in praetorio.* Dominus sputis foedatus, a colaphis lividus, ligatus ut *malefactor,* nobis totus *amandus* et *adorandus.* Contemnendum ergo quidquid externum est, immo desideranda et summi facienda species illa *deformis* quam pro me Christus suscepit.

In *sacerdotibus* etc. odium, furor, hypocrisis, superbia, et ex his omnibus *iniquitas* et *iniustitia* horrenda.

14. *Recollectio. Notum fac mihi, Domine finem meum, ut sciam quid desit mihi. Gula,* qui pudor, mihi, qui ut *Praepositus Generalis* deberem ... Sum autem inter *ultimos* Christi sequaces nec *hominis* partes expleo, appetitu vincente aut praecedente rationem, idque in tam vili re, qualis est cibus ... ! *Determinata mensura,* deinceps etiam *determinanda.* O Domine miserere. *Vid.* 27 *et* 28 *Ian.*

15. *Iesus ante Pilatum.* Quae humiliatio Filii DEI! Sed *silet* de iniuriis sibi factis, respondet cum libertate ad quaestiones Pilati, sincere quaerenti sincere respondet: *Regnum meum non est de hoc mundo.*

16. *Iesus apud Herodem.* Quia ex aeternae sapientiae suae ratione *tacet,* illuditur cum insipientiae ac stultitiae titulo! Ita luit *verbositatem* meam, verae vanitatis ac stultitiae effectum.

17. Iesus iterum *apud Pilatum.* Iesu persona nobilissima, sanctissima, beneficentissima, quomodo opprobriis plena! Quam ergo opprobria omnibus honoribus praeoptanda!

Tacebat, ita ut miraretur praeses vehementer. Tacet, cum tamen tam multas haberet rationes loquendi, pro gloria DEI, pro bono Ecclesiae suae ... Sed nimirum opus DEI mediis contrariis erat perficiendum. Similia principia pro Societatis bono tenenda; etiam haec non humanae prudentiae legibus sed divinae sustentanda, promovenda.

18. *Iesus postponitur Barabbae.* 1° *Pilati* iniustitia, dum non restitit ab initio fortiter pro munere suo inique petentibus,

sensim magis ac magis laedit iustitiam, idque volens utcumque Iesum liberare *politica.* 2° *Principum* malitia et furor. 3° *Plebis* miseranda caecitas, quae duci se a caecis sinit, ut solet. 4° *Iesus* contemptus, *in corde* inimicorum suorum, *verbis* contumeliosis, blasphemis, usque ad iniurias *operis* et mortem crudelissimam. Quid ego mihi optem ab hominibus?

19. *S. Ioseph.* 1° *Electus* ad grande officium et *gratia* praeparatus, cui ipse *fideliter cooperatus* est. *Delicta iuventutis meae eheu!* 2° In officio *sollicitudo, fiducia temperata, resignatio* in omnia, exemplar perfectum superiorum. 3° *Mors* beatissima et *protectio* clientum. *Fac nos innocuam....*

20. Iesu *flagellatio,* supplicium *iniustissimum, crudelissimum, ignominiosissimum.* Quid sunt flagella linguarum, dicteriorum, quae nobis contingunt? Si doloris parum aut nihil, saltem ne blandiamur carni. Flagellatio.

(Ex Ev. de *caeco nato.* Admiranda Christi bonitas, qui caeco, postquam a Pharisaeis ignominiose eiectus est, *tum maxime* seipsum revelat, in praemium scilicet eorum, quae passus erat).

21. *Spinea corona, purpura, arundo ... Ave, Rex Iudaeorum ...* Omnis honor aut dignitas mihi, servo Christi, debet esse *corona spinea;* caerimoniae et obsequia, ut *Ave Rex Iudaeorum,* contemptus et dolor.

22. Pilatus: *Ecce ... ut cognoscatis, quia nullam invenio in eo causam.* Cur ergo, o iudex iniquissime, flagellari iussisti et ita male tractari permisisti? Quanta illusio, ubi semel coeptum est a via recta deflecti, ubi non est animus iustitiam servare *in toto,* velle servare eam *in parte.* Iniustitia est et ad extremam iniquitatem perducit caecum iudicem vix id sentientem.

Ecce homo. O spectaculum! Quomodo ista mane meditari et per diem deinceps veluti immemor eorum, quae contemplatus sum, non amplius de hoc cogitare. *Memoria memor ero. Fasciculus myrrhae. Sub umbra illius quem desideraveram sedi.*

23. *Quia filium DEI se fecit.* Malitia Iudaeorum qui, ut Iesum opprimant, in omnes partes se vertunt. *Pilatus timuit,* sed sine fructu; Christi libertas: *non haberes potestatem adversus me ullam, nisi ...*

24. In Christo condemnando *duo* conspirant, Iudaeorum *odium, furor,* Iudicis *debilitas* animi, qui dum nec offendere iustitiam velle videtur nec tamen eam pro suo munere tuetur, hinc ipso facto fit iniustissimus. Vane sibi illudit, lavans manus: *Innocens ego sum.* N. B. *Duo* illa Societas experta est et experitur ad exemplum Ducis sui. Christi condemnatio.

25. *Annuntiatio B. M. V.* Angelus Domini nuntiavit Ma-

riae... *Virginis magnalia* omnia interna. Eius *labores* cum heroica resignatione suscepti, *Verbum Caro.*

26. *Exivit Iesus baiulans sibi crucem.* Quid est, quidquid mihi *crucis* baiulandum obvenit! Portabo ergo, et portabo libenter usque ad mortem.

Crucem baiulat.

27. *Et angariaverunt Simonem Cyrenensem.* Nemo volebat crucem Domini attingere, *angariari* debuit Simon, et tamen sic etiam, licet invitus portaverit, praemium tulit. O pretium Crucis ineffabile!

Nolite flere super me, sed... Tremenda Dei iustitia!

Crucifixio.

28. *Venit in Calvariae locum... Propter me sedisti lassus... et crucifixerunt eum.*

29. *Iesus in cruce, Maria et Ioannes iuxta crucem.* Divina vis in Iesu crucifixo, qui in illa extremitate positus *Matris* curam gerit: *Ecce filius tuus, ecce mater tua.*

30. *Pater, dimitte illis.* Oratio facienda pro persecutoribus Societatis, de quorum malitia certi minus sumus, quam Dominus de suorum inimicorum malitia. Et etiamsi..., quid sunt quaecumque nobis ab inimicis inferuntur mala, prae damnatione aeterna, quam proin merito precibus avertere ab illis debemus.

Diviserunt sibi vestimenta mea. Apte conveniunt spoliationi ac direptioni bonorum, quam Societas passa est et patitur saepe. *Domine dimitte.*

31. *Titulus, I. N. R. I.*

1 Apr. *Improperia, Descendat de Cruce.* Bonus Latro.

2. *Deus meus Deus meus ut quid dereliquisti me... Sitio... Acetum obtulerunt ori eius.*

3. *Consummatum est, Pater in manus tuas commendo spiritum meum.*

4. *Coena Domini.*

5. *Mors Domini in Cruce.*

Dni Sepultura.

6. *Sabb. S.* Ioseph ab Arimathea et Nicodemus centum libras myrrhae et aloës, mortificationis perfectae symbolum. Pontifices *anxii, ne forte veniant discipuli et furentur eum,* ipsi mala fide pleni in discipulis Christi malam fidem supponunt, quam non habebant, nec ulla ratione probabili poterat talis in illos suspicio cadere. Nam cui bono? Sed ita excaecat passio. Ceterum Pontifices DEO et Christo nescientes famulantur; quanto melius famulari scientes et voluntarie!

Res. Dni.

7. *Resurrectio Domini.*

1. *Triumphus* animae apud Inferos, quam gloriose viam illam fecit ad inferiores partes terrae! Qualis erit animae meae via, cum e corpore exierit? Et tamen gloriae Christi Redemptoris est, ut redemptorum animae non cadant in profun-

dum neque experiantur quod horret in tenebris; quanta *puritas* procuranda *ad honorem* Christi!

2. *Reditus animae ad corpus. Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam.* Quod Matris SS. gaudium! *Vota nostra quae praeveniendo adspiras, adiuvando prosequere.*

8. *Devotio* mulierum, licet imperfectione mixta, grata tamen Domino earum *diligentia,* constantia ad vincenda obstacula: *quis revolvet . . . ?* Apparitiones.

9. *Invenerunt revolutum lapidem.* Ita Dominus erga eos, qui in se confidunt. *Iesum quaeritis crucifixum.* Haec Domini gloria, *crucifixum* esse pro nobis!

10 11 12 13 Dominus mulieres et etiam discipulos paulatim disponit ad resurrectionem suam agnoscendam. Timent, dubitant, gaudent, *vident.* Domini suavitas, ad Magdalenam *Maria,* ad ceteras *Avete.*

14. *Dicite fratribus meis. Iesus Frater noster, Primogenitus in multis fratribus,* per humanam naturam *noster.* Quanta dignatio! *Heredes DEI, coheredes Christus* nos ut *fratres* efficiat. Ipse dat, quae ad tantam dignitatem requiruntur, ut si *Frater* ad Regis gratiam admissus, *fratres* pauperes advocat in aulam et providet de omnibus ut cum decoro suo compareant.

Sed quanta hinc in nobis obligatio Christum imitandi, cui similes effici nos necesse est!

15. *Discipuli in Emmaus, tristes,* quaerentes solatium, impediuntur tristitia, *ne eum agnoscerent.* Tamen adest Dominus, licet ab ipsis non cognoscatur. *Qui sunt hi sermones . . .* Interrogatio, quam mihi a Domino fieri cogitabo, cum, ut saepe, tristitia seu melancholia animum occupat.

16. *Qui sunt hi sermones?* Applicandum ad cogitationes meas, tam saepe inanes et quae *ad rem non pertinent.* Ad *rem,* scilicet DEUM eiusque gloriam. Discipuli, licet imperfecti, tamen nonnisi de Christo cogitabant et loquebantur.

Dominus vere delectatur commemoratione suae passionis. Et ego crucem horream?

17. *Nos autem sperabamus.* Ergo non sperant amplius? Mira *obscuratio* intellectus: quae maxime spem confirmare debuissent, eam apud illos sustulerunt, mulierum narratio *terruit! De me* quidem desperandum esset, sed *in DEO . . . !*

O stulti et tardi corde. Stulti ob intellectus caecitatem, *tardi corde* ob voluntatis grave pondus, quia sensibilium rerum affectu premitur. Carnis, sensuum et amoris proprii ac mundani affectus deprimit animum, et intellectum ad superiora intelligenda incapacem reddit. Quantopere curandum, ut

a laqueis istis ac vinculis me expediam, si *spiritualis esse* velim et non *stultus* ac *tardus* corde.

18. Iterum: *O stulti*... ut heri.

Nonne haec oportuit pati Christum... Quid *me* non *oportet pati*, ut...

Incipiens a Moyse. Beatus, quem tu erudieris... Nonne cor ardens, dum loqueretur nobis?

19. *Finxit se longius ire.* Amantis *fictio*, ita in oratione saepe fingit se non audire, ut hominis *desideria dilata crescant. Aperti sunt oculi eorum* in Christi opere... Quam merito dixerunt *potentem in opere.*

Evanuit ex oculis. Cum maxime fruituri eius praesentia essent, tunc *evanuit;* ita consolationes in hac vita.

20. *Ianuis clausis... Pax vobis, ego sum, nolite timere.* Et dubitantes adhuc amantissime convincit, descendens etiam ad actus, vitae gloriosae improprios, ad manducandum scilicet. Quam vere *amicus* et *Frater* primogenitus.

21. *Dixit Iesus iterum: Pax vobis.* Praecedit: *gavisi sunt discipuli, viso Domino.* Ergo, ut primum *pax vobis* remedium tristitiae ac turbationis, ita alterum *pax vobis* erat ad moderandam laetitiam; uterque enim affectus, si vehemens est, impedit animi dispositionem ad dona DEI accipienda. Ergo *pax, pax.*

Sicut misit me Pater. Quanta dignitas et quantum munus!

Insufflavit. Omnipotens DEI flatus, quo Spiritus Sanctus datur.

22. *Thomas,* 1° solitarius et a ceteris segregatus, fortasse quia *tristitia* indulsit, 2° incredulus, 3° praesumens praescribit modum, quo sine nolit credere, 4° per octo dies.

Domini Iesu benignitas in consulendo Thoma, utique plane *gratuita.* Quam saepe et ego absque remedio periissem, nisi Domini benignitas plane gratuita, *quia voluit me!*

23. *Vado piscari, venimus et nos tecum.* Unio animarum et promptitudo ad voluntatem alienam. *Nihil prendiderunt,* nullum tamen signum impatientiae aut morositatis, immo ad vocem hominis sibi ignoti: *mittite in dexteram navigii rete,* absque replicatione aut contradictione obsequuntur. O voluntatis propriae mala! *Morte moriatur.*

24. *Dominus est... Petrus misit se in mare.*

25. *Simon Ioannis, diligis me plus his?* Indicat Dominus quae excellentia amoris *prae aliis* ei conveniat, qui Pastor esse et aliis praeesse debet. Petrus merito comparationem *cum aliis* declinat. Et Dominus secundum et tertium interrogans, non addit illud *plus his,* quasi approbans Petri humilitatem et quasi indicans, licet status Pastoris illud importet ex sua natura, non

tamen exigi absolute, ut sit ille amor maior quam in aliis. Ita Pastorum humilitati simul consulit et ab angore inani liberat. Saltem ut dicere possint cum Petro: *Domine tu omnia nosti, tu scis*...

26. *Data est mihi omnis potestas.* Quantam fiduciam inspirat *amicus, frater,* cui *omnis potestas in caelo et in terra!* Quid timendum?

27. *Repetitio. Euntes ergo docete omnes gentes.* O Domine, quam multae tamen gentes etiam nunc te ignorant! Quam terribilia sunt iudicia tua, Domine!

28. *Patrocinium S. Ioseph.* Innocuam vitam ac tutam, liberationem a malis culpae et poenae. Ad puritatem illam assequendam exercitium praesentiae Dei, quod ipsum tamen sine praevia puritate animi non potest succedere; unde expugnanda *carnis, sensuum et amoris proprii ac mundani* rebellio, vel etiam inclinatio.

29. *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit... Signa autem etc.*

Et ecce ego vobiscum sum...

30. *Duabus alis... simplicitate et puritate.*

1 *Maii.* Ordinatio Missae per 2um modum orandi.

Iudica me, Deus... ad fiduciam in Dei bonitate contra inimicos externos et contra internos affectus pusillanimitatis. *Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me?* Pars superior, voluntas, ad partem inferiorem, appetitum.

2. *Confiteor,* ad poenitentiam et humilitatem.

3. *Quae supra* et *Aufer a nobis. Accedit* ad Sancta Sanctorum cum magno sensu propriae *indignitatis,* qui per universam actionem comitari debet.

Gloria Patri... sicut erat in principio. Deus aeternus, ego hesternus sum, et brevi momento appareo in hoc mundo, licet futurus deinceps et ego *semper et in saecula saeculorum,* sed ubi? Merito Deo gloria, mihi vero... !

4. *Gloria in excelsis,* sed *praemisso Kyrie eleison*...

5. *Dominica. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* Devotio ad B. V.

6. *Deus qui conspicis, quia nos undique mala nostra perturbant*...

7. *Munda cor meum ac labia mea*...

8. *S. Michaëlis Archangeli*... 1° Quanta nobilitas beatorum spirituum prae homine. Ego *inter bruta animalia* in hac valle *exsul,* rebellione corporis *corruptus, carnis,* sensuum et amoris proprii ac mundani, si minus *mancipium* certe frequenter *ludibrium.* 2° Princeps exercitus angelorum et *Ecclesiae defensor.*

9. *Delectare in Domino.* Omnis melancholia ex eo, quod *in alio* delectari velim. *Suscipe, S. Pater ...*

10. *In spiritu humilitatis et in animo contrito. Spiritus humilitatis* est cuiusvis, etiam innocentis, *animus contritus* est peccatoris.

11. *B. Francisci de Hieronymo* (1). *Sicut te in illo mirabilem praedicamus, ita in nos misericordem fuisse gloriemur.* Et haec *misericordia* erit *mirabilis.*

12. *Vere dignum et iustum est ... Qui mortem nostram moriendo destruxit et vitam resurgendo reparavit.*

13. *Te igitur ...*

14. *Qui pridie ...*

15. *Libera nos, quaesumus ...*

Ascensio Dni.

16. *Ascensio Domini. Nubes suscepit eum ab oculis.* Sed haec nubes non impedivit, quominus certo scirent et crederent Dominum *ea via* ascendisse in caelum. Ita mihi *nubes* quaecumque desolationis non imminuat fidem certam et spem firmam de iis, quae *in lumine* consolationis vidi et cognovi. *Adorantes revertamur.*

17. *Sermo Domini post coenam.* 1° *Non turbetur cor vestrum ... in me credite.* 2° *In domo Patris mei mansiones multae ... vado parare vobis locum.* 3° *Ego sum via, veritas et vita; via,* quam si ingrediamur, sequentes Christi vestigia, certo ad *veritatem* pervenimus et ad *vitam: Si quis voluerit ... facere, cognoscet de doctrina mea.*

18. 1° Pater faciet ... *ut glorificetur Pater in Filio.* 2° *Si quis servat mandata mea, ipse est, qui diligit me, et diligitur a Patre meo ....* 3° *Paraclitus ipse vos docebit omnia.*

19. 1° *Pacem ... pacem meam ... non quomodo mundus dat.* Pax mundi in *carnis, sensuum* et *amoris proprii* satisfactione *vane* promittitur et fallaciter donatur et in impiis terminatur. *Pax Christi* in veris bonis ac firmis et aeternis, sed obtinendo *contrariis* omnino *carni, sensibus et amori proprio, non quomodo mundus.* 2° *Non turbetur cor vestrum, neque formidet.* 3° *Vado et veniam ad vos.* In vitae huius decursu Dominus *vadit* et *venit,* vicissitudo consolationum et desolationum; sed si quando *vadit,* exspecta eum, quia *veniens veniet et non tardabit, et gaudebit cor vestrum.*

20. *Ego sum vitis vera ... Omnem palmitem non ferentem fructum tollet eum; et eum, qui fert fructum purgabit eum ...* Purga, Domine, purga, puta, modo in vita conserves.

21. *Si manseritis in me quodcumque volueritis petetis et*

---

(1) Causa canonizationis B. Franc. de Hier. S. I. (1642-1716), quae agebatur, a. 1839 absoluta est.

fiet vobis. Ius ego ita petendi non habeo, sed *per misericordiam tuam* postulo ac spero et confido.

22. *Hoc est praeceptum meum ... Iam non dicam vos servos sed amicos. Vos amici mei estis, si ... Non vos me elegistis, sed ego elegi vos ...*

23. *Si mundus vos odit, scitote ... ut cum venerit hora eorum reminiscamini.*

24. *Expedit vobis, ut ego vadam,* ut ad *invisibilia* ducamur per *fidem* et *caritatem,* minuendus, tollendus affectus *visibilium.*

Arguet mundum de peccato et de iustitia et de iudicio.

Modicum et non videbitis me, in mundo pressuram habebitis.

25. *Oratio Domini. Elevatis oculis in caelum: Pater clarifica filium tuum ...* Adv. Sp. S.

26. *Cum complerentur ... erant omnes pariter in eodem loco, recollectio externa* et *interna. Repente ... omni tempore et in omni loco et in omni actione* procuranda dispositio ad excipiendum Spiritum Sanctum.

27. *Repleti sunt omnes Spiritu Sancto ... Loqui variis linguis ...* Haec dona externa ac sensibilia, sed quanto maiora ac pretiosiora *interna!*

28. *Stupebant, quidam irridebant.* Petri sermo.

29. *Quid faciemus, viri fratres?* En fructus verae compunctionis, non diffidentia et angustiatio, quae super se reflexa maneat neque ad remedium mali se extendat. Praxis in defectibus commissis servanda.

Vobis enim est repromissio ... et omnibus, qui longe sunt.

Salvamini a generatione ista prava.

30. Virtutes primorum Christianorum *ex Actibus.*

31. Idem.

1 Iun. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris,* ut in affectibus, in verbis, in operibus omnibus *agat* efficaciter, ut sit non modo *habitu* sed actu.

2. *Festum SS. Trinitatis. Dedisti famulis tuis ...* Quae dignatio, hominibus degradatis, in exsilium eiectis *inter bruta animalia! In confessione aeternae Trinitatis gloriam agnoscere ... Eiusdem fidei firmitate ... muniamur.* Haec fides spei nostrae firmamentum.

3. *De fine. Creatus est homo ...* Semper prima haec et fundamentalis veritas *humiliationis* sensum generat, ob ea *quae desunt* etiam ad illam primam obligationem, qua erga *Creatorem* obstrictus sum.

Creatoris ius ac *dominium* summum et simul summa *dignitas,* quae duo duos *auctoritatis* titulos comprehendunt.

Quam *inique* et quam *stulte* ago, quando *huic tali* ac *tanto* non obsequor, *non tantum in vitae statu, sed et in omnibus rebus particularibus.*

4. De eodem.

5. De eodem, applicando ad tot miserabiles gentes barbaras et ad missiones.

6. *Festum Corporis Christi.* Institutio SS. Sacramenti, quale *medium* ad finem! Et quanta abundantia mediorum, in sinu Ecclesiae, Societatis, Romae! Quanta indignitas, si tot inter media, tanta eorum copia quotidiana non fiamus sancti!

7. *Memoriam fecit mirabilium suorum.* Stupenda miracula SS. Sacramenti, quae Dominus quotidie operari non cessat, spem faciunt cuiusvis *adiutorii* in his tantis calamitatibus.

8. *Panis angelorum, factus cibus viatorum.*

9. *O quam suavis est, Domine, spiritus tuus ...*

Suavitas illa *gustari* debet, explicari aut intelligi a non gustante non potest, ut colores caeco, ut soni surdo. *Suavitas* illa animae in nobis fructus esse debet Eucharistiae, eique contrarius est spiritus *amarus, teter, melancholicus.*

10. *O sacrum convivium.* Re, qua maxime delectari solent homines, Christus utitur ad sanctificationem. *In quo Christus sumitur ...* Sumitur, intime unitur nobiscum *Christus,* Salus nostra, Dominus ac DEUS noster, Magister noster.

11. *Recolitur memoria passionis eius.*

12. *Mens,* tota anima, memoria, intellectus, voluntas, *impletur,* pro capacitate, *dilata* cor meum et animam, *gratia.*

13. *Et futurae gloriae nobis pignus datur. Gloriae* supernaturalis, visionis beatificae, *unionis* cum Deo; *pignus* item resurrectionis, *pignus,* nam *semen immortalitatis.*

14. *Cor Iesu. Spinis* cinctum ac circumstrictum, *cruce* pressum, *hiante vulnere* saucium, *flammis* caritatis omnia superans et *gloriae* radios quaquaversum diffundens.

Et mihi *caritas spinas* meas et *crucem* non modo tolerabilem, sed suavem reddet, *amore Iesu.*

15. *De mediis ad finem. Reliqua super terram ...*

16. *S. Ioannis Fr. Regis. Ad plurimos pro salute animarum perferendos labores B. Io. Fr. mirabili caritate et invicta patientia decoravit.* DEI donum, laborare et virtute valere ad salutem animarum. Domine mitte supplementum.

17. *De Regno Christi. In parabola.* Regis divinitus vocati imperium his quidem temporibus in mundo, *ubi effusa est contemptio super principes,* exiguam vim habet, sed tamen iuxta Evangelicam et apostolicam doctrinam: *Qui potestati resistit Dei ordinationi resistit,* vere Christianis non potest non valere

plurimum. Deinde, etiam iuxta mundi pompam *bellica invitatio est* efficax, et *ignavi militis* exemplum non est sine dedecore.

In *Christo Rege* ... Invitationem talis, tanti Regis, ad talem expeditionem profecto nemo *sanae mentis* recuset.

18. *De eodem. Qui affectent insigniter esse Christi Regis servitio addicti.* Quis id magis *affectare* debet, quam *Religiosus, Soc. Iesu sacerdos, superior, generalis?* Amoris proprii et carnalis et mundani impugnatio constans. *Quidquid placet etc.*

19. *Mysteria D. N. I. C. ex libello.*

Missus Gabriel ad Mariam ... *Sola sine exemplo placuit.* Mundum per tot saecula tenebris involutum ac sceleribus mersum Deus respicit in misericordia. Annuntiatio.

Ita demum incipit homo *sobrie, iuste* et *pie* vivere. N. B. primum *sobrie,* inde nobis initium ducitur. Sobrietas autem non solum voluptatum carnis, gulae, sed etiam *verborum* et *cogitationum.*

20. *De eodem Mysterio Incarnationis. Iudicia Dei abyssus multa.* Non cessat Deus creare animas rationales, ex quibus tamen *tam paucae* Eum laudant eique serviunt ac finem consequuntur! Et tamen, *quid ultra potuit facere vineae suae et non fecit?* Creatio, redemptio, cetera ... O altitudo!

Angelus, licet Virginis praesentia ac virtutibus mire delectatus, tamen non in *otiosa conversatione* se detinet. Virgo audiens laudes suas, *turbata est* et cogitabat.

21. *S. Aloysii. Caelestium donorum distributor DEUS. Caelestia* dona desideranda mihi et Societati. Horum *quanta* copia S. Aloysio distributa, et illis ditatus *Aloysius,* quanto DEI munere *Societati* datus! (Mirus DEI amor in Societatem multas expressit lacrimas ad mensam in Collegio, cogitanti Societatem, adeo mundo invisam, amari a DEO, et amoris pignus singulare in Sancto proprio, singulis domibus Romanis concesso. Utinam divino amore non indigni reddamur!).

22. *De eadem Annuntiatione. Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam.* Qualis gratia inventa a Maria! Nobis vero *gratia quaerenda* misericordiae ac *remissionis* peccatorum.

Ecce ancilla Domini, fiat! Conformitatis cum voluntate DEI et plenae resignationis *in omnia* exercitium a Virgine mihi discendum.

23. *Exsurgens Maria abiit in montana.* Licet quietis suae amantissima et a publico abhorrens, tamen *inspirante Spiritu S.* non *quod placet,* sed DEI voluntatem *solam* respicit. *Qui vivunt, iam non sibi vivant* ... Visitatio.

24. *Nativitas S. Ioannis B. Multi in nativitate eius gaudebunt.* Quid mirum, si gaudium ibi, ubi cum *Maria Iesus* adest, et *sanctificatio* et redemptionis exordia, *per viscera misericor-*

diae Domini ... Spiritualium gratiam gaudiorum ... Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit ...

Nativitas. 25. *Nativitas D. N. Iesu Christi.* Profectio in Bethlehem, oboedientia cum multis *incommodis;* sine incommodo virtus nulla.

26. Paupertas, contemptus, omnimoda carnis, sensuum et amoris proprii ac mundani *mortificatio. Domine doce me facere voluntatem tuam.*

27. *Pastores. Invenerunt Mariam et Ioseph et Infantem positum in praesepio.*

28. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Pro Exhortatione domestica.

29. *S. Petri* gloria. Ecclesiae in hac petra firmitas, *Societatis* famulatus erga Petri sedem, *S. Pater Ignatius* per Petrum sanatus.

30. *Deus qui diligentibus te bona invisibilia praeparasti, promissiones tuas, quae omne desiderium superant ...* Tanta bona *praeparavit, promisit, sperari iubet,* neque potest deesse in mediis copiose suppeditandis, neque enim potest Dominus exigere *spem,* eamque *tam firmam,* illusorie. O sanctam, o dulcem spem! Verum, ut ad *invisibilia* illa veraciter tendam, *visibilia* cuiuscumque illa sunt generis, contemnenda. DEUS *in omnibus* et *super omnia diligendus.*

1 Iul. *Quanto aliquis ... tanto eum in se liberaliorem experietur.* Pro exhortatione in Collegio.

2. *Visitatio B. V. ad Elisabeth.*

Circumcisio. 3. *Circumcisio D. N. Iesu Christi.* Conformitas cum DEI voluntate, non modo in *mediis* sed et in omni *eventu particulari,* nam et haec *media* sunt.

4. *Circumciditur ... et vocatur Iesus.* Ignominia et dolor ad nomen et officium Salvatoris *praerequisita.* Grande bonum naturae humanae, quod per intellectum et liberum arbitrium possit omnibus *miseriis* suis glorificare Deum.

5. SS. Cor Iesu *amans* et quanto plus amans tanto plus *patiens ...* Exemplar.

Magi. 6. *Trium Magorum adoratio. Stella* cum interno lumine et gratia Magos reddit *certos* de Domini adventu. O gratiam ! ...

7. *Deus virtutum, cuius est totum quod est optimum ...*

8. *Procidentes adoraverunt.* Non nisi *tres!* Et nunc tam pauci veri adoratores, tam multi apostatae.

9. *Generalatus* (1). *Gratiarum actio* de auxilio, *deprecatio* de innumerabilibus peccatis et offensionibus et negligentiis, *petitio* benedictionis DEI ...

(1) Die 9 Iul. a. 1829 electus erat.

10. *Praesentatio in Templo.* Iesus offert se totum *ad omnia* et quae illa!

11. *Fuga in Aegyptum.* 1° DEI providentia detestatur quidem *malitiam* Herodis, sed *vult* omnia illa, quae sequuntur, ad *afflictionem* suorum. 2° Exsilia nostra parvum quid sunt, imitatio aliqua Iesu *infantis; in perfecta aetate plenitudinis Christi* flagella, spinae, crux et mors.

12. *Reversio ex Aegypto.*

13. *Oboedientia Iesu in Nazareth.* Nil poterat grandius facere, quia *voluntas Patris!*

14. *Valedicit matri,* quae sacrificium generosa facit, et pergit ad *Iordanem.*

15. *Ego debeo a te baptizari... Sine modo.*

16. *Venit Spiritus S. sicut columba... Hic est Filius meus dilectus.*

17. *In desertum, ieiunium, tentatio.*

18. *Vocatio Apostolorum.* Quales illi, ad quantam dignitatem! *Nemo potest accipere quidquam etc.*

19. Idem.

20. *Nuptiae, vinum non habent.* Haec pro me, pro meis, dic Filio.

21. *Dominica VIII p. P. Largire... semper cogitandi et agendi... Sine te esse non possumus, secundum te vivere...* Huic respondet Epistola *Fratres, debitores... non secundum carnem* neque *secundum mundum.*

22. *S. P. Ignatii conversio prompta, generosa, constans.*

23. *Iesus expellit e templo vendentes,* erga nummularios *severior,* erga pauperes vendentes columbas *benignior.*

24. *S. Patris* poenitentia externa et internorum affectuum repressio. In me *vitae taedium* ex exiguo amore DEI, ex *inordinato desiderio* donorum DEI, cum plura dederit ultra omne meritum, et deceat etiam in his *voluntati* Domini conformari.

25. *S. P. Ignatii persecutionum amor* et ego *taedio* afficior! Mihi haec exigua *nimium,* S. Patri tanta *numquam satis, longe plura semper appetebat!*

26. *S. P. Ignatii orationis* ardor, assiduitas, industriae.

27. *S. P. fiducia,* fiduciae *industria, fructus. Spera in Christo et ora eum et ipse faciet.* In diffidentia mea et in meo taedio magna *ingratitudo* erga Dominum.

28. *S. P. amor Iesu et Mariae.*

29. *S. P. zelus animarum, desideria, opera....*

30. *S. P. mors* beata, *desideria* mortis *purissima* ad solam DEI gloriam maiorem. Quam iuste ac sapienter ad *finem,* scil. ut laborem ac pati gaudeam propter finem, cuius consecutio ita desideranda, ut nec uno momento velim praeveniri momentum

a divino beneplacito destinatum. Sit ubique mors *in desiderio animae,* sed desiderium sit purum et omnino divino beneplacito subordinatum.

31. *Ad maiorem DEI gloriam.*

1 Aug. *Gratiarum actio, examen status.* Voluntas DEI *in omnibus.*

2. *Messis multa, operarii pauci.*

3. 4. 5. } *Sermo Domini in monte. Beati pauperes ...*

6. *Transfiguratio Domini.* Talis *gloria Domino debita,* sed Ille mei amore huic *renuntiat et proposito sibi gaudio torcular calcavit, sustinuit crucem.*

7. *Confirmatio Societatis* (1). Gratiarum actio, deprecatio, petitio. *Opus Domini.*

8. *Beati mites ...*

9. *Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam.* Quid *ferius,* quid *violentius fame* ac *siti.*

10. *Nisi granum frumenti ... mortuum fuerit ...*

11. *Dom. XI. p. P. Omnipotens sempiterne Deus,* nos ipsa infirmitas et hesterni, *cras tollet me factor meus ... abundantia pietatis et merita supplicum excedis et vota.* Nihil sum et nihilo peius, quid *meriti* esse potest ex me! *Vota* quaecumque in sola pietatis Christi abundantia nituntur, tamen utraque *excedit* pietas Domini! *Effunde* etc.

12. *Beati mundo corde, pacifici, qui persecutionem patiuntur ...* Promissa *beatitudo* non solum de vita futura, sed et de praesenti suo modo intelligitur. *Ipsorum est regnum, iustitia, pax et gaudium in Spiritu S.*

13. *Vos estis lux mundi,* singulari dono DEI; *lucent* autem non modo contemporaneis suis et vitae suae spectatoribus, sed et posteris aetatibus, ad quas eorum lux virtutum pervenit. Ita V. Berchmans (2) *luxit* et etiam nunc *lucet.*

14. *Christo dormiente tempestas ... Domine salva nos, perimus.*

15. B. V. quia *purissima,* praeservata a corruptione. Puritas mentis, cordis, oris, operis, quia *humiliata;* exaltata super choros Angelorum humilis et humiliata.

16. 1° *Dominus compulit* discipulos transfretare. *Non quod placet, sed quod vult Deus.* 2° *Ipse in montem solus orare ...*

---

(1) Die 7 Sept. a. 1814 Societas Iesu a Pio VII in universo terrarum orbe restituta erat.

(2) Cuius memoria d. 13 Aug. agebatur. Io. Berchmans (1598-1621) a. 1888 a Leone XIII Sanctorum catalogo ascriptus est.

3° *Laborabant in remigando, erat enim contrarius ventus.* Non tamen redierunt, sed *contra ventum remigabant.*

17. 1° *Vidit Dominus eos laborantes*... Cum Patre agens in oratione eorum non obliviscitur et constantiam in laborando inspirat. 2° *Venit ambulans super mare.* Discipuli *timent* et ibi timent, ubi maxime debebant confidere; effectus ignorantiae. 3° *Ego sum,* non minus miraculum sedasse turbationem animorum, quam fluctus vestigia calcasse. 4° Petri ardor, fides, dubitatio, periculum, salus.

18. *S. Ioachim,* Pater sanctus filiae sanctissimae. *Sanctitas Patris via compendiosa ad sanctificationem filiorum.* In hoc meo gradu et officio ita sim *interius* et *exterius,* quales esse debere intelligo filios meos. O quam acer stimulus ad omnis perfectionis acquisitionem et exercitium! *Forma gregis*...

19. *Dominus dedit eis potestatem eiiciendi daemonia et ut languores curarent. Mitto vos sicut agnos inter lupos. N. B.* Ego mitto vos, nil timendum. *Prudentes*... *et simplices* seu patientes.

20. *Magdalena,* quam compuncta, confusa, tacita comparet coram Domino!

(De *S. Bernardo. Si Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiae replebit illum. Nemo potest accipere quidquam*... *Nostrum est nos disponere*).

21. *Magdalenae* actus *lacrimis, capillis, osculis, unguento.*

22. Octava Assumptionis et S. Stanislai.

23. *Multiplicatio panum,* discrimen inter *humanam* misericordiam discipulorum et *divinam* Christi.

24. *Festum Reliquiarum. Auge in nobis, Domine, resurrectionis fidem*... et *multiplicatis intercessoribus*... (Fiduciae augmentum tum in universis necessitatibus Societatis tum de salute Fr. Linari [1]...). *Secretum meum mihi.*

25. *S. Bartholomaei. Ascendit in montem solus orare, erat pernoctans in oratione DEI.* Qualis oratio huius *Domini, Magistri, Zelatoris, Medici, Pastoris, Patris, Salvatoris! Latitudo* extendens se in totum universum, *longitudo* usque ad finem saeculorum et ultra, *sublimitas* in consilia Dei, *profundum* in abyssum miseriarum generis humani. *Domine doce me orare. Domine, magister, zelator*... Pro oratione.

Da nobis fidei, spei et caritatis augmentum.

26. De *Domini Transfiguratione.* Quanta *gloria* sibi debita se Christus Iesus amore mei *privavit,* proque ea *paupertatem, contemptum, dolores* sustinuit *volens!* Ad *amorem* et *exemplum.* Transfiguratio.

---

(1) Paulus Linari (1813-1833) magnae spei novicius, qui vix Societatem ingressus d. 10 Sept. pie in Domino obiit.

Lazari resuscitatio. 27. *Lazarus,* Christus non sanavit *aegrotum* ut suscitaret *mortuum.*

28. *Maria* ungit *caput* Christi. Viros principes, praelatos iuvare, ubi occasio se offerat, est *ungere caput* corporis mystici Iesu Christi.

Passio Dni. 29. *Solvite illam, dicite quia Dominus his opus habet.* Commotio illa populi, cantantis *Hosanna,* mirabilis operatio motionis divinae.

30. Post tam solemne Hosanna, *nemo* est *qui* Dominum *recipiat* in domum suam, hoc praeludium ad futurum mox *Crucifige!*

31. *Unus ex vobis me traditurus est. Numquid ego sum, Domine?* Nemo sit inter nos, Domine, *per misericordiam tuam.*

1 Sept. *SS. Cor Mariae, purissimum, humillimum, afflictissimum,* et in afflictione *generosissimum.*

2. *Institutio SS. Sacramenti.*

3. *Hortus. Transeat a me, non mea, sed tua voluntas ...*

4. *Tristis est anima mea; sanguinem sudat.* Ita Cor innocentissimi Iesu angustiatum et ego *solatia* quaeram?

(Tanta DEI beneficia ... Si tandem homo excidat fine suo, quanta DEI iniuria et hominis miseria!).

5. *Comprehensio Domini. Tamquam ad latronem ... Sed haec est hora vestra.*

6. *Ad Annam ... Dedit alapam Iesu ...*

7. *Notum fac mihi, Domine, finem meum, ut sciam ... Et nunc quae est exspectatio mea? nonne Dominus?* Exhortatio ad PP. 3ae. Probationis.

8. *Nativitas tua, Dei Genetrix Virgo, gaudium annuntiavit.* Universus mundus *sine gaudio,* quia rebellis, degradatus, per innumeros errores et dolores in aeternum ruebant supplicium. Nunc vero, nascente electa ac dilecta Virgine, quae sola sine exemplo placuit, *gaudium annuntiatur,* futurum scilicet, ut gaudeamus iam in *spe.*

Passio. 9. *Christus ante Caipham et Petri lapsus. Iniustitia* iudicum *humiliter* a Christo et in *silentio* tolerata, quia *iustitiam Patris* solam intuebatur, quae nostrarum culparum poenam reposcebat.

Petri lapsus, quam horrendum, si in hisce apostasiae temporibus *aliquis* etiam ex *Societate* labatur! *Iesu, labentes respice,* ut Petri poenitentiam imitentur.

10. Christus *tota nocte* in manibus inimicorum blasphemantium, insultantium.

11. *Ante Pilatum ...*

12. *A Pilato ad Herodem,* quomodo *abscondita divinitas* sinit se ita tractari! Quid mirum, si etiam nunc DEUS Iusti-

tiam suam et Sapientiam et Providentiam *abscondit,* ac sinit impios triumphare!

13. *Ad Pilatum flagellatus, spinis coronatus. Ecce homo...* Quanta *iniustitia* ex parte hominum, sed ex parte DEI *iustitia excellentissima.* Ita in rebus humanis consideranda *iustissima* et *altissima voluntas DEI.* Patimur vel ob peccata nostra, vel ut cum Christo victimae et ipsi simus divinae iustitiae, quod posterius sane nobilissimum. At in utroque casu *iustissima, altissima* et vero etiam *amabilissima Voluntas DEI.*

14. *Nunc iudicium est mundi, nunc Princeps huius mundi eiicietur foras, et ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum.*

15. *In periculis, in angustiis, in dubiis Mariam cogita, Mariam invoca, non recedat ab ore, non recedat a corde.*

16. *Pilatus tradidit Iesum voluntati eorum* clamantium: *non habemus regem nisi Caesarem!*

17. *Baiulans sibi crucem, angariaverunt Simonem.*

18. Crucifixi verba septem.

19. *Sitio* gloriam Patris et hominum salutem, at quam male ab hominibus respondetur! Hic habeo in crucifixo exemplar ad ferendos dolores meos in isto genere in hoc meo munere. *Sitio.*

20. *Sitio* de mea propria perfectione. O si ego vere sitirem! pro me, pro meis, pro omnibus...

21. *Sitio.* 1° litteraliter ad sensum sitis exprimendum, 2° ut adimpleatur prophetia ex decreto divino, 3° sitio gloriam Patris, 4° salutem et perfectionem *hominum.* Multiplici hoc sensu *acetum felle mixtum* accipit, neque alia satisfactio nisi in 2° sensu, adimpleta *voluntate divina,* unde postea *Consummatum est.* Omnia ad imitationem, cum resignatione plena in *voluntatem DEI.*

22. *Stemus iuxta crucem,* generose et constanter cum *Maria Matre* Iesu, quae non abscondit se, non fugit, neque erubuit adstare, sed dolorem immensum *stans* sustinuit, offerens se cum Filio.

23. *Depositus de cruce.*

24. *Sepultus,* et *custodes* positi; custodes adhibendi post Sacrum.

25. *Resurrectio, Apparitio Matri SS.*

26. *Mulieres: quis revolvet nobis lapidem, erat quippe magnus valde,* figura impedimentorum ad inveniendum Christum, eique me uniendum. Resurrectio.

27. *Iterum.* In quaerendo Christo imitanda mulierum *diligentia* et *generositas* ex *amore.* Impedimentum (lapis) removendum non *meis viribus,* sed si fidelis fuero inveniam *revolutum lapidem.* Cavendum porro, ne quaeram Christum, *ubi non*

est: non in exercitiis a meo officio alienis aut in iis quae mihi placeant.

28. *Repetitio hesternae.*

29. *S. Michael,* Princeps *sapientissimus, fortissimus, humillimus. Contra ducem superbiae sequamur.*

30. *Maria Magdalena* ad sepulcrum Dominum quaerit *cum dolore* et *lacrimis.*

1 Oct. *Maria* cum *timore* et *gaudio* ... *Avete,* dicite *fratribus* meis.

2. Mulieres videbantur discipulis *deliramenta* loqui; *incredulitas* hic, non quod id nollent esse quod nuntiabatur, sed quod *nimis bonum nuntium* existimarent. *Diffidentia, humanus* modus cogitandi.

3. *SS. Angelorum Custodum.*

4. *S. Petro* apparet Dominus.

5. *Emmaus* ... *O stulti et tardi corde!*

6. *SS. Rosarii,* Oratio Festi.

Apparitio 6a. 7. Apparitio *decem Apostolis. Pax vobis* ita dic, Domine, in corde meo, in medio facultatum mearum et in Societate, in *medio* fratrum meorum. *Tantum dic verbo.*

Apparitio 7. 8. *Apparet S. Thomae* ... Separatio a ceteris quanto damno Thomae!

9. *Nisi videro* ... Licet ita iactans, tamen postea ... Ita fere homines in passione ... et misericordia Domini *vincit* eos.

10. *Dominus Iesus verae humilitatis exemplar.* In S. Francisco Borgia *vera* humilitas, quam paupertatis amor et contemptus et dolorum comitabatur.

» 8. 11. *Apparitio ad mare. Vado piscari, et nos tecum.* Per totam noctem frustra laborantes, non tamen impatientes aut fastidiosi. Et tamen nondum acceperant Spiritum S.! Scilicet ad patientiam exercitati.

12. *Idem.* Notanda minor familiaritas in tractando cum Domino redivivo et glorioso, *maior reverentia.*

13. *Maternitas B. M. V.* Divina sapientia, quae ab aeterno praevidit lapsum generis humani et *permittendum* statuit, etiam ab aeterno *remedium tale* adferre constituit. Ita cogitandum in *malis* quibuscumque.

O Mater, gratis electa et ideo humillima simul et sublimissima!

» 9. 14. *In locum, ubi constituerat illis Iesus. Ibi* Iesum vident eiusque societate fruuntur. Ita ego in *hoc loco* et *munere,* ubi constituit mihi Iesus. *Hic* ego *ascensiones in corde disponere* debeo, *hic benedictionem dabit legislator.* Quid maeror aut fastidium aut aliena ab *hoc loco* desideria? Voluntatis scilicet propriae, non divinae motus.

15. *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra.* Ergo *confidite.*

16. *Quingentis fratribus simul.* Varii varie primum affecti, Apparitio 10. sed tandem omnes, admirantes *prae gaudio* crediderunt et ex gloria Capitis animos ceperunt ad imitandum.

17. *Visus est Iacobo* ... Recordatus fuerit de *potestis bi-* » 11. *bere calicem* ...?

18. *Iosepho ab Arimathea,* memoria Sepulturae. » 12.

19. *Novissime, tamquam abortivo, mihi.* In Paulo propriae » 13. indignitatis intimus ac *verus* sensus, nec tamen ideo minus gratias sibi factas agnovit.

20. *Puritas B. Mariae V.* Puritas *corporis* et *puritas mentis.* Haec in humilitate, cuius fructus perfecta subiectio divinae voluntati in omnibus. Haec perfecta *puritas,* voluntas propria *impura.*

21. *Sedete in civitate, donec induamini virtute ab alto.* Non Ascensio Dni. modo Christi doctrina et miracula, sed neque redivivi apparitio in multis argumentis et instructionibus per 40 dies satis erant, nisi *virtus ab alto* illos proxime disponeret ad opus evangelicum. Quam ergo necessaria haec *virtus ab alto!*

22. *De Examine particulari.* Voluntas divina spectanda in omnibus. Totum ab applicatione pendet.

23.
30. } *De fine.*

31. *De regno Christi. Rex aeternitatis* et universorum Do- De Regno Christi minus. In parabola vis praecipue in eo, quod Rex dicatur *a DEO* electus.

1. Nov. *Rex Sanctorum, Caelestium.*

2. *Rex* ... *infernorum,* animarum in Purgatorio.

3. Quam aequum totum se *offerre ad laborem!*

4. *Praeclariora* etiam *munera* Regi *tali* ac *tanto* in *tali expeditione.*

5.
6.
7.
8. } Sanctorum gloria et patrocinium.

9. *Dedicatio Ecclesiae. Caelestis urbs Ierusalem. Sed illa sedes caelitum,* nos *almae Sionis aemuli.* Beata communio Sanctorum.

10. *Patrocinium B. V. Mariae.* Potentissima ob *dignitatem* et *merita. Patrocinium* in necessitatibus *privatis* et *publicis.* Privata, temporalia quid sunt nisi merum nihil!

11.
12. } *De duobus Vexillis.*

13. *S. Stanislai.* Omnis Eius sanctitas fundata in illo: *Non*

ad ista sed ad aeterna natus sum. Veritas simplicissima, notissima sed totum in applicatione practica consistit.

In aeternam ingredi requiem festinemus, non tam de praematura morte, impleta citius mensura, intelligendum, quam de vitae puritate et sanctitate, quae efficiat, ut quam minimum aut plane *non* sit *differendus ingressus in aeternam requiem post mortem.*

Infirmitates.

14. *Beneficia infirmitatum* ac *dolorum.* Gemitus sit *Amen.*

15. *Providentia divina in illis.* Ab aeterno praevisae, dispositae, commensuratae, quantum ad intensionem et durationem.

Remedia multo magis in DEO, quam in mediis humanis. Corpus post tot saecula arti medicae et chirurgicae *mysterium* ... Si quod membrum aut membri pars aliqua dolet, numerentur, si fieri potest, beneficia divina in tam multis aliis, quae non dolent.

16. De eodem.

17. De eodem.

18. *Dedicatio Ecclesiae.*

De tribus modis humil.

19. De *tribus gradibus humilitatis.* In 1° *modo, necessario,* S. Pater ponit *quantum in me erit,* recte. Non quod impossibile sit peccatum mortale vitare semper, sed *iubendo admonet... petere quod non possis.* Scilicet, ut in difficultatibus ordinariis, gratia ordinaria sufficit nec umquam deest, ita in extraordinariis periculis, tentationibus, etiam sancti homines *gratia extraordinaria* indigent, ne succumbant. Et haec humili diffidentia de se et fiducia in DEO per orationem obtinenda. *Fidelis DEUS.*

20. De 2° *modo humilitatis.* Indifferentia vera et practica actualis conditio sine qua non, ac dispositio *absolute necessaria* ad vitanda constanter peccata venialia. Nihil magis conveniens creaturae *rationali* et *fideli,* et tamen tantae difficultatis in praxi! ... Quid hoc est nisi caecitatis et perversitatis meae naturae effectus deplorabilis.

21. *Praesentatio B. V.* Oblatio sui *prompta, generosa, constans,* cognita divino lumine Maiestatis illius infinitae dignitate.

22. De 3° *modo humilitatis.* Praesupponit 1^m^ et 2^m^, indifferentiae gradum longe excedit, amore Iesu Christi.

23. Beneficia DEI et mea ingratitudo *per annos 48* (1).

Dedicatio Templi.

24. *Dedicatio Templi nostri.* Praeparatio ad *Exercitia.* Zachaeus princeps, sed pusillus, desiderat videre Iesum, ascendit in arborem sycomorum, a Iesu benigne vocatur. *Ecce Domine.* Ego *Praepositus Generalis,* at virtutibus ac meritis *minimus, prae turba* negotiorum Iesum videre saepe non possum ... *Exeundum, ascendendum,* cum magno desiderio et *spe* magna in Domini *benignitate.*

---

(1) Dies natalis Servi Dei, 23 Nov. 1785.

25.-3 Dec. *Exercitia octiduana.*

3. Confirmatio propositi circa *abnegationem voluntatis* in negotiorum turba.

4. De conformanda voluntate et propria abneganda.

5. *In principio erat Verbum ...*

Omnia per ipsum ... sine ipso factum est nihil. Etiam in morali mundi statu, sine Verbo, sine Christo *nihil, chaos, mala omnia.*

6. *Fuit in diebus Herodis ...* Omni tempore, etiam cum dominantur impii, habet DEUS suos *iustos incedentes in omnibus mandatis eius sine querela.*

7. *Liber Generationis. Verbum* generationem humanam habere dignatur et inter *progenitores* tam multos *pessimos!* Fides, spes, caritas ... Mali progenitores remedium tantis malis promissum non impediverunt!

8. *De qua natus est ... O sola sine exemplo placuit* electa et praedilecta perfecte respondit. *Cuius vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias.* Vita, licet privata, quia sancta, *inclyta* et *illustrat.* Annuntiatio.

9. *Missus est ...* Personae.

10. *Missus ...* DEI Bonitas, hominum malitia et ingratitudo, et praesertim *mea.*

11. *Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu,* cum oppositione ad dispositiones *meas,* et oratione ut particeps reddar.

12. *Turbata cogitabat ...* Hoc *cogitabat* imitandum in verborum et eventuum cogitationibus; *cogitare ...* Christi Domini infinita dignitas.

13. *Ecce ancilla Domini.* Humilitas Virginis *ex vera sui cognitione, sui scil. nihili ex se.* Quid deberet esse in me, si *veram* haberem cognitionem mei non solum *nihili,* sed etiam *pravitatis?* Et tamen Virgo tam pura humilitate omnes humiles superavit! Quia *purior* omnibus, *puriori oculo* proprii *nihili* abyssum simul et divinae *maiestatis* excellentiam contemplabatur. *Noverim Te, noverim me.*

14. *Ecce ancilla Domini. Fides,* quam heroica tot mysteriorum ac mirabilium, idque vi internae illustrationis clarissimae, quae omne dubium excludebat! *Lumen divinum* pia ac docili voluntate susceptum, *resignatio sui* in multos et gravissimos labores.

15. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Fiat ...* promptius est illud *fiat* quam *faciam,* facilius *pati* quam *agere.* Sed in utroque voluntas mea nulla sit, voluntas DEI sola regula, in rebus quotidianis personalibus, in Societatis negotiis, in mundi eventibus. *Ecce ancilla Domini.*

Ubi agere aliquod aggredior, animus maneat liber et voluntas resignata.

Fiat ... agi, idque non solum, ut hic in opere plane divino, quod a Virgine non dependebat, et in quo solum passive per consensum se habere poterat, sed et in variis actionibus necesse est magis *agi* spiritu DEI quam *agere.*

Visitatio Elis.

16. *Exsurgens abiit in montana,* etiam hic *acta* magis quam *agens,* et vero opera mirabilia, in Ioanne, in Elizabeth, *DEI* opera.

17. Ad Patres tertiae probationis *de abnegatione. Vincere seipsum* supponit pugnam, pugna supponit inimicum, *inimicus quis* est *vincendus?*

18. *Magnificat.* Vide Virginem, extra se raptam, Spiritu Sancto plenam. Exsultat de Domini bonitate, quae suam humilitatem, *se vilem,* respexerit, illa tanta tam *excelsa Maiestas!*

19. *Cum esset desponsata, inventa est.* Angustiae Ioseph, Mariae afflictio et in afflictione *silentium.*

20. *Nativitas Ioannis Bapt.*

21. 22. 23. *Benedictus, visitavit, ad faciendam misericordiam cum patribus nostris,* explendo promissa ipsis facta, et propter illos benefaciendo filiis eorum, quamvis indignis.

Nativitas.

24. *Exiit edictum a Caesare Augusto.* Caesar mundum universum conturbat uno edicto, Iesus Rex pacificus in sinu matris.

25. Maria, Ioseph, Iesus puer, natus cum esset *ibi.*

26. Ego de numero eorum, de quibus dictum est: *coram illo procident Aethiopes, et inimici eius terram lingent* (1).

27. *S. Ioannis,* cuius spiritus idem qui postea Ignatii. *Spiritus Societatis Iesu* mihi et aliis omnibus nostris ...

Pastores.

28. *Pastores vigilantes* et *custodientes vigilias.* Illi simplices humiles, egeni, mortificati *accedant; ego procidam, terram lingam.* Utinam aliquando divinus Infans me, melius dispositum, invitet ad accedendum propius!

29. *Menstrua recollectio. Homo* peccator, *Christianus,* peccator, *religiosus* peccator, ecce tituli ... *Notum fac ...* Abnegatio constantius exercenda.

30. Pastores venerunt festinantes, ego non *curro,* non *eo, ambulo* vix. *Et tamen redimendum tempus, ut in aeternam ingredi requiem festinemus.*

31. *Videntes cognoverunt ... et omnes ... mirabantur. Maria conservabat ... conferens in corde suo, Pastores reversi sunt, laudantes et glorificantes DEUM.*

---

(1) Ps LXXI, 9. In Commentario S. Rob. Bellarmino, quo Servus Dei uti solebat, h. l. legitur: « Aethiopes ... quia nigri, feri moribus, maxime abesse videbantur a cultu veri Dei ».

1834.

1 Ian. *Iesus* salvat a *peccatis,* salvat merita faciens per *virtutis actus,* salvat per mundi *persecutiones.*

2. *Circumcisio.*

3. 4. *De mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo.* Pro exhortatione ad Collegium Romanum.

5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. Stella, Magi, Herodes, in quo omnis generis passiones. Magorum fides, munera. Infantium caedes, Herodis crimina, DEI in illis permittendis providentia in *bonum. Praesentatio in Templo, Maria, Iesus, Simeon ...* Adoratio.

13. *Remansit ... et non cognoverunt parentes eius.* Mariae in hac gravi afflictione *humilitas* sine animi defectione, *resignatio* sine *socordia, sollicitudo* sine anxietate, sed operosa, *oratio* cum fiducia, sine praesumptione, quam perfectae virtutes! Iesus in Templo.

14. *Fili, quid fecisti nobis sic?* Humiliter imitanda haec oratio.

15. *Factum est verbum Domini super Ioannem.* Illa tanta Ioannis *efficacia,* ille populi *consensus* et *motus,* opus Domini.

17. *Genimina viperarum,* tamen ad conversionem hortatur. *Facite ergo ... Patrem habemus Abraham.* Patres Sancti magna gratia, sed hac ne temere et cum praesumptione fidamus.

18. *Cuius non sum dignus corrigiam calceamenti solvere. Cuius ventilabrum ...*

19. *SS. Nomen. Ego autem in Domino gaudebo ... S. Nominis tui, Domine, timorem pariter et amorem ...*

20. *De plenitudine eius nos omnes accepimus. Medius vestrum stetit, quem vos nescitis.*

21. *Ecce Agnus DEI.*

22. *Iesus ductus est in desertum a Spiritu.* Scilicet Spiritus S. *ducit in desertum, ut tentetur, ut ieiunet. Et erat cum bestiis terrae.* Ad haec ducit Spiritus S. Tentatio Dni.

23. *Desponsatio B. V., cuius Deus humilitatem respexit, quae Angelo nuntiante concepit, concepit Salvatorem mundi.*

Sancti *uno die* plus fecere pro DEO quam nos *tota vita, illi tota vita* non peccaverunt, quantum nos *uno die.*

24. *Iterum Ioannes: Ecce Agnus DEI.* Hoc nomine vocat Iesum Ioannes, indicans *innocentiam* et *statum victimae.*

Gaudere debeo, quia *non gaudeo,* solatium capere, quia consolationibus careo etc.

25. *Conversio S. Pauli. Durum est tibi contra stimulum calcitrare.* Certe Saulus, licet putaret *obsequium se praestare DEO, stimulos* sentiebat; fiducia hinc sumenda ad admonendos delinquentes, et dicendum etiam ipsis *durum est tibi.*

Nuptiae in C. G.

26. *Nuptiae in Cana Galileae.* Iesu et Mariae commiseratio et bonitas in sublevanda necessitate, neque tam gravi neque supernaturali, *vinum non habent.* Quanto magis *Mater misericordiae* pro necessitatibus altioris ordinis!

Venditio in Templo.

27. *Eiecit vendentes et ementes de templo.* Potentia, iustitia et simul bonitas.

Iudaei petunt signum, quasi vero hoc ipsum non esset miraculum.

28. *Amen, nisi quis renatus fuerit... Nati* male, necesse *est renascamur etc.*

29. *Nemo potest accipere quidquam...*

30. *Si scires donum DEI... petisses. Scire donum DEI* initium salutis; non petimus, quia caeci nescimus donum DEI.

31. *Qui biberit ex aqua hac, sitiet iterum.* Hoc de omni bono creato, de omni solatio transitorio, immo etiam de consolationibus spiritualibus in *hac vita.*

1 Febr. *Spiritus est Deus et qui adorant eum, in spiritu et veritate...*

2. Recognitio status, studiosior cura examinis particularis circa *resignationem* et *verborum parsimoniam.*

3. *Nisi signa... Domine descende... Vade, filius tuus vivit. Credidit homo...* Mira vis verborum Domini, *Vade... credidit.*

4. Vocatio Petri, piscatio... *Exi a me Domine.* Favores Domini humilitatem ingerunt.

5. *SS. Martyres Iaponenses.....*

6.
7.
8.
9. } Christi miracula sanitatum, daemonum tyrannis, tempestas sedata.

10. *Et virtus Christi ad sanandum eos,* dum sedebat inter Pharisaeos et populum multum. Vere Dominus inter nos in SS. Eucharistia;... praesertim id cogitandum in magno populi concursu, exposito SS. Sacramento.

1. *Matthaei vocatio.* Notanda Matthaei in narratione hac humilitas.

12. *Bona est oratio cum ieiunio,* praeparatio ad Quadragesimam.

13. *Iairus et mulier sanguinis fluxu ... Benignissima* Christi *caritas,* ad solandos afflictos. *Ne timeas, tantum crede, confide, filia,* ad pauperculam timentem ac trementem.

14. *Caeci, creditis, quia hoc possum vobis facere?*

15. Sciens *quia iam multum tempus haberet* (38 annos): *Tolle grabatum etc.* O christe, scis quia multum tempus habeo in languore meo ... !

16. *Pater meus usque modo operatur et ego operor; sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio ...* Christi Domini divinitas et excellentia!

17. Miraculum *manus aridae.* Domini benignitas et zelus in Pharisaeos ... *Circumspiciens eos cum ira et contristatus super caecitatem eorum. Manus arida* imago impotentiae meae.

18. *Ascendit in montem, pernoctans in oratione DEI, vocavit ad se quos voluit Ipse.*

19. *Beati pauperes, qui esuriunt, qui persecutionem patiuntur.*

20. *Vos estis sal terrae, lux mundi ... Sal mundi, qui* contactu operatur, esse debemus in *conversatione, lux,* quae eminet ac late illuminat, in *ministeriis publicis.* Sermo in monte.

21. *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis. Videant* quidem *opera vestra bona* (*non vos*) *et glorificent Patrem* (*non vos*).

22. *Petite et accipietis.* Quid petam, Domine, nisi *misericordiam,* quae omnia complectitur, mihi, Societati, Ecclesiae, mundo universo.

23. *Assimilabitur viro sapienti, qui aedificat domum suam* super petram. Fodit in altum tollendo arenam ac terram levem, donec solidam petram reperiat. Ita scilicet inchoandum aedificium spirituale tollendo affectiones humanas et mundanas.

24. *S. Mathiae.* Electus Mathias prae Ioseph, cognomine Iusto. Ita qui minus honoratur ab hominibus, magis honoratur a DEO. Tamen et Ioseph iustus DEO carissimus. *Tuae pietatis semper viscera sentiamus!*

25. *Domine, non sum dignus ... Dicebant de illo, quia dignus est; amat enim gentem nostram etc.* En vera humilitas: esse et reputari ab aliis *dignum* et existimare se *indignum.*

26. *Filius unicus efferebatur ... Noli flere.* Domini misericordia et potentia, Ille solus efficaciter dicere potest *noli flere.* Naïm.

27. *Pauperes evangelizantur et beatus qui non fuerit scandalizatus in me ... Venit Ioannes non manducans ... daemonium habet. Venit filius hominis ... potator.* En mundi perversa iudicia, cui placere non potest DEI servus.

Magdalena.

28. *Mulier in civitate peccatrix.* Admiranda quidem humilitas, sed magis admiranda fiducia et Domini misericordia. Et haec valde placuit Domino, nec fraudata est sed cumulate expleta. O Domini benignitatem! Illa autem peccatrix nondum viderat Dominum pro peccatoribus *crucifixum.*

1 Mart. *Finis,* voluntatis propriae abnegatio et cum divina conformatio.

2. *Daemonium... et illud erat mutum.* Erat et caecus, scil. qui caecus est, qui nec DEUM novit nec *seipsum, mutus* est ad confitenda peccata sua, mutus ad DEI laudem.

3. *Mater tua et fratres tui foris stant, quaerentes te.* Iesus autem erat circumdatus turba pauperis populi.

4. Semen *inter spinas,* sollicitudines temporales. O quam necessarium, ut hae sint pure propter DEUM.

5. Parabola *zizaniorum* cum applicatione ad sollicitudines importunas.

6. Parabola *seminis, quod excrescit dum ipse dormit.* Nostrum est seminare, reliquum DEO committere, absque anxia sollicitudine *quae nihil prodest;* sed semen fructum faciet, paulatim, etiam nobis ignorantibus.

Granum sinapis et *fermentum* tam de malo quam et de bono intelligi potest, exiguo, minimo, sed effectus non exigui, non minimi.

7. *Thesauro abscondito in agro...* Qui invenit, *abscondit* et *vendit omnia.*

8. *Spiritus Domini super me, evangelizare pauperibus, sanare contritos corde.*

9. Turbae sequuntur Dominum. Quam suavis Christi praesentia! sed qui *pudor,* parum delectari praesentia eius et conversatione in SS. Eucharistia!

Philippi imperfecta Christi notitia.

Multiplicatio panum... Populus regem facere volebat, quid nos SS. Eucharistiae miracula intuentes sentire par est de Christo?

10. *Missio apostolorum. Appropinquavit in vos regnum DEI.* Haec materia praedicationis et conversationis. *Gratis accepistis, gratis date,* paupertas dispositio ad apostolatum, *pax huic domui* salutatio in ingressu.

11. *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum, estote ergo prudentes...*

12. *Non est discipulus super magistrum... Si Patrem familias Beëlzebub... Nolite timere... Qui me confessus fuerit...* Quam glorificati SS. Patres Ignatius et Franciscus (¹),

(¹) D. 12 Mart. commemoratur Canonizatio SS. Ignatii et Franc. Xav.

quod *Christum* confessi sunt *coram hominibus,* coram inimicis Christi.

13. *Non veni pacem mittere. Qui amat ... plus quam me, non est me dignus.*

14. *Christi ... desiderium patiendi ...*

15. *Christi timor, tristitia, taedium, agonia.* Ego vero gaudere velim?

16. *Tristitia Christi* et peccata hominum. Quanta *hominis infamia,* qui Creatori suo tristitiam ... In cor illud, gaudii sedem, amaritudinem ... !

17. *Surgite, eamus. Comprehensio.*

18. *Ad Annam,* ratio nulla habita iustissimae responsionis.

19. *Petri lapsus,* pro mensura praesumptionis praecedentis (quamquam ex principio *boni* affectus sed inordinati) est lapsus, isque semper profundior. *S. Ioseph* contra, filius *accrescens.*

20-29. *Mysteria Passionis.* Nulla ratio habita iustitiae nec rationum iustissimarum, passionis caecitas!

30. *Resurrectio Domini, aeternitatis aditum reparasti,* devicta morte et inferno, et aperta via ad beatam aeternitatem, vota nostra.

31. Mulieres, licet imperfectae, tamen *ob piam intentionem* placuerunt.

1 Apr. Mulieres, cum *timore et gaudio magno.*

2. Mariae Magdalenae *perseverantia,* licet cum defectu fidei, tamen quia *ex amore ... Mulier, quid ploras?*

27. *Cor mundum crea etc.* Cordis mundities non solis eruendis *peccatis,* sed et peccatorum *radicibus,* et in examine non de inquirendis solum *peccatis,* sed vel maxime de *cordis motibus,* qui ex vitiorum radicibus pullulant, curandum est. *N. B.*

28. *Miserere mei DEUS.* Miser, miser ego, et totus a misericordia Domini pendeo.

29. *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco.* Beatitudinis initium *cognoscere* iniquitatem suam, non cognoscere miseria maxima. O Domine miserere.

30. *Ecce enim in iniquitatibus ...* Quanta iniquitas, esse tam parum gratum pro beneficiis, tam durum ad orationem; effectus degradationis humanae.

1 Maii. *B. Virgo sola sine exemplo ...*

3. *Crux* dolorosa et ignominiosa, sed gloriosa Christo et in futurum.

5. *Vidit eos laborantes in remigando;* tales respicit DEUS.

6, 7, 8. *Ascensio Christi.*

9. *Omne quod dat mihi Pater ...* (ita tamen dat Pater, ut in his etiam inveniantur, qui recedant ut Iudas) non *ut faciam voluntatem meam* etiam circa salvationem hominum. Mysteria!

12. *Patres vestri manducaverunt manna et mortui sunt.* Quia miracula illa tanta *visibilia* non producebant in illis *fidem invisibilium.* Quod contra in SS. Eucharistia contingit, quae vere est mysterium fidei. Hinc etiam patet motiva credibilitatis, quantumvis evidentia, nec sufficere per se ad fidem ingerendam incredulis nec eam impedire in fidelibus. Accedat necesse est gratia et bona voluntas.

Festa Pentecostes et SS. Corporis Christi et SS. Cordis. Inter haec de hominis magna necessitate, qui cum sui cordis passionibus iter mortalis vitae agit, velut qui beluas secum ducit quae catenam rodunt semper, et ni cautus ille sit, periculum semper praesentissimum habet; aliqua vero identidem levia vulnera vix et ne vix quidem vitare potest.

7 Iun. Apostoli *obliti sunt panes sumere;* simplicitas et exigua cura rerum temporalium. Dominus: *cavete a fermento Pharisaeorum.* Morum *simplicitas,* licet ex ignorantia et parva spiritualitate, non tamen displicet; cum illis Dominus versari delectatur.

8. *Protector in te sperantium, DEUS ... DEUS, qui neminem in te sperantem nimium affligi permittis ...*

9. *Quem dicunt homines esse filium hominis?*

10. *Tunc* (post Petri confessionem) *coepit illis aperte dicere, quia oportet eum multa pati a senioribus etc.*

11. *Si quis vult post me venire.* Et quis non velit, o Domine, sed nimirum ...

12. Veniendum post Iesum *in hac vita,* hoc multi nolunt.

13. *Abneget semetipsum,* crucifigere carnem cum vitiis et concupiscentiis, etiam per se non vitiosis, hoc est abnegare semetipsum totum.

15. *Mundi cursus pacifice tuo ordine gubernetur ...*

16. *S. Ioannes Franc.* admirabili caritate et invicta patientia. Caritas sine patientia non est caritas, patientia sine caritate non potest durare.

17. et seqq. *de Christi transfiguratione.* Omnia in confirmationem mortificationis paulo ante praedicatae.

21. *S. Aloysii.* Puritas, mortificatio passionum, sensuum custodia, asperitas, hae dispositiones ad illos amoris excessus.

22. *Diligentibus et bona invisibilia praeparasti.* Oratio Dominicae.

23. et seqq. De perfectionibus divinis ex P. Aquavivae epistola *De bono orationis usu* (1).

---

(1) Litterae d. 12 Mai. a. 1599 ad PP. et FF. Societatis Iesu datae, de Oratione et Poenitentia, cp. 3. (Epp. Praep. Gen. Gandavi, 1847, vol. I).

1 Iul. Pro exhortatione: *Praeparate corda vestra, vigilate et orate,* iam instantibus tribulationibus.

4. *Ponite vos in cordibus vestris sermones* istos, de passione.

5. *Magister vester non solvit didrachma?* Qui bona inaestimabilia ferebat omnibus, ab eo postulatur!... *Ne scandalizemus eos.* Mira Providentia.

6. *O Domine, cuiuc dextera B. Petrum ambulantem in fluctibus, ne mergeretur erexit.* In fluctibus et ego ambulo. In periculo *ne mergar.*

7. *Intravit cogitatio in eos, quis eorum maior esset.* Humani affectus, quam suaviter a Domino correcti! *Quid in via tractabatis? Nisi ... sicut parvuli ...*

8. *Vidimus quemdam ... qui non sequitur nos. Nolite prohibere, nemo est qui faciat virtutem in nomine meo, et possit cito male loqui de me ... Vae mundo a scandalis.*

9. Memoria electionis meae.

10. *Bonum est tibi in vitam ingredi debilem vel claudum ... quam mitti in gehennam.* Bonum quaecumque tribulatio... quam mitti ....

11. *Habete in vobis sal et pacem habete inter vos.* Norma consiliorum et consultationum.

12. *Si peccaverit in te frater tuus ... si ... lucratus eris fratrem tuum.* Ergo ille perierat, et peccans *in te;* nocuerat *sibi* magis quam tibi.

13. *Debebat ei decem millia talenta ... Patientiam habe in me et omnia reddam tibi ...* Qua spe poterat servus hoc promittere? Nos tamen ita loqui merito possumus ad Patrem, quia merita Christi nostra sunt, et ex illo thesauro *omnia reddimus.*

14. *Transi hinc, neque enim fratres eius credebant in eum.* Quanta consolatio exemplum Christi in mundi odiis. *Non potest mundus odisse vos, me autem odit.*

15. *Non receperunt eum. Domine vis dicimus, ut ignis descendat? Nescitis cuius spiritus estis.* In rudi populo et a ducibus suis decepto, quis dubitet, quin multa excusanda et condonanda inveniat Dominus? *Non venit animas perdere sed salvare.*

16. *Viri leprosi, qui steterunt a longe.* Ita et *publicamus a longe stans.* Hic et meus animi sensus esse debet, cum ad divinum Sacrum celebrandum sub infimo altaris gradu consisto, et etiam cum accedo proxime ministrans, et Sanctissimum in manus sumo. *Domine non sum dignus,* verba sunt hominis stantis *a longe.*

17. *Et murmur multum erat in turba de eo. Quidam enim dicebant, quia bonus est, alii ... non, sed seducit turbas. Nemo...*

palam ... propter metum Iudaeorum. Quanta Domini dignatio in Societatem!

18. *Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet.* Cognitio etiam a bona voluntate pendet.

19. *S. Vinc. a Paulo.* Pro Clero ....

20. *Daemonium habes, quis te quaerit interficere? Nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora eius.* Ergo illi quidem quaerebant vere eum interficere ...

21. *Si quis sitit, veniat ad me, et bibat ...*

22. *S. Maria Magdalena.*

23. *Turba haec ... maledicti sunt ...* et ad Nicodemum: *numquid et tu Galilaeus es?* Quomodo *passio* obcaecat, ita ut nulla vis *rationis* sit!

31. De *S. P. Ignatio* in die festo. *Vota nostra ... adiuvando prosequere.*

Aug. *Multi crediderunt,* sed inconstantes, quia humilitate carebant nec agnoscebant se a Christo *liberandos.*

De iniuriis et contumeliis Domini. Ego daemonium non habeo ... et vos inhonorastis me.

De caeco nato.

Mitto vos sicut agnos inter lupos.

Vae tibi Corazaim ... quia si in Tyro etc.

Iudicia Dei abyssus! Tyrus conversa fuisset, si eas habuisset gratias, et non habuit, *Corazaim* autem ....

16. *Gaudete quod nomina vestra scripta sunt in caelis ... Spe gaudentes.*

17. *Omnipotens Sempiterne Deus, da nobis fidei, spei et caritatis augmentum.*

18. *In illa hora exsultavit Iesus in Spiritu S.* Semel exsultationem sensibilem ita manifestavit; ceterum *pax animi, exsultatio* vero non item.

19. *Confiteor tibi, Pater ...* ob humiliatam superbiam, exaltatam vero humilitatem.

20. *Venite ad me ... qui ... onerati estis.* Ego, Domine, *oneratus* meis culpis et miseriis et curis de Societate universa etc.

21. *Tollite iugum meum super vos et discite ... et invenietis requiem.*

22. *Beati oculi qui vident, quae vos videtis. Diliges Dominum DEUM tuum ....*

23. *Qui incidit in latrones.*

24. *Dominica. Custodi me,* animam meam, Societatem, Ecclesiam tuam, *propitiatione perpetua.*

25. *S. Bartholomaei. In montem solus orare, et erat pernoctans in oratione Dei.*

26. *Mulier excepit illum in domum suam* ... et ego excipio, o beatitudo!

27. *Maria sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius.*

28. *Sollicita es et turbaris erga plurima.* Etiamsi de bonis, tamen *sollicitudo* et *turbatio* reprehendenda.

29. *Domine doce nos orare. Pater noster* ....

31. *Dominica. Ecclesiam tuam, Domine, miseratio continuata mundet et muniat.*

1 Sept. *Pater ... dabit spiritum bonum petentibus se.*

2. *Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tenebrosum.* Oculus, ratio, rationis lumen si per peccatum, per passiones obscuratum.

3. *Rogavit illum Pharisaeus ut pranderet* et Dominus non recusat, etiamsi malo animo Pharisaeus. *Quod deforis est mundatis.*

4. *Vae vobis Pharisaeis!* Hoc *vae* in prandio, absque humano respectu.

5. *Aedificatis monumenta prophetarum;* virtutem amabant *in abstracto* et *absentem,* praesentem et ad se pertinentem oderant.

6. *Attendite a fermento Pharisaeorum.*

7. *Tua nos gratia, Domine, et praeveniat et sequatur* ...

8. *Nativitas B. V. pacis tribuat incrementum.*

9. *Ne terreamini ab his qui occidunt corpus.*

10. *Videte et cavete ab omni avaritia, quia non in abundantia cuiusquam vita eius est.*

11. *Nolite solliciti esse. Pater vester scit quia his omnibus indigetis.* Hoc etiam de necessitatibus spiritualibus, unde excludatur anxietas.

12. *Nolite timere, pusillus grex. Ubi thesaurus vester ibi et cor.*

13. *Sint lumbi vestri praecincti et lucernae ardentes* ...

14. *Nunc iudicium est mundi,* quia condemnata triplex concupiscentia mundi paupertate, contemptu et doloribus internis et externis Domini Crucifixi.

15. *Nativitas tua, DEI genitrix, gaudium* ...

16. *Et vos estote parati ... Dicit ei Petrus: ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes? Quis putas est fidelis dispensator et prudens?* Ex hoc responso Christi colligitur, vigilantiam illam praecipue superioribus commendatam.

17. *Servus, qui cognovit ... et non fecit, vapulabit multis, qui autem non cognovit et fecit digna plagis, vapulabit paucis;* scil. hic non quod non fecit voluntatem Domini, quam non co-

gnovit, sed quia fecit *digna plagis,* et sic etiam vapulabit paucis.

18. *Cum vadis cum adversario tuo ad principem* ... adversarius ille conscientia.

19. *Putatis, quod hi ... prae omnibus peccatores fuerint, quia talia passi sunt?* Non ... *nisi poenitentiam habueritis* ... Valent haec in hisce calamitosis temporibus. Non est optima illorum conditio, de quibus dicitur: *in laboribus hominum non sunt et cum hominibus non flagellabuntur.*

20. Vinea tres annos sine fructu et mulier inclinata 18 annis ....

21. *S. Matthaei.* Domini bonitas et Matthaei promptitudo.

22. *Domine, si pauci sunt qui salvantur?* Dominus respondet indirecte: *contendite etc.* Vos ita contendite ac si essent paucissimi salvandi.

23. *Manducavimus et bibimus coram te ... Nescio vos.* Non alio nomine, nisi vero merito admittemur. Quam multa falsa fundamenta sperandi homines sibi fingunt!

24. *Magister, exi et vade hinc, quia Herodes vult te occidere.* Praesentia Christi gravis impiis. *Ierusalem, Ierusalem, quae occidis* ...

25. *Manducare panem ... et ipsi observabant eum.* Et nos observant. *Recumbe in novissimo loco.*

26. *Beatus qui manducabit panem in regno DEI. Homo quidam fecit coenam.*

27. 1ª *Confirmatio Societatis.* O Pater beatissime!

28. *B. Virginis dolores,* o Fili, o Mater, tot dolores tam exiguo fructu!

30. - 1 Oct. *Ibant turbae multae cum eo et conversus dixit ad illos: Si quis venit ad me, et non odit* ...

Multi ad sequendum Christum se offerunt. Dominus videtur quasi illos repellere illa severa intimatione et tamen non ita est, sed pro necessitate spiritum Evangelii sui exponit, qui totus in abnegatione est; vel certe inde initium capit, quia natura corrupta tali remedio eget necessario, si sananda est.

SS. Angeli.

2. *SS. Angeli Custodes. Visibilium omnium et invisibilium.* O quam haec illis excellentiora, Angelorum sapientia, potentia, caritas, promptitudo ad omnem DEI nutum! Eorum imitatio nobile obiectum aemulationis nostrae. Nos autem ad *visibilia,* eaque infima et contemptibilissima, inclinati toto naturae pondere. Eheu, *caro aggravat animam!*

3. *Qui habet aures audiendi, audiat.* Post expositam doctrinam de abnegatione, quae scilicet difficilis intellectu, *non omnes capiunt.*

4. *S. Francisci. Confiteor Tibi, Pater.*

5. *SS. Rosarii.* Humiliatio de negligentia ac tepiditate in recitando, propositum de futuro. *DEUS, cuius Unigenitus* ...

6. *Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus dic nobis!* Ita perversa voluntas quaerit se defendere ignorantia affectata.

7. *Hic peccatores accipit.* Semper oblocutiones tolerat Dominus.

De *ove* et *drachma* inventa *gaudium.* Sane Domino tanto cariores animae, quanto maioribus laboribus eas quaesivit, et pretio maiori redemit; magis sane quam si numquam perditae fuissent.

8. *De filio prodigo. Ad se reversus dixit* ... Errans, peccans *exit a se ipso,* convertens se *revertitur ad se.*

9. *Redde rationem villicationis* de talentis concreditis, de officiis de auctoritatis usu.

10. *S. Francisci.* Humilitatis verae comes *amor patiendi.*

11. *Qui fidelis in minimis et in maiori fidelis erit.* Quod hominibus altum est, abominatio est ante DEUM. Ad Pharisaeos qui iustificabant se coram hominibus, DEUS autem intuebatur corda eorum.

12. *Maternitas B. V. M.* Humilitas B. V., puritas, fecunditas, sola sine exemplo.

13. *Homo dives epulabatur quotidie splendide, Lazarus* ... sed *finis* utriusque!

14. *Chaos magnum,* Fili recordare, quantum malum *accepisse bona in vita!*

15. *S. Teresiae, aut pati aut mori.* Et revera quid iuvat *vivere,* si non patiamur, cum *pati* pars vitae sit melior omnium!

16. *Domine adauge nobis fidem. Cum feceritis omnia* ... *servi inutiles. Regnum DEI intra vos est.*

17. *Oportet semper orare* ... Confirmat exemplo *viduae* et *iudicis,* intellige de *perseverantia.* Et vero, Domine, non peto vana aut quae mundus amat, sed *spiritum bonum* mihi, Societati, etc. Quomodo non dabis!

18. *Ad quosdam, qui in se confidebant et aspernabantur ceteros.* Utrumque in *Pharisaeo,* nam eius *gratias ago* est quod multorum, qui ore quidem, sed non corde ... Sicut aliis *ad maiorem Dei gloriam* orant, et interna intentione laborant minime pura.

19. *Puritas B. V. M. Sola sine exemplo* pura a culpa, a stimulis, ab imaginationibus, ab omni eo, quod sanctum non esset; simul disposita proxime ad omnem sanctitatis plenitudinem.

Omni custodia serva cor tuum. In phantasiis, in ineptiis humiliari ... Creatus ad tanta ac tam sublimia!

20. *Sinite parvulos.* Domini benignitas in *amplexandis* parvulis.

21. *Magister bone... Unum tibi deest, vade, vende etc. Tristis abiit. Quam difficile... Quae impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud DEUM.* Ultima verba mitigant, sed... Ergo memento opus esse omnipotentis DEI!

22. *Ecce nos reliquimus omnia... Sedebitis super sedes duodecim.* Sed inter duodecim illos unus Iudas, qui non reliquerat omnia vel certe ad affectum rediit! *Multi erunt primi novissimi...* Quid prodest *primum* esse in hoc mundo!

23. *Festum SS. Redemptoris. Sicut Moyses exaltavit serpentem, ita...* Quomodo *serpens,* figura Christi? Scilicet Christus in cruce *factus pro nobis maledictus! Respiciendus,* ut sanemur.

24. *Paterfamilias conducens operarios... Et quod iustum fuerit dabo vobis.* Dominus non exspectat *finem* diei, ut mercedem tribuat, sed *inter laborandum;* immo et *labores* ipsi et *obsequia,* eius sunt dona et gratiae insignes. Est erga alios liberalior, sed erga neminem iniustus.

25. *Diligebat Iesus Martham et Mariam sororem eius et Lazarum. Ecce, quem amas infirmatur...* Beati, qui a Iesu amantur... Et tamen infirmatur; amor Iesu afflictiones non excludit, immo...

26. *Eamus in Iudaeam iterum... Nonne 12 horae diei? Si quis ambulaverit in die, non offendit.* Haec dicit Dominus cum applicatione ad Apostolos et ad nos, ut agamus dum tempus habemus.

27. Apostolorum timores.

28. *Domine si fuisses hic...* Marthae fides, spes, caritas. Quanto maior esse deberet in me, qui tanto arctius Domino obstrictus!... *Ego resurrectio et vita.*

29. *Magister adest et vocat te.* O beatum nuntium! Relinquit Magdalena Iudaeos *et procidens ad pedes Iesu: Domine si fuisses hic.*

30. *B. Alphonsi Rodr. Confiteor tibi, Pater... quia abscondisti a sapientibus et revelasti ea parvulis. Cum simplicibus sermocinatio Domini.*

31. *Iesus infremuit spiritu, turbavit semetipsum, lacrimatus est.* Frater noster effectus miseriis nostris commovetur, iis condolet, non tamen *mera* compassione naturali, sed supernaturali caritatis. Ita me decet imitari. Iudaei etiam hic *murmurant!*

1 Nov. *Omnium Sanctorum.* Quales sancti nunc sunt, aliquando ego talis ero: *spes.* Qualis ego sum, tales fuere olim sancti in laboribus internis, externis: *imitatio.*

2. *Dominica. DEUS, qui nos in tantis periculis constitutos pro humana scis fragilitate non posse subsistere ...* Maximum periculum, pericula sua non cognoscere. *Deus scit. Domine noverim te, noverim me!*

3. *Comm. Omnium Fid. Def. Ego sum resurrectio et vita.* Iesus Christus spes nostra et omne bonum *vivis* et *mortuis.*

4. *S. Caroli. Illum pastoralis sollicitudo gloriosum reddidit.* Non erit ergo sollicitudo, quam gradus superioris imponit, sanctitatis impedimentum, si ... praesertim fuerimus *in Domini amore ferventes.* Fervor iste praecipue in: *Quid me vis fugere, facere, ferre, et quo vis ferri?*

5. *Tollite lapidem,* miraculum factum; vult ab hominibus fieri, quae ipsi possunt. Ita *solet* Dominus. Resuscitato Lazaro aliqui crediderunt, alii *abierunt ad Pharisaeos!*

6. *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* Quia non proponunt sibi finem iustitiae, ideo haerent, sentiunt iniquitatem fore gravissimam, si Dominum damnant. Caiphas audactior tollit haesitationem: *expedit vobis!* Et quo successu ... Dominus ad mortem quaeritur, *ideo quia multa bona et signa facit!* Solatium magnum in persecutionibus mundi.

7. *Ascendentes Ierusalem praecedebat eos Iesus, ipsi sequentes timebant.* Ita affecti erga crucem aliter perfecti, aliter imperfecti ... *Surgite eamus!*

8. *Ecce, ascendimus Ierosolymam et Filius hominis tradetur* (a quo? a Patre suo caelesti et a se ipso) *et ipsi nihil horum intellexerunt.* Quam duri sumus ad intelligenda mysteria *crucis!* Dicendum: *Ecce, ascendimus ...* Et tamen non ita, ut Dominus, distincte nosse possumus, quae superventura sunt, et haec tanto minora!

9. *Filii Zebedaei. Nescitis, quid petatis.* In illorum sensu *parum* aut *nihil* petebant, in sensu Christi nimium petebant. *Potestis bibere calicem ...?* Hoc, hoc petendum, ut *calicem Domini bibere* mereamur, cetera Illi committenda.

10. *Decem coeperunt indignari de duobus fratribus.* Ex occasione ii qui non cogitabant de primatu commoti sunt, reviviscente natura. Dominus mitissimus *blande* componit, *non sic erit inter vos.*

11. *Caecus ... sedebat secus viam mendicans. Caecus* spiritu *sedet,* non enim potest ambulare nec proficere, *mendicet,* oret, remedium unicum huic caeco.

12. *Quid tibi vis faciam? Domine, ut videam ... Illumina oculos meos.*

13 *S. Stanislai. Tempus instanter operando redimentes, festinemus* operando et *patiendo.*

14 et 15 *Zachaeus.* Desiderium videndi Dominum; licet non adeo supernaturale, placuit eius ardor et generositas. Christi admirabilis benignitas... Eximium exercitium pro SS. Communione.

16. *Dominica. Semper rationabilia meditantes,* conformia rationi ac fidei, omni inordinatione exclusa; *rationabile* me valde *humiliari* et *confundi,* sed simul multum confidere in Domini misericordia. Mea mala, Domini tam multa beneficia.

17. *Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam, accipere sibi regnum et reverti.* Christus Dominus in *caelum,* accipere *regnum* a Patre et *reverti. Scio, quia homo austerus es.* Non, Domine, non tollis quod non posuisti, sed contra!

18. *Caeci prope Iericho... Quid vultis? Domine, ut aperiantur oculi nostri.* Non respondet Dominus *nescitis, quid petatis,* quia postulant necessaria. Ita ego petam *misericordiam* et *spiritum bonum,* et certo dabit Dominus.

19. *Alabastrum unguenti, impleta est domus ex odore unguenti.*

20. (Pro exhortatione ad Patres tertiae probationis).

21. *Praesentatio B. V.* Quale sacrificium virginis et parentum!

22. *Venerunt non propter Iesum tantum, sed et...* Quam rara puritas intentionis, *propter Iesum tantum.*

23. *Dominica ultima p. Pent. Divini operis fructus.* Creatio, redemptio, sanctificatio, *divina opera;* horum *fructus* nostra virtutis exercitia. Quae quo nos *studiosius exsequimur, eo pietatis divinae remedia maiora percipiemus.* Praeparatio opportuna ad exercitia. *Excita, Domine* voluntatem.

(Exercitia Octiduana).

2 Dec. *De fine, linea* a me ad DEUM non est *per se* tantae distantiae, cum sit Dominus *prope. In ipso enim vivimus,* sed per *mala mea...* Ideo *abnega, tolle crucem et sequere.* Haec via, hic *cursus* ad DEUM.

3. *S. Francisci Xav.* Amor DEI, odium sui.

4. *Dominus mittit duos ad pullum asinae solvendum.* Dominus omnia agit pacate ex proposito, nil tumultuose, nil incerte. *Domini est terra et plenitudo eius.*

Ego *iumentum.* Utinam Dominus *solvi* iubeat vinculis, quae impediunt, quominus ad ipsum accedam.

5. Discipuli, turba, Pharisaei murmurantes. Dominus...

6. *Flevit super eam.* Filius DEI humanis affectibus... caritas et misericordia!

7. *Eiiciebat vendentes... e templo.* Christi potentia contra illos. O eiice, Domine, e templo animae meae... dic... *domus orationis est.*

8. *B. Virgo immaculata, purissima, pacatissima, felicissima,* licet tribulata. Ego *miser,* in *perpetua pugna,* quia *peccator. Pacis tribue incrementum.*

9. *Esuriit ... et videns fici arborem etc. In fame et siti Dominus meus. Ficus,* in qua *nihil nisi folia tantum,* quae imago animae sterilis et *maledicto proximae! O Domine! ...*

10. *Gentiles: Domine volumus Iesum videre. Iesus: venit hora, ut clarificetur filius hominis ... Nisi granum frumenti ...* Memoria et repraesentatio futurae passionis mentem occupat dulcissimi Salvatoris. *Granum frumenti* sim, o Iesu, ad imitationem tuam *cadens in terram moriar, ut fructum multum afferam!*

11. *Nunc anima mea turbata est.* Simile illi: *Pater, si possibile est, transeat ...* Ita infirmitates nostras portare dignaris, o bone Iesu. Quidni ego simili oratione utar in turbationibus et angustiis meis!

12. *De mysterio Incarnationis et Nativitatis.*

Pater omnipotens, aeternus DEUS creare decernit angelos, homines; hos lapsos erigere decernit *ob gloriam suam propter misericordiam suam,* et ob *miserias nostras.* O miserum me. O misericordem Dominum aeternum!

13. Decretum divinum ut Filius DEI homo fiat, sapientia, iustitia misericordiae copulata, item Virginis Matris electio, levamen meae miseriae.

14. *Missus est angelus Gabriel a DEO* non ad solem, aut aliam planetam maiorem, aut stellam, sed ad hanc infirmam et minimam terram, et in ea *in Nazareth ad Virginem.* Quis *sicut Dominus ... et humilia respicit!* Annuntiatio.

15. *Quae cum audisset, turbata est,* vel admiratione novitatis, vel confusione laudum suarum, vel quod *mulier* vocaretur; ex motivo virtutis turbata est ... Ego autem quibus turbor! *Et cogitabat ...* Angelus: *ne timeas.* O Angele custos, compone ita turbationes meas!

16. *Invenisti gratiam,* non solam illam, qua Deus praevenit, sed et illam, quam cooperando *invenit. Ecce concipies,* verificatur vaticinium Isaiae: *Hic erit magnus etc.* Magnalia Iesu Christi, sed omnia in *humiliatione* eius fundantur.

17. *Quomodo fiet ... non cognosco.* Non cogitat de *dispensatione* voti sui, quam nollet. Ita vere amans votorum suorum et virtutum, quas DEO vovit ... *Non erit impossibile ... Fiat!* (*Cibus meus est, ut faciam voluntatem Patris,* sive ad abstinendum, sive ad sustinendum, sive ad aggrediendum).

18. *Exsurgens Maria,* quae domi sedere solita, *abiit in montana cum festinatione,* impulsu Spiritus Sancti et Filii DEI, quem utero gerebat; *promptitudo* ad voluntatem Dei. Visitatio.

19. *Ut audivit salutionem Mariae Elisabeth* ... Dominus ex utero matris, praesentia sua, tanta operatur. Quid est quod *sua praesentia in me* in Eucharistia ... ?

20. *Magnificat anima mea Dominum.* Quanta sapientia! *Dominus solus magnus.*

Et exsultavit ... *Exsultare licet, magnificari non,* sed *exsultare spiritu et in DEO salutari. Salvatore,* hoc praesertim nomine, quo et nostra *miseria* et eius *misericordia* exprimitur.

21. *Quia respexit humilitatem* ... *Respectus Dei beatam* reddidit. Humilitas, *fecit mihi magna,* non ignorat, quanta sibi fecerit Deus, sed Domino gloria. *Et misericordia eius,* beati qui se *miseros* vere sentiunt et Deum timent!

22. *Fecit potentiam* ... *Deposuit, esurientes* ..., *suscepit Israel, recordatus misericordiae suae* (hanc Domino in memoriam veluti revocare per orationem debeo) *sicut locutus est.*

23. *Cum esset desponsata* ... Virginis et Ioseph *probatio* et utriusque *silentium!*

24. *B. Virgo et Ioseph* in itinere versus Bethlehem. *Silentium exterius, loquela interior.*

25. *Ut nos Unigeniti tui nova per carnem nativitas liberet, quos sub peccati iugo vetusta servitus tenet. Servitus et iugum peccati,* non modo peccata gravia et levia et *defectus,* sed et passionum inordinatio, quam turpe iugum mihi ! ... *Solve vincula colli tui, captiva filia Sion* ...

Christus natus est nobis, mihi ... *pobrecito y esclavito indigno* ...

26. Hesternae repetitio.

27. *S. Ioannis Evangelistae.*

28. *Puer Iesus,* quis *est?* quid illi *futurum est* in hoc mundo? quid *post?*

29. *Pastores* ... *vigilantes et custodientes vigilias noctis, Angelus Domini, et timuerunt.*

30. *Evangelizo* , ... *hoc vobis signum.*

31. *Anni conclusio* : *laudo, ago grates,* veniam precor pro me, pro Societate.

1835.

Circumcisio. 1 Ian. *Circumciditur Puer.* Huic se *humiliationi* ac *dolori* subiicit. *Gratiam* allaturus venit sed *medicinalem, medicinae* solitum est, ut sit cum *amaritudine* et *dolore. NB.* Gratiae Christi *medicinales!*

Pastores. 2. *Pastores* ... *invenerunt Mariam et Ioseph et Infantem* ... Beati!

3. *Mirati sunt ... Maria autem* (et ipsa mirabatur quidem sed praesertim) *conservabat omnia* (memoria) *conferens* (intellectu) *in corde suo* (voluntate). Imitanda, tum alias tum praesertim in meditatione, *conferendo* meam miseriam et Iesu misericordiam etc. Opposita oppositis.

4. Nomen *Iesu* miserias nostras supponit, ad *quatuor F* (1). efficaciter impellit.

5. *Exhortatio in collegio romano. Filii sapientiae ecclesia iustorum, et natio illorum oboedientia et dilectio* (Eccli. 3).

6. *Ecce* ... mirabile! *Magi ab oriente ... Gratia* singularis sed qualis *cooperatio!* Nos ad cognitionem Christi perducti ... Magi.

7. *Magi in Oriente ... Vita aeterna, scire* ... Haec cognitio nobis tam facile acquisita, sed perficienda *ut revelata facie gloriam Domini speculantes, transformemur a claritate in claritatem.*

8. *Ubi est, qui natus est?* Fortitudo intrepida DEO fisa.

9. *Herodes turbatus et omnis Ierosolyma cum eo* ... mali spiritus effectus.

10. *Et convocans ... et clam vocatis Magis, diligenter didicit ab eis* ... Fictiones, fraudes, multa cum diligentia et falsa sapientia.

11. *Et ecce stella ... Gavisi ... et intrantes* ... Consolationes mixtae adversis, *fides* bonae voluntatis, quae non postulat evidentiam, ut credat, sed gratiae se permittit et correspondet.

12. *Et procidentes adoraverunt.* Laus, gratiarum actio, oblatio sui. *Apertis thesauris obtulerunt aurum, thus, myrrham.*

13. *Per Eum, quem similem nobis foris agnovimus, intus reformari mereamur.*

14. *Qui cum recessissent* ... Post illam consolationem, *ecce angelus: Surge, fuge.* Audiverat: *salvum faciet a peccatis,* non immediate *a tribulationibus.*

15. *Herodes iratus occidit.* Quantum malum potentia absque freno timoris DEI et hominum, sed tamen divina Providentia ex tanto *malo,* quanta *bona!*

16. *Defuncto Herode* (finis) ... *Angelus Domini: Surge etc.* Quam dure semper exercetur *carissimus* DEO! Quo quis *gratiosior* apud DEUM, eo *durius* habetur, *meritum* nostrum ex *patientia.* Maior *gratia, maior patiendi occasio.*

17. *Vocatum est Nomen eius Iesus.* (Pro exhortatione domestica) SS. Nomen *Societati solatium et gloria, sociis* causa *humiliationis* et *stimulus* ad imitationem.

18. *Iesu* Nomen. Omnia nostra mala in se suscepit, nos vero miserias nostras et alienas ferre nolimus, Societas Iesu?

---

(1) *Fugere, Facere, Ferre, Ferri,* v. p. 277, 4 nov.

19. *Ibant parentes eius in Ierusalem,* non ut plerique, sed *vero spiritu. Remansit Puer Iesus, et non cognoverunt parentes . . .*

20. *Regressi . . . requirentes eum, dolentes quaerebamus.* B. Virgo sollicite quaesivit, sed *turbata* non fuit, quia nulla culpa. Ego in adversis turbor facile, quia *peccator,* et hic sensus humilitatis, quod plura et graviora mereor, malus non est modo ne *perturber;* sed ad Dominum cito recurrendum.

21. *Erat subditus illis . . .* DEI virtus et DEI sapientia *oboedit.* Superior non necessario sapientior et sanctior subditis!

22. Tot annos *absconditus* et interea, Iesu bone, *tam multae animae perierunt!* Quomodo zelus submittendus voluntati divinae! In vita privata humilitas, mansuetudo, simplicitas . . .

23. *Desponsatio B. Virginis* Heroicus animus Virginis in desponsatione admittenda et in iis, quae inde consecuta sunt. Gratia, gloria utique, sed quantis *laboribus* ac *poenis* coniuncta.

24. *Maria conservabat . . .* Memoriae, intellectus et voluntatis operatio. Ne mea sit vaga, otiosa!

Iesus autem proficiebat. Ut aetate ita virtutis operationibus *crescere.* Nihil sistit, nil in eodem statu permanet . . . et ego!

Baptismus. 25. *Iesus ad Iordanem ad Ioannem. Ecce agnus DEI.* Non Ieremias, non Elias, non Ioannes Baptista, sed *Agnus. Discite a me . . . Quem dicunt homines esse filium hominis?*

26. *Iesus audit contionem* Ioannis, audit vocem clamantis i. e. suam, pro se loquentem. Ita bonus contionator existimet se *coram Christo, in Christo* loqui. Etiam in colloquiis . . . !

Ego a te debeo baptizari, et Tu . . . ! Noverim *te,* noverim *me!*

27. *Repetitio.*

28. *Repetitio.* Dominus audit Ioannem, adhortantem ad poenitentiam, et baptismum suscipit, qui *formam peccatoris* suscepit; ego et ob *propria* peccata et ob peccata *meorum* poenitentiam agere debeo. Grave *onus* Superioris!

29. *Repetitio.* Humiliatio Domini, voluntatis et affectus et etiam intellectus, quatenus non personam sed naturam humanam respicit, et hanc in forma peccatoris, et *cum onere omnium peccatorum.*

Hortus. 30. *Fer. VI.* Egressus Dominus in montem Oliveti, *afflictus* simul et *generosus.* In Domino haec unita, contra ego generosus quando non afflictus; quando afflictus non generosus.

31. *Purificatio B. Virginis. Immunda erit,* ita lex, sed tu, o Virgo, virgineo partu purissimo, et tamen *purificari* vis! Quid me *inmundum . . . !*

1 Febr. *Purificatio.* Humilitas *Virginis* similis humilitati *Filii. Formam et spiritum peccatoris ,... occultatio* divinarum *virtutum ...* omnia opposita meae superbiae: velle *videri* bonum et sanctum, *non esse; esse* malum, *non videri!* absit Domine. Praesentatio in Templo.

2. *Oblatio Iesu,* ex parte ipsius et ex parte matris; *per Ipsum* nos offerendi et accepti DEO et praesentandi *per Mariam, purificatis mentibus. Et placebit Domino.*

3. *Repetitio* } *Omnia* bona occultat Iesus, occultat Maria.

4. *Repetitio* } In omnibus Maria et Iesus simillimi.

5. *SS. Martyres Iaponenses.* In colle Nangasachiensi, si tratta di morire!

6. Fer. 6. *Tristis est anima mea usque ad mortem.*

7. *Ductus in desertum, ut tentaretur,* in omnibus similis factus fratribus. Dominus in deserto.

8. *Ieiunavit.* In Christo Domino rebellio carnis nulla, sed tamen appetitus naturalis conformis rationi; et hunc appetitum ad exemplum nostrum mortificat et quam severe! *Hacer contra, Quidquid placet ...*

9. Tentatio gulae superata *contemptu, non in solo pane vivit ...*

10. *Mitte te deorsum,* tentatio, ut se *mirabilem* praeberet hominibus. Nil fecit Dominus *ut mirabilis videretur* mundo. Regna, cui volo do illa, miser diabolus promittit non sua!

11. *Repetitio.*

12. *Fer. 5. O quam suavis est ...* Quanta Domini bonitas et suavitas remanentis nobiscum et in tam multis locis ,... et nostrum *fastidium!* Ideo dimittimur *inanes* ubi *esurientes* replentur *bonis.* SS. Eucharistia.

13. *Fer. 6. Positis genibus procidit in faciem suam: Pater, si possibile est ...* Pati, pati!

14. *Sab.* Sit tibi velut in imagine descripta B. Virginis sensus externus per primum modum orandi.

15. *Septuagesima.* Lapsus hominis et exsilium, miseriae extremae meae a solo Domino sublevandae. Humilitas, compunctio, mortificatio.

16. *Nuptiae in Cana* et *Iesus ibi.* Iesu et Mariae ibi actionum omnium *sanctitas.* Nuptiae.

17. *Deficiente vino ... vinum non habent ... implete hydrias aqua. Vinum non habent,* oratio facienda pro me, pro meis. Interea mea opera exhortationis etc. est *aquam* infundere hydriis, sed Domini erit, eam in *vinum* convertere, dando *spiritum.*

18. *Repetitio. Vinum non habent ...* B. Virgo non pro sei-

psa, ego autem *imprimis* pro meipso *vinum non habeo* ... Et consilium: *quodcumque etc.*

19. *O Sacrum Convivium, in quo Christus sumitur.* Convivium hoc, quantum ab carnis conviviis, a gula, abstrahere debet! *Christus sumitur!*

20. *Venit ad discipulos et invenit eos dormientes.* Quae desolatio! Egone mirabor, esse qui pro benevolentia *indifferentiam* retribuant?

21. *De B. Virginis internis facultatibus.* Memoria *DEI* et *sui. DEUS* et *ego,* duo termini!

22. *Iesus Capharnai.* Docuit certe, saltem privatis sermonibus. *Venit Iesus.* Quali itinere, quam laborioso.

In Templo vendentes et ementes. Habebant illi *licentiam a Principibus sed contra legem DEI.*

23. *Repetitio.* Capharnaum, populi extra salutis viam, eheu, quomodo iuvandi...

24. *S. Mathiae. Posuerunt duos, Ioseph qui cognominabatur iustus, et Mathiam.* Nominatum esse et honoratum apud homines non reddit acceptiorem DEO; sed etiam ceteris paribus praefertur virtus incognita vel neglecta aut etiam contempta, quam honorata.

25. *Repetitio superioris.* De populorum caecitate ... *Eheu, quae utilitas in passione!*

26. *Recolitur memoria passionis eius.*

27. *Dormite iam ... ecce appropinquavit.* Discipuli dormiunt, hostes vigilant operosi.

28. *B. Virginis* memoria, intellectus, voluntas.

1 Mart. *Caecus sedebat, mendicans, clamabat, Domine ut videam!*

2. *SS. Sacramenti adoratio,* quanta Domini dignatio, qui miserum homuncionem non fastidit ad conspectum suum admittere, immo vero *delectatur.*

3. *SS. Sacramentum. Deliciae meae esse cum filiis hominum. Beatus, qui vigilat ad fores meas ...*

4. *Corporali ieiunio vitia comprimis ...*

5. *Iesus processit obviam ... Amice, ad quid venisti? ... Ego sum, abierunt retrorsum.*

6. *Tenuerunt eum ... Petrus percussit ...*

7. *Quotidie eram apud vos ... Sed haec est hora vestra et potestas tenebrarum.*

8. Apud Annam, *alapa.*

9. *Petri* dispositio ad lapsum, lapsus (daemonis insistentis rabies), contritio.

10. *Quaerebant falsa testimonia, Iesus tacebat.* Caiphas

urget et adiuvat, omne iudicium passione subvertitur, ad talia non respondendum sed *tacendum.*

11. *Caiphas scindit vestimenta,* simulatus zelus eumque ceteris persuadet. *Tunc conspuerunt...* O bone Iesu!

12. *S. P. Ignatii et S. Franc. Xav. Gaudent in caelis animae sanctorum... Caelestis urbs Ierusalem.* Nos cari Domino *propter Patres,* sed illi imitandi, *spiritus bonus* petendus.

13. *Mane facto convenerunt.* Impiorum *diligentia* meam confundit *acediam.*

14. *Iudas.* Quam amarum iam, quod prius ad peccatum induxerat. Sacerdotum *durities,* impietas: *quid ad nos?* et falsa conscientia, quae deliberat scrupulose de usu illius pecuniae..!

15. *Vinctum tradiderunt Pilato.* Quanta iniuria, a suo populo quasi excommunicatus! *Et illi non introierunt, ne contaminarentur.* Hypocritae.

16, 17. Pilatus Iesum interrogat, Iesus respondet sed ab homine carnali non intelligitur, qui quae non intelligit contemnit. *Regnum invisibile et veritatis.* Deinceps autem Iesus ad accusationes *tacebat.*

18. *Iesus ad Herodem.* Sapientia ab insipiente, puritas ab incestuoso, mansuetudo a crudeli, humilitas a superbo *irridetur... ut stultus!* O quam nobilitatus est *stultitiae* titulus! Tribunalia.

19. *Caelitum Ioseph decus* (*gloria* ob dignitatem, cuius in hac vita *privilegia* nulla, nisi afflictiones maiores ut B. V. sponsus) *atque nostrae certa spes vitae* (*bonitas*) *columenque mundi* (*potentia*).

20. *Barabbae postponitur Iesus!* Pilati iniquitas *ex debilitate...*

21. *Repetitio.* Iesus ab Herode illuditur, quia mea *stultitia* hoc meretur... Stultissimus sum virorum... Quam multae cogitationes ineptae, affectus rationi non conformes, verba inania, stulta principia!

22. De Domini *flagellatione.*

23. (De spiritu orationis ecclesiasticis necessario; ad S. Apollinaris) (1).

24. *De Domini flagellatione et spinarum coronatione et iniuriis.*

25. *Mundi miserabilis status,* ex meditatione de Incarnatione.

26. *Ecce homo.* Pilati animus vilis, Iesu ignominiae, dolores, magnanimitas. Passio.

27. Pilati arrogantia: *mihi non loqueris?* Christi dignitas

(1) Materia exhortationis, vide d. 6 Apr.

in respondendo ... *Accepta aqua lavat manus,* vis conscientiae improbrantis iniquitatem etiam ethnico. Quem timet?

28. *Repetitio. Ecce Homo ...*

29. *Baiulans sibi crucem,* Simon Cyrenaeus. Hic crucem Iesu portat, ego non Iesu crucem, sed *meam* solam portare debeo; quanto leviorem!

30. *Turba ... et mulieres quae plangebant ... Nolite flere super me.*

31. Iesus in monte, *propter me sedisti lassus; vinum cum felle mixtum ... crucifixerunt eum.*

1 Apr. Titulus: *Iesus Nazarenus Rex Iudaeorum ... Quod scripsi, scripsi!*

2. *Milites* dividunt vestimenta (Societatis dissipata bona) *Principes* sedentes servabant et blasphemabant ...

3. *Latrones,* alter de vita servanda cogitat, non de poenitentia, immo ... alter: *nos digna factis recipimus, Domine, memento mei.* Pulchra oratio nihil particulare petentis. *Hodie etc.* O liberalitas! quam *levis* reddita *poena* bono latroni!

4. *Iesus, Maria, Ioannes. Ecce filius, ecce mater tua.*

5. *Repetitio* de bono latrone, *memento mei.* Multa ego petenda habeo. *Domine, ante te omne desiderium meum et gemitus meus a te non est absconditus, memento mei!*

6. *De meditatione Crucifixi.* (Pro *exhortatione* ad S. Apollinaris).

7. *Tenebrae factae ... Iesus* exclamat *DEUS meus etc.* Non *Pater* sed *DEUS,* quia homo hic nostrorum peccatorum pondere pressus, *plena* tamen *fiducia* vox.

8. *Cum consummasset, ut consummaretur Scriptura dixit: Sitio.* In tantis doloribus animi pax et sui potentia, divinitas. *Sitio,* sensus multiplex; ultimum, quod a mundo accepit, *acetum.*

9. *Cum accepisset Iesus acetum ... consummatum est. Pater in manus tuas.*

10. *Iesus, Maria, Ioannes sub cruce.*

11. *Praetereuntes ... blasphemabant.* Ego *stabo* vel *sedebo sub umbra illius.*

12. *Repetitio. Fructus eius dulcis gutturi meo,* scilicet *amor, gaudium, pax ... quorum nihil in inimicis crucis Christi.*

13. *Sedebo sub umbra ...*

14. *De Iesu verbis,* tria prima tota benignitatis, inter tam atrocia quasi *oblitus sui.*

15. *Iesus ... Nazarenus ... Rex ... Iudaeorum.*

16. *Fer. V Coena Domini. Suos, qui erant in mundo,* quorum miserias, infirmitates, imperfectiones noverat, hos *in finem dilexit.*

17. Passionis mysteria successive pro horarum ratione.

18. *B. V. solitudo.* Tum, quae sub cruce stabat constans, in solitudine doloribus suis indulsisse credenda est, et ipsa humillime et verissime meditabatur: *dilexit me et tradidit semetipsum pro me.* B. V. solitudo.

19. *Ressurrectio D. N. Iesu Christi.* Gloria et gaudium *debebatur* SS. humanitati ob unionem hypostaticam, sed, quia humana natura per peccatum infecta et degradata, *oportuit* Christum pati, ne in ullo individuo natura humana glorificaretur, nisi expiatis piaculis. Mihi quidem peccatorum commissorum expiatio patiendi necessitatem imponit, sed etiamsi innocens essem omnis peccati actualis, vel ob ipsam naturae depravationem *pati* necesse esset, ut ad gloriam pervenire possem. Quid ergo? Gaudeamus in fide et spe et in caritate Christi, de cuius gloria gratulari et gaudere *dignum* et *iustum* est. Resurrectio.

20. *Apparet Christus Matri suae. Primum* ei, quae *plus* passa erat et *plus* amabat. Iam non dixerit *mulier,* sed *mater.* Crucis amatores non sola spe futurae gloriae, ad suum exemplum, solatur, sed etiam in praesenti vita, identidem consolationum stipendiis praesentibus sustentat ac remunerat Rex meus et DEUS meus.

21-25. In mulieribus et in Magdalena vicissitudo *anxietatum* et *consolationum,* quarum hae momento succedunt desolationi, Christo vel uno verbo dicente. *Tantum dic verbo ... Fiducia, fiducia* servanda in desolatione.

26. *Desolatio* in anima, *dolores* in corpore, necessarii ad nostrae naturae reparationem, ad Christi exemplum. *Si scires donum DEI!* Sunt et reparationis nostrae munimen, simul cum Sacramentis.

27, 28. Mulieres *timore* et *gaudio* videntes Iesum. *Timor* reverentiae, *tremunt Potestates.* Summa Iesu amabilitas: *dicite fratribus meis.* O Iesu! Quis tu? Qui nos?

29. *Apparitiones.* In omnibus amabilitas Iesu Christi. *Petro* apparens non exprobravit: ille enim ipse fleverat, et flere non cessabat, *poenitentia* favores maiores merebatur. *Mihi* contra merito accidit, quia nec satis strenue versatus sum nec versor in castris poenitentium. Apparitiones

3 Maii. NB. Christus in Sacrificio *victima* post consecrationem. Licet adsit DEUS ipse vivus et verus, tamen de illo ut *de victima* ad Patrem sacerdos loquitur! Christus Victima.

Visa mihi relinquenda Mysteria gloriosa et ad vitae et passionis mysteria meditanda revertendum, ut magis mihi opportuna.

4. *De fine. Creatus, Dominus* creator. Quale dominium! Quae obligatio laudandi! Nonne statua quaevis aut pictura nobilis, si posset, proclamaret nomen auctoris sui, cui debet Fundamentum.

se omnemque honorem suum? Et *homo*, ego, Creatoris laudem non debebo habere *semper in ore meo? Non nobis, Domine, non nobis.*

5. *Repetitio. Laudare* (in off. div.), *revereri, servire.*

6, 7. *Repetitio* et de *mediis,* praeter *quatuor* illa alia multa; totum vero ab *applicatione* pendet. *Quid hoc ad laudem DEI et salutem meam?*

Pater ... Salve Regina ... (2do modo orandi).

17. *Dominica 4 p. P. Deus, qui fidelium mentes unius efficis voluntatis.* Omnes fideles, licet diversissime affecti, tamen qua *fideles* sunt *unius voluntatis. Da ... id amare quod praecipis, id desiderare quod promittis.* Non est invertendus ordo: amare quod DEUS promittit et desiderare quod praecipit est eorum qui velleitatem habent, non voluntatem. *Amare* est de bono praesenti, *desiderare* de futuro.

28. *Salutis humanae Sator ...*

Ascensio Dni. 29. Apostoli iubentur exspectare Spiritum S. Tot instructiones, tot meditationes etc. non sufficiunt nobis, nisi *Spiritus S.... Tertia classis* (1) intelligenda in particulari etiam, non in universali solum dispositione animi.

Sed et supportate me; aemulor enim vos DEI aemulatione, in correctionibus ac reprehensionibus.

6 Iun. *Vig. Pent. Si diligitis me. Si?* Quomodo non diligamus te, o bone Iesu? *Et ego rogabo Patrem ...* Hoc petendum, ut Dominus roget Patrem pro nobis.

7. *Cum complerentur dies ... Tempus faciendi Domine ... Erant omnes discipuli . . .* his datur haec gratia, non omnibus .... *Divisiones gratiarum ... Nemo potest accipere quidquam ...*

8, ss. *De mysterio eodem,* de donis Spiritus S. et de Eius fructibus.

14. *De SS. Trinitate,* ex oratione Festi.

15. *Contemplatio ad amorem,* beneficia creationis.

16. *S. Ioannis Fr. Regis,* mirabilis caritas et invicta patientia.

17. *Beneficia creationis,* tam multae creaturae et ego ipse ... *Ut cognoscam, sicut et cognitus sum,* et amem sicut amatus sum ...

Omnia tua sunt, dispone, seu des seu tollas, aeque semper amandus; item *quidquid dederis, amorem tuum solum et gratiam.*

---

(1) Cfr. Exerc. Spir. S. P. Ignatii, med. de tribus binariis.

18. *Festum Corporis Christi.* Christi in Sacramento *vita abscondita* et ipse *victima.* Ergo etiam glorificatus *hoc* ipse in mundo eligit et quid ego?

19. *De eodem Mysterio,* et quam insignem in eo partem, quam copiosam mihi sacerdoti Dominus tribuit.

21. *S. Aloysii. Caelestium donorum distributor. DEI* liberalitas in S. Aloysium.

24. *S. Ioannis B. Spirituale gaudium, dies honorabilis.*

26. *SS. Cordis Iesu.* Mysterium incomprehensibile, quod *tanta* fecerit Dominus et tam *parum fructus* ab hominibus.

27. *Pro exhortatione: Attendite vobis.* Act. 20. *Attende tibi,* 1 Tim. 4. (Badare ad *altri fatti* e criticare: 1° tempo perduto, 2° pericoloso e dannoso, 3° nasce da superbia e la nodrisce; *badare a sè* utilissimo e necessario ... In quali cose badare a sè).

28. *Dominica 3. Protector in te sperantium, DEUS ...*

29, 30. *S. Petrus et Paulus,* quales *ex se,* quales *gratia DEI!*

1 Iul. *Exhortatio in collegio. Attendite* etc.

2-4. *Visitatio B. Virginis.*

5. *Dominica. Da, quaesumus, Domine, ut et mundi cursus ... et Ecclesia ... Pax hominibus bonae voluntatis.* Omnis turbatio ordinis ex *mala* voluntate; mundus irrationalis ordinatissimus, ut caeli ... at liberi arbitrii abusus ...

6. *Magnificat, exsultavit ... Laudis divinae* et *exsultationis* nostrae principium *humilitas.*

7-14. *De duobus vexillis, de tribus classibus, de tribus modis humilitatis.*

16. *Christus valedicit* SS. Matri et *iter facit* ad Iordanem.

16. *Audit contiones* Ioannis et humiliatus accedit baptizandus. *Tu ... ad me?*

17. *De tentatione Christi, de ieiunio, de victoria.*

25. *S. Iacobi Apostoli.* Non petendum, *ut sedeamus ... Nunc* non agitur nisi de *bibendo calice,* in hoc esse debeo, hoc cogitare.

De S. Patre Ignatio. Pars optima et *privilegium* Societati impetratum *persecutiones,* magna felicitas omnium nostrum in huius boni partem esse vocatos, quantumvis non meritos.

De Sermone Christi in monte. Cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli. Christus *sol* iustitiae, eius discipuli velut *planetae,* ex se tenebrosi ab ipso lumen accipiunt. *Accedite ad eum et illuminamini.*

5 Aug. *Sabbato. Virgo Sanctissima, puritas* et *sanctitas positiva* B. V. utraque imitanda.

6. *Dominica. Da nobis fidei, spei et caritatis augmentum.*

Quid est, quod nobis plerumque difficile accidat *cognoscere*

Dei voluntatem, idque valde humiliter et instanter nobis postulandum sit? Ergone Dominus similis heris illis terrenis, qui famulis suis voluntatem suam non manifestant clare, iisque cum divinando assecuti non fuerint, irascantur? Minime sane, sed quia nimis heu saepe DEI voluntati cognitae restitimus, ideo merito rogari vult instanter, ut ne dedignetur eam nobis manifestare. Atque haec petitio simul est melioris ac promptioris obsequii promissio.

Tempestas. 7. *Ascendit Iesus in naviculam, secuti discipuli* et *tempestas.* Num forte poenituit discipulos *secutos* fuisse, exorta *tempestate?* Absit. Et cum postea rapti, capti, flagellati ... *ibant gaudentes.* Num quemquam nostrum poeniteat vocationis ad Societatem ob persecutiones? Absit. Immo vero hoc *praecipuum* vocationis huius *bonum.*

8. *Nativitas B. V. Gaudium annuntiavit* ... non utique quod mala temporalia sublata sint, sed in bonum conversa.

9. *Motus in mari, Ipse vero dormiebat.* Timent discipuli sed non erat, quod timerent, cum *Iesus* esset cum ipsis. *Cum ipso sum in tribulatione, non timebo quoniam tu mecum es.* Sed timemus, et merito, quia licet *Iesus nobiscum sit,* nos non satis vere sumus cum ipso. Quid si discipuli prae timore exsiluissent e *navi in fluctus!*

Pater meus usque modo operatur, et ego operor. Quid operatur? Salutem nostram. Quidquid facit, permittit omnia ut nos purgemur, *illuminemur,* uniamur cum ipso, solatium in afflictionibus privatis et publicis.

Maris stella. Cor meum *mare* turbatum ...

B. V. Dolor, non qualis esse noster solet, inquietus, agitatus, sed *profundus, tacitus,* cum *resignatione* plus quam humana, spiritu *sursum* elevato.

1836.

SS. Euchar. *Festum Christi et in Octavo.*

Accedite ad Eum et illuminamini, et virtus Domini ad sanandum eos. In Eucharistia *illuminat* et *sanat.*

O S. Convivium! Ut hominibus in hac vita adhuc carnalibus nil iucundius convivio, ita *spiritus delicias* Dominus sub *convivii* figura instituit, quin etiam caelestem beatitudinem sub hac figura describit: *Praecinget se, et transiens ministrabit illis.*

Sancti nominis tui, Domine, timorem pariter et amorem etc. Aeternus, omnipotens, terribile Nomen eius. Pius et *misericors*

et *amans animus.* Nomen amoris ... *timor* et *amor* coniungendus, ut in *soliditate dilectionis instituti* eius *gubernatione numquam destituamur. Sanctitas* porro DEI aeque ad *timorem* in nobis quam ad *amorem* excitandum valet plurimum.

12 Iun. *Dominica 3 p. P. Protector in te sperantium DEUS, sine quo nihil est validum, nihil sanctum.* Numquid experientia ipsa satis doctus non sum, quod nihil sum et infra nihil? Quid est, quod ante opus sentio nihilum meum, et tamen post illud facile aliquid complacentiae superveniat? Quid est hoc Deus meus? *Nihil, nihil, nihil,* nil in opere nil in voluntate nil in intellectu. Si quid est, quatulumcunque sit, totum est tuum. O quam necesse est, ut *multiplices super me misericordiam tuam!*

13. *Mulier, sanguinis fluxum ..., si tetigero fimbriam ...* Ne sim ut turba, quae sine fide, sine desiderio . . . Christum tangebat. Habemus *aquas salutis* in medio terrae nostrae aridae, nostrum est, aquas illas derivare in usum nostrum, ut Aegyptii aquas Nili. Itane abire sine fructu nostro sinimus? *Confide, filia, ne timeas, fides tua, vade in pace.* O benignitatem!

15. *Transeunte inde Iesu, secuti sunt eum duo caeci clamantes, miserere nostri, fili David! Cum autem venisset domum, accesserunt ad eum. Et dicit eis: Creditis quia hoc possum facere vobis? ... Utique, Domine.*

Dominus *transit* et in transitu eius captanda opportunitas. *Sequendus* est et *clamandum post eum, etiamsi videatur non* attendere, *miserere,* praesertim in desolatione.

Demum certe reperitur in domo (in Eucharistia) et ibi nos admittit. Ibi accedamus, cum *fide viva, nemo speravit in Domino et confusus est.*

16. *S. Ioannis Fr. Regis, mirabili caritate et invicta patientia.* Obiit 31 Dec. 1640, clausit primum saeculum Societatis. Illud saeculum gratiis gratis datis illustrissimum, sed praesertim sanctitate. O ne gloria Societatis veterascat! *Quomodo mutatum est aurum,* ut capitulae deauratae in ecclesia obscuratae a temporis iniuriis ... ! *Tamen Christus heri et hodie, idem et in saecula.* Si in illis *mirabilem,* saltem in nos *misericordem* fuisse Dominum gloriari possimus!

17. *Probatica piscina ... Languentium, caecorum, claudorum, aridorum,* imago infirmitatum spiritualium, *in imagine pertransit homo.*

Hominem non habeo. Hoc nos in nostris infirmitatibus dicere non possumus, nam *habemus* hominem, *hominem-DEUM.*

19. *Dominica 4 p. P. Da ... ut et mundi cursus pacifice nobis tuo ordine dirigatur et Ecclesia tua tranquilla devotione laetetur.*

Pax secundum DEUM, *tuo ordine* ... *Tranquilla devotio* singulis procuranda, muniendo nos adversus ea, quae *tranquillam devotionem* interturbare possunt, ut conservemus in omnibus eventibus pacem cordis.

20. *Pater meus usque modo operatur, et ego operor. Operatur* in mundo, in Ecclesia, in singulis ... Operare, Domine!

21. *S. Aloysii. Caelestium donorum distributor Deus.* O Aloysi, iuventutem cura!

28. *Exhortatio. Videte vocationem vestram*: *Ad maiorem Dei Gloriam* numquam satis.

3 Iul. *Dominica. Deus virtutum, cuius est totum, quod est optimum.* Parum est DEI in me, quia parum aut nihil *boni.* Quidquid autem mali et imperfecti *meum est, meum* totum quod est *malum.*

5. *Et circumspiciens eos cum ira, contristatus super caecitatem cordis eorum. Ira* Domini cum *compassione,* caecitas *cordis.*

6. *Ascendit in montem, solus, orare; pernoctans in oratione DEI.*

2 Nov. *DEI sanctitas* et *iustitia* in exigendis poenis ab animabus sibi dilectissimis, simul *misericordia* in acceptandis vivorum suffragiis. *Animarum* resignatio, quae ne cuperent quidem caelum intrare non *purgatae. Amor divinae sanctitatis.*

1837.

2 Febr. Christus *victima,* oblatio sui totalis, generosa (sciens omnia futura sibi), numquam retractata, in vita, morte, post resurrectionem, in Eucharistia, in caelo, *Agnus.* Utinam sim *victima DEI,* vivam vitam sacrificii et victima moriar! Haec solum meum bonum et maxima gloria.

3. *In nuptiis Canae. Vinum non habent,* ... *nondum venit hora mea,* ... *quodcumque dixerit vobis facite, implete hydrias aqua.* Et haec in vinum mutatur. Omnia opportune mihi translata ad curam spiritus Societatis.

Eiicit de templo vendentes ... Zelator Dominus ita e domo sua (anima mea, Societate, Ecclesia, mundo) expellat, iudicet in misericordia et non in furore suo!

6 et 7. *Adoratio* 40 *horarum. Accedite ad Eum et illuminamini. Illuminare tenebras meas,* peccatorum, tristitiarum ac sollicitudinum ad clare cognoscendum, quae sit voluntas DEI in omnibus.

Tibi se cor meum totum subiicit. Cor totum! grande verbum, sed quam parum sincere, certe quam parum constanter! Mille, mille *rapinae in holocausto.* Eucharistia.

9. *Iesus ibat in praedium, in hortum,* non recreationis gratia sed ad *orandum* et *patiendum.* O bone Iesu! *Pati* huius vitae bonum, *patientia* virtus quae vitam in hac praesenti Providentia magis reddit meritoriam, quam fuisset in statu innocentiae primae, per merita tua.

15 Febr. *Tenuerunt Iesum et duxerunt.* Domini *vincula* et *itinera.* Angustias Domini cogitanti quanto minores et leviores apparent meae! Passio.

17. Petrus dispositus ad lapsum per *praesumptionem* de se, cuius effectus, ut nec *monita Domini attenderet,* nec media *adhiberet* vigilantiae et orationis, et quia *se* aliis *praetulit* ante omnes et profundius quam omnes prolapsus est. Humilitas, diffidentia de se. *Omnes infirmi, sed neminem infirmiorem me ipso* iudicare; *nihil te profecisse scias, nisi omnibus inferiorem te esse sentias.*

26. *Tradiderunt Pilato.* Ita Pontifices Iesum reprobatum a sua natione declararunt et ut excommunicatum, immundum. Ita Iesus a Iudaeis ad Gentes translatus. Sed qui sensus SS. Cordis, quod *humano* sensu afficiebatur tenerrime, et amabat gentem suam cuius calamitates tantis lacrimis deflebat! Missum se meminit *nonnisi* ad *oves domus Israel.*

28. *Tu es Rex? ... A temetipso ... an alii tibi dixerunt?* Quaerit Dominus, quo sensu Pilatus quaerat de eius regia dignitate, suane ut praeses romanus an sensu Iudaeorum? Et hinc sensus illius: *regnum meum non est de hoc mundo,* non eiusmodi, quod imperio Caesaris sese opponat. Ceterum licet Christi regno propagato imperium Caesaris ceciderit, hoc tamen non intendebatur directe a Christo Rege, sed per accidens secutum est, per providentiam alterius ordinis. Ita Christi fideles non subvertunt ipsi per se tyrannidem ipsam persecutorum, licet alio ordine providentiae isti persecutores de tyrannide dein disturbantur, in poenam persecutionis, quam exercuerunt.

1 Mart. Ad calumnias Iudaeorum *tacet* Iesus. Cum tam aperta et evidens sit falsitas accusationum, silentio respondere optimum est.

6. *Emendatum ergo illum dimittam.* Nil peccasse Iesum profitetur et emendare se velle dicit. Scilicet claudicat in duas partes, nec iniustus vellet esse nec iustus esse audet, leges vellet servare sed et Iudaeis satisfacere. Ita ad extrema etiam delabitur et semper gravius in Iesum innocentem delinquit.

8. *Quid ergo faciam de Iesu? Quid enim mali fecit? Crucifige ... magis clamabant ... invalescebant voces eorum.* Ita quo

debiliorem se Pilatus, eo *ferociorem* exhibet se turba; ita timor vanus veras timori causas praebet in publicis rebus administrandis. Sed quid inter haec sensit Cor mitissimi Iesu, cui aeque timor Pilati ac ferocia plebis offendebat gravissime ... Utrimque peccatur, innocens utrimque patitur.

13. *Ecce homo* humiliatus, excruciatus, proclamatus dignus morte crucis, peccatis mundi totius onustus. Sed quam merito de me: *Ecce homo,* hominis nomine indignus, et tamen Christianus, religiosus, sacerdos, religiosorum et sacerdotum praeses ... Eheu, qua ignominia, qua morte dignus!

14. *Quia filium DEI se fecit.* Nostra haec est superbia, *facere nos,* quales non sumus, cum esse non possimus, in genere bonitatis vel cuiuscumque boni, nisi quod DEUS dederit, quod *DEUS nos fecerit.*

15. *Si hunc dimittis, non es amicus Caesaris.* Non dicitur Pilatus timuisse hunc sermonem, scilicet satis videbat, non *talem* esse regem Christum.

Ecce Rex vester, rex scilicet *qualem* se Iesus esse ipsi confessus erat.

16. *Angariaverunt Simonem.* Licet invitus ... tamen praemium tulit, sed ego, qui quis sit Iesus didici et quae sit virtus crucis eius, si *invitus,* si *querulus* humeros submittam, ... peius si portare detrectem! Portabo, bone Iesu, et portabo usque ad mortem, utinam etiam laetus et gaudens, quia *post te.*

17. *Nolite flere super me.* Non improbat Dominus fletum mulierum; non enim dicit: *quid fletis?* ut alias cum improbat quaerere solet, sed *nolite ... super me,* quia alia vobis flendi ratio *super vos ipsas etc.* Quanta mala manent peccatores, ut in comparatione illorum malorum, ipsa flagella et spinae et crux Christi cum suis tormentis et ignominiis, minus digna fletu videri debent! *In imagine pertransit homo.* Etiam passio Christi, quantum ad ea quae humanitus cognoscuntur non nisi *imago* poenarum alterius vitae!

20. *Diviserunt vestimenta Domini.* Ita *inspectante Domino de cruce nudo* dividuntur ac diripiuntur eius vestes. Quae *spoliatio* umquam comparari huic spoliationi potest? et quando umquam cuiquam fiet *in tantis doloribus et opprobriis* constituto, et *inspectanti?*

Vestes illae, in quarum fimbriae tactu salus, in manus transeunt sanguinolentas et impias. Grandis imago spoliationis bonorum Ecclesiae.

21. *Nos quidem iuste, nam digna factis recipimus.* Haec *confessio* sincera et humilis prima dispositio ad misericordiam inveniendam. In omnibus adversitatibus. Ita et Daniel: *confitebar peccata mea et peccata populi mei.*

24. *Fer.* 6 *in Parasceve.* Domini Iesu *dignitas,* collata cum tantis *opprobriis* et *doloribus* et *desolatione.* Ego vero tam *indignus* et contra tam *bene habeor,* ut quale discrimen inter *Iesum* et *me,* tale inter modum quo tractor *ego* et modum quo *Iesus* habitus est! Omnia prorsus inversa eheu!

26. *Resurrectio D. N. Iesu Christi. Decora lux aeternitatis ... Fides* et *spes* pro nobis, *caritas* in gaudio de gloria Salvatoris. Resurrectio.

29. *Cur Dominus resurgens non dedit se spectandum custodibus?* Quia *indigni,* quia *fide* salvandus homo. Nox illa sola novit tempus et horam.

1 Apr. *Regina caeli,* hic titulus iam competebat Virgini, etiam in exsilio huius vitae.

Laetare, gaudium Virginis matris de Filii resurrectione *Alleluia!* Gaudium nostrum in Domino.

3. *Annuntiatio B. V.* Annuntiatio.

5. *Ave.* Salutatio angeli sincera et vera. Hominum salutationes vel pravae, laudantium quae laudari non debent: *oleum peccatoris non impinguet caput meum;* vel *falsae, ore benedicunt et corde maledicunt;* vel certe *vanae* et semper *noxiae. Qui te beatum dicunt, illi te decipiunt.*

6. *Gratia plena,* respicit ipsam, *Dominus tecum,* respectu ad DEUM, *benedicta in mulieribus,* relatio ad homines ei similes natura.

10. *Hic erit magnus,* Iesus Christus vere *magnus,* non ut homines *respective,* non *accidentaliter* et *ex dono, magnus* quantumvis vilipendatus, blasphematus ab impiis. Ipsi nihil demere possunt, a nemine dependet, quin sit *magnus. Tu solus ... Gratias ... propter magnam gloriam tuam!*

14. *Quid turbati ...et cogitationes ascendunt ... Ascendunt* cogitationes terrenae, infimae, *descendunt* bonae, quae *desursum* sunt. Alia sapientia quae *de terra* est, alia quae *de caelo,* haec *descendit,* illa *ascendit* in cor. Medium ad discernendos spiritus, ut admittantur vel repellantur cogitationes et notiones, ne simus e numero eorum qui *terrena sapiunt.* Apparitiones.

Discipulorum affectus 1° *turbati* et *conterriti,* 2° *mirantes* prae *gaudio, necdum* tamen *credentes* oculis suis.

15. *Quia quem meruisti portare, meruit* B. V. cooperando fidelissime gratiis sibi datis ut ad *matris* dignitatem praepararetur.

Ora pro nobis Deum alleluia! Nobis quidem in hoc saeculo miseriae et miseriarum abyssus, unde nobis *dolor* et *contritio,* sed *alleluia,* laus DEI gaudium nostrum ... *propter magnam gloriam Eius, alleluia!*

Apparitiones.

17. *Iterum*: *Pax vobis,* primum ut tentationem tolleret, *iterum* ut gaudii *sensum moderaretur, pax, pax, pax,* necessaria *dupliciter* ad officium apostolicum.

26. *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra.* Data est mihi, homini, *omnis potestas* ... Quanta hinc orandi, laborandi, patiendi fiducia oriatur necesse est pro Christo!

5 Maii. *Convescens,* discipulorum in Christum redivivum *fides* et *caritas* et *spes.* Dominus repetiverit illis: *nolite timere pusillus grex,* et alia tam multa, quae in vita sua mortali dixerat *spei* ac *solatii* plena.

6. *S. Ioannis cognitionem Iesu et interiorum Eius* ...

Spiritus S.

14. *Cum complerentur dies Pentecostes.* Quantum discrimen legis veteris et legis *novae,* et quas *gratias* debeo, quod sub hac natus sum eiusque factus particeps, idque tam liberaliter. Quanta *ingratitudo,* parum amare!

15. *Omnes pariter in eodem loco,* quam infelix, qui a ceteris divisus ...

16, 17. *Factus est repente* ... *Qua hora non putatis.* Ut mors ita et consolatio divina et Spiritus S. adventus, ut *semper* simus dispositi et *semper exspectantes beatam spem,* nullo non tempore, nullo non loco, in omni actione et occupatione sint omnia talia, ut Spiritus S. *exspectari possit.*

18. *Spiritus S. ignis* cor obscuratum *illuminat,* sordidum *purgat,* durum ut petram *reducit in pulverem* contritione, terrenum humore passionum *exsiccat,* vinculis ligatum *solvit, separat vel unit,* pro ratione necessitatis animae.

De SS. Sacramento et de SS. Corde.

3 Iun. *S. Monicae* (transl.) *DEUS, maerentium consolator et in te sperantium salus.* Qualis *maeror* meretur solatium, *spes* salutem? *Quare tristis? Spera in DEO.*

Monica mater, mea sollicitudo paterna, cum *maerore* et *spe,* pro filiis Societatis, pro Ecclesia, pro mundo. *O DEUS, consolator et salus!*

6. *Non licet tibi,* ita Ioannes Herodi. Numquid monitio fuit *inutilis,* quia fructum optatum non tulit? Christus autem Ioanne misso in *carcerem, secessit* in Galilaeam. Ita aliter Ioannes aliter Christus, uterque sanctissime et secundum voluntatem DEI.

Virtus Domini ad sanandum eos. Applicandum ad Iesu virtutem in Eucharistia.

Tres diversi circa *vocationem*: Primus se offert et Dominus: *vulpes faveas habent etc.* Alter: *sine me sepelire patrem,* ... *sinite mortuos sepelire mortuos suos.* Tertium renuntiare iubet iis qui domi sunt: *nemo mittens manum ad aratrum.*

29. *S. Petri. Tu es Christus* ... divinitatem agnoscit, nam filii DEI adoptivi erant etiam prophetae ... *Non caro et sanguis* ... Sine fide supernaturali *divinitas Christi* non agnoscitur. *Tu es Petrus etc.* Prophetia splendide impleta per omnia saecula, et cuius vidimus etiam nunc effectum, nisi *caeci* vel *claudentes oculos.*

8 Iul. *Sancta Maria.* B. V. sanctitas eo mirabilior quod licet donis gratiae superaret primum hominem in statu naturae integrae, tamen *laboribus* et *doloribus* fuit obnoxia. Adam *sine his* lapsus, Maria *cum his* sancta, immo eo sanctior, quanto plus passa est.

15. *Mater Christi, Messiae,* quod est *honoris* et *doloris.*

16. *Oratio Dominicae*: *Pateant aures misericordiae tuae, Domine, precibus supplicantium.* Quanta humilitate rogandum, etiam ubi promissa petuntur, quia semper *undequaque indignissimi* sumus!

25. *Nescitis quid petatis.* Si gloriam mundanam, spinas petitis, si gloriam aeternam, bene sed *nescitis,* non posse acquiri nisi *gravi certamine* ... Item petitis *vobis non competentia.*

1 Aug. *Filii altissimi* (eritis) *quia ipse benignus est in ingratos et malos.* Quam alta idea de bonitate et misericordia DEI! *Estote perfecti, sicut et Pater vester caelestis, etiam in ingratos et malos.*

5. *Mater divinae gratiae.* In partu filii sui divina mater non doluit, at quantum doluit, ut *gratiam nobis pareret!* Ita nos *patres* non poenosa sollicitudine pro familia, ut patres terreni, sed in alio genere sollicitudinis et curarum.

22. *Multi dicent mihi in illa die. Mihi,* se iudicem futurum aperte declarat. *Nonne in nomine tuo daemonia eiecimus etc.* Etiam *spiritualiter* intelligi possunt de omnibus operariis evangelicis, si facta ministerio sacro non respondent.

23. *Domine, si vis, potes me mundare.* Ut leprosus, ita totum genus humanum coram Christo Domino. *Tetigit eum* ... *volo* ... Nos tangimus Christum in Eucharistia, sed necesse est ut Christus etiam tangat nos, et ad hoc nos disponamus, et hoc ab Ipso efflagitemus.

27. *Et beatus qui non fuerit scandalizatus in me.* Conclusio mira post enumerata beneficia. Sit semper haec sors et portio Societatis!

2 Sept. *Quae est mater mea?* Numquam legitur Christus Dominus suavia verba dixisse matri suae, et nos volumus blandimenta consolationum! Ceterum, et Mater sanctissime ipsa excipiebat et Filius, dum dicit: *Qui audit verba mea et facit ea* ... eo ipso elogium fecit matris.

Cholera.

3. *Semen est verbum DEI. Verbum DEI* seu *vox Domini in virtute,* etiam *choléra* (1). Videndum ne aut *secus viam,* aut *in petrosa,* aut *inter spinas* cadat, sed *in terram bonam.* Hoc utinam! *Et fructus* maneat Dominicae visitationis! Quis non agnoscat, non sentiat vitae tempus omne donum esse gratuitum DEI, cum tam multi intra paucas horas rapi videat ad aeternitatem?

5. *Zizania in medio tritici.* Sic in *mundo,* in *Ecclesia,* in *religione,* in *anima.*

11. *Videns turbas misertus est eis, quia erant vexati et iacentes sicut oves non habentes pastorem. Messis multa ... rogate ergo Dominum messis, ut mittat* ... Domine, Tu Dominus messis, mitte ergo! Et qui iubes rogare, quomodo rogantes et ex corde supplicantes non exaudies?

12. *Tunc convocatis duodecim* .... Etiam non rogatus non rogantes mittit, *dedit eis potestatem super omnia daemonia.* Quam divina, et quae praecipit quantum inspirant fiduciam!

13. *Pax ... Si ibi fuerit filius pacis ... sin autem* ... Spiritualiter sic pars superior *pacem* nuntiet inferiori, quodsi haec non admittat, *pax* tamen erit superiori.

17. *Septem dolores B. V. Christus in cruce. Mater sub cruce,* an umquam quidquam gravius, immo quidquam simile accidere nobis poterit? Et tamen *beatus finis.* Fiducia in DEUM generosa et resignatio *in omnia.*

19. *In multiplicatione quinque panum.* Apostolorum consilia de emendo pane, item illud: *quid haec inter tantos?* argumento sunt, quam raro *fiducia* hominum *bonitatem Domini* assequatur. Etiam post experimenta habita illius bonitatis tot ac tanta!

23. *De surdo et muto. Suspiciens in caelum ingemuit, dolet* misericors Iesus *miseriam* humani generis, sed quanto magis super *spirituales* infirmitates!

1 Oct. SS. Rosarium *praesidium* adversus haereses et vitia quid mirum? Totum versatur circa *Iesum* et *Mariam.* Nec mirum, haereticis et malis catholicis contemptui esse.

13. *Expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo eius. Expedit,* scilicet omnia huius vitae consideranda secundum *relationem* quam habent *cum vita futura.* Haec *regula* et *norma,* iuxta quam *solam* diiudicanda huius vitae seu bona seu mala.

17. *Iesu, fili David miserere* ... Sic leprosi, sensu propriae miseriae. Si ita *maculas* spirituales *sentirem,* quam ferventer orarem!

---

(1) Lues asiatica mense Iulio a. 1837 in Urbem ingruit. Servus Dei, voto facto Purissimo Cordi B. Mariae Virg. cum omnibus sociis Romae degentibus aegrotorum curationi se tradidit.

Ite, ostendite vos sacerdotibus. Poterant cogitare: quid hoc proderit nobis, nisi prius nos mundet? Sed Dominus plerumque *oboedientiam* exigit ab iis, quibus per miraculum vult consulere.

18. *Quidam dicebant, quia bonus est, alii autem, non sed seducit turbas.* Quanta dignatio Domini erga Societatem, quod eam similem suae sortem experiri faciat!

19. *Si quis sitit, veniat ad me ... Quemadmodum desiderat cervus ... sitivit anima mea.* Beata sitis spiritualium bonorum.

26. *Fures et latrones, et non audierunt eos oves.* Magnum solatium, *oves,* homines bonae voluntatis a doctoribus erroris non seducuntur. DEI est illos praeservare. Et gratia interna etiam rudes homines et indoctos docet cavere a pestilenti doctrina.

11 Nov. *Nemo accendit lucernam et ponit eam sub modio.* Electi a Domino ut sint *lucernae,* 1° non tales ex se, 2° lychnus maior vel minor non ab ipsa dependet, 3° oleum nisi infundatur, 4° nisi accendatur, 5° nisi super candelabrum ponatur: quid in omnibus his non *totum* a Domino? *Nemo potest accipere quidquam, nisi datum ei fuerit. Lux* Christus, homines *lumina* vel *lucernae,* quae extrinsecus accipiunt omnia ...

15. *Mulier ... inclinata, nec poterat sursum respicere,* imago mea, hominis terreni. Erat *spiritus infirmitatis,* daemonis operatio.

Christi severitas in *hypocritas. Populi* gaudium de Christi factis *gloriosis.*

19. *Dominica* 6 *p. Epiph. Semper rationabilia meditantes... Rationabilia* 1° conformia *rationi,* 2° iustis *rationibus* fundata, 3° *rationabilia* per oppositum ad *sensibilia, invisibilia* ad *visibilia. Quae enim videntur temporalia sunt, quae autem non videntur aeterna,* ut ait Apostolus.

30 Dec. *Angelus Domini iuxta illos* (pastores) *et claritas DEI circumfulsit illos,* non alios. O dispositionem *humilitatis, paupertatis, simplicitatis, vigilantiae ... Invenietis infantem... invenietis, hoc vobis signum ...* Ipse Infans se *inveniri* faciet a vobis. Nativitas.

31. *Et subito ... militiae caelestis, laudantium DEUM.* Gaudium *Angelorum* in tanta exaltatione *humanae naturae.* Affectus prfectae *caritatis,* quae *invidiam* (daemonis) non novit, et sola *DEI voluntate* beata est.

1838.

13 Ian. *Procidentes adoraverunt eum. DEUS meus* ... Quomodo *meus* si *DEUS?* et quomodo *DEUS,* si meus? Sed *DEUS Salvator,* vere *meus,* mihi datus, mihi natus, mihi totus impensus.

21. *Erat subditus illis,* et hoc ex voluntate Patris, et huic ministerio etiam applicari potest: *in his, quae Patris mei sunt, oportet me esse.*

23. *Cuius non sum dignus solvere corrigiam calceamenti.* Quam *verus* sensus de Christi dignitate! Sed quid mihi sentiendum, qui ... manibus tractem et in cibum sumam!

S. Io. B. 25. *Ego vox clamantis,* non clamans *ipse* sed *vox* clamantis, merum instrumentum gratuito electum; poterat enim alio quocumque uti Dominus ad hoc ministerium. Quam *vera* humilitatis solidae ratio!

Passio. 10 Febr. *Quod natum est ex carne, caro est.* Et eheu! *quod natum est ex carne,* cum suis miseriis, durat usque ad mortem.

3 Mart. *Facta autem et contentio inter illos.* Modo anxii ac dolentes quaesiverant: *numquid ego sum, Domine.* Vix Christus de gloria sua post Iudae discessum locutus erat, et iam obliti anxietatis contentionem instituunt. Ita mihi a *desolatione* ad *consolationem* transeunti. Ut ubique defectus et miseriae! Cor *dilatatum* cavendum ne fiat cor *tumens.*

6. *Tristis est anima mea, coepit taedere.* Qui sensus SS. Cordis ... *Pro toto genere humano* vitam ponit ... et *tam multi perituri ... !*

18. *Amodo videbitis Filium hominis* ... Ita hoc non tacet Christus, sed loquitur, *licet sciat non profuturum* Caiphae etc. Ad calumnias et falsa testimonia tacet, quia manifestum erat, calumniatores ex passione loqui et rationem abiecisse. *Responde stulto ... ne respondeas stulto* ... utrumque Dominus servat.

15 Mai. *De fine. Servire DEO,* facere *voluntatem DEI,* ubi nota est; ubi vero voluntas DEI non cognoscitur, securius est illud eligere quod est *contra voluntatem meam.* Haec enim praecipuum voluntatis DEI impedimentum.

24 *Ascensio Domini. Viri Galilaei, quid statis* ... Reprehenditur inoperosa speculatio et contemplatio caeli, nunc agitur de serviendo DEO de Eius facienda voluntate.

Spiritus S. 27. *Spiritus Sanctus, Advocatus, postulat* ... 1° Facit ut cognoscamus nostras necessitates spirituales, 2° sumus absque Spiritu S. indigni conspectu Dei, 3° absque Spiritu S. nescimus

quomodo orare oporteat, 4° Spiritus S. excitat *gemitibus inenarrabilibus.*

11 Iul. *Et virtus Domini ad sanandum eos* ... pro Visitatione Sanctissimi.

12. *Non veni vocare iustos sed peccatores, non est opus bene habentibus medico, sed male habentibus.* Quam bene dicitur: *misericordia Domini super omnia* ...

9, 10 Aug. *Pater noster, qui es in caelis* ... applicandum ad SS. Sacramentum.

11. *Lucerna corporis* ... *oculus* ... Non sufficit *oculus* nec lux sine oculo, ideo *Illumina oculos meos; illuminatos oculos,* pro recta intentione.

26. *Festum purissimi Cordis B. V. Mariae.* Cor *purissimum,* non modo a culpa, sed ab omni *inordinatione;* semper intentio recta et pura et in electione mediorum pariter.

9 Sept. *Dominica 14. Sine te labitur humana mortalitas,* in me, in meis, in omni Collegio, Provincia.

11. *Oves, serpentes, columbae,* triplex qualitas hominum apostolicorum.

20. *Ego sum panis vivus* ... *caro mea vere est cibus* ... *Fides,* sed si viva, quomodo non producit actus admirationis, adorationis, laudis etc.! *Iustus ex fide vivit.*

23. *Tua nos, Domine, gratia semper et praeveniat et sequatur. Gratia* est *misericordia,* sed plus quam misericordia, non modo miseris subveniens, sed ex miseris beatos faciens.

5 Nov. *Iesu, Praeceptor, miserere nostri.* Si miseriae spirituales ita sentirentur ut corporales, quam ferventer orarem! Petam, ut eas cognoscam, et bene compellabo Dominum: *praeceptor.*

Ite, ostendite vos ... Solet Dominus aliquid exigere et quidem non sine *abnegatione proprii iudicii* in iis quae iniungit. Ita passim.

6. *Iesus perrexit in montem Oliveti, et diluculo* ... *in templum* ... *et omnis populus ad eum* ... Omnis populus ad eum, et tamen nemo invitabat, nemo excipiebat. Talis est *hominum,* etiam quibus ob benefacta gratiosus sis, *gratitudo.*

7. *Veritas liberabit. Servus est peccati, servus* est qui alienam voluntatem sequitur et sequi cogitur, quantumvis sibi duram et molestam.

8. *Ut manifestentur opera DEI in illo.* Haec ratio omnium quae eveniunt, ad *purgationem,* ad *illuminationem,* ad *unionem.*

9. *Lutum super oculos* ... *et lavare in natatoria Siloe* ... *Noverim me, noverim te,* cognitio *luti* mei et purgatio per Christum.

22. *In ipsa hora exsultavit*... Hic *semel,* in quadam *hora,* exsultasse legitur Dominus, gaudens quod nomina discipulorum scripta essent in caelis, ceterum vix umquam exsultasse, gavisus esse legitur.

25. *Dominica ultima p. P. Excita, quaesumus Domine. Excitandi* sumus, vel a morte vel a somno. *Surge, qui dormis*... *Ego dormio et cor meum vigilat,* ait sponsus; nobis contra dicendum: *Ego vigilo* (curis temporalibus) *et cor meum dormit,* cor, affectus in DEUM. *Excita, Domine*...

18 Dec. Quae cum Elisabeth et Ioanne B. ad Virginis salutationem gesta sunt, quam *magna, momento* facta et *occulte,* mundo inscio.

23. *Dominica* 4. *Adventus. Quod nostra peccata praepediunt.* Intellexi defectuosam esse humilitatem in meo *nihilo* fundatam; hanc enim et in Sanctis et in ipsa B. V., et in ipsa Christi humanitate locum habere; in me vero non modo *nihilum* illud, sed *peccata, peccata, peccata* innumerabilia, humilitatis esse debere et esse motivum iustum et necessarium.

25. *Nativitas D. N*.... *Sub peccati iugo vetusta servitus.* Semper idem nobis petendum, dum vivimus, quia *servitus* ista durat. Perfecta libertas non nisi in patria caelesti.

Iesus Puer... *Laudo* et *ago grates*...

26. *Filium primogenitum,* multi filii spirituales secundo geniti, sed hi multo dolore Matris.

1839.

6 Ian. *Stellam* Magi adverterunt, intellexerunt, secuti sunt generose, constanter, fideliter; ita ego debeo inspirationes advertere, intelligere, sequi, sed eheu!

24. *De filio prodigo.* Quid est, quod homines ubi de salute et praedestinatione agunt, semper videantur non in homine culpam perditionis quaerere, sed quasi in defectu gratiae? Et tamen...!

27. *Dominica Septuagesimae. Iuste pro peccatis nostris affligimur.* Ut minor sum omnibus miserationibus Dei, ita minor est poena omnibus peccatis meis.

12 Iun. *Peccatores*... *ut audirent eum.* Ecce, Pharisaei ut *observarent, ut caperent in sermone, ut tentarent;* quanto melior conditio peccatoris humilis, prae praetenso iusto superbo!

Visitatio.

2 Iul. *Exsurgens*... *cum festinatione.* Tantus ardor non ad salutandum solum, sed ad sublimiorem finem. Quanto festinandum ad gratiam!

3. *Ut audivit salutationem,* quanta vis Spiritus! O si contionatores... aut etiam in privato sermone Spiritu animati!

4. *Benedicta tu*... Laudes Mariae inspirat Spiritus Sanctus.

5. *Magnificat*... Mater Domini *extra se* rapta, totum in DEUM refundit.

6. *Compulit*... *Et ipse solus in montem,* post miraculum panis fugit honorem... Nulla ratio *maioris boni, fructus animarum,*.... quam vanae illusiones hominum!

16, 17. *Magister bone, quid boni faciam?* Haec oratio est mihi facienda.

Haec omnia observavi. Ego ita dicere non possum et nihilominus licet *indignum* Domini *intuitu, dilexit me!*

22, 23. *Operarii in vineam,* quanta liberalitas in lege gratiae brevi tempore laborantibus, et tanta copia gratiarum! *Vinea,* labor gravissimus in prima *plantatione* et *renovatione, via purgativa.*

6 Sept. Feria 6ª. *SS. Cordis Iesu* devotio in eo potissimum ut *interiora* Domini ponderemus et Cordis *amorem tenerum* ac *fortem* sentire, et cum eo *dolere* et cum eo *amare* DEUM discamus et proximum, et iniurias eius reparare studeamus. SS. Cor Iesu.

Omnia *exteriora* Domini nonnisi *umbra interiorum* Cordis.

12. *Sic DEUS dilexit*... *ut filium unigenitum daret.* Relatio intima inter diligere et dare. Ita ego, si amo opere et virtute.

14. *Ego cum exaltatus fuero a terra.* Dominus Iesus de futura morte sua, cuius omnes circumstantias tam horrendas distincte cognoscebat, quomodo loquitur semper? Quanti fecit *amor* eius omnia illa tormenta cum tantis ignominiis!

15. *Et nomen Virginis Maria.* Nominis devotio iustissima, quia *nomen* omnia illa excelsa exprimit, quae alias per partes exprimi vix ac ne vix quidem possunt.

Quam vere dictum: *et ipsi nihil horum intellexerunt.* Quomodo post annuntiatam futuram passionem petiverunt duo: *unus a dextris, unus a sinistris*... nec ceteris melius dispositi quam hi duo. *Nescitis quid petatis,* duplici sensu: si de regno meo in hoc mundo petitis, *crucifigi* mecum a dextris et a sinistris, si in altera vita, hoc quam sublime sit *nescitis,* est enim Patris mei dare cui voluerit.

26. *Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam.* Hic nobilis Christus Iesus solus, vere nobilis, omnes enim ceteri degradati. Totum de Christo in caelum ad regnum capescendum abituro et.... *reversuro ad iudicium.*

7 Oct. *Dicite quia Dominus his opus habet.* Christus *Rex* vere et plene, quia regnum habet *in se,* non dependens ab ex-

terno ambitu principum et exercituum ... *Rex* etiam nudus in cruce.

8. Quam bonum ac beatum est hunc Regem sequi, huic adhaerere Regi immortali, *cuius Regni non erit finis!*

12. Post *Hosanna,* post miracula in Templo facta, vesperi sero, a nemine invitatur, exire extra civitatem hospitium quaesiturus cogitur. En *hominum* gratiam! Etiam boni respectu humano, timore pharisaeorum dissimulant, non audent. *Cavete ab hominibus, nolite confidere,* si etiam non adversentur, tamen *deserent.*

24. *Amen ... nisi granum frumenti ...* Admirabilis similitudo ad explicandum *fructum* spiritualem producendum per *contraria;* ita mihi, ita Societati.

25. *Cadens in terram,* humilitas , ... *mortuum fuerit,* mortificatio, ... *multum fructum affert,* ecce fructus ... Et fructum et mercedem Dominus ubique proponit et promittit in sui sequela. Nempe *crux amabilis,* non in se, sed ob suos effectus et fructum, ut in ipso Christo. Sic: *qui mihi ministrat, ... ubi sum ego et minister meus erit, ... honorificabit eum Pater meus.*

26, 27. *Nunc anima mea turbata est etc.* O Iesu, propter nos et ad exemplum nostrum *turbatus* in parte inferiori, postea etiam *tristis,* quod plus significat. Sed utrobique monstrat quid agendum in *turbatione* vel in *tristitia.*

28. In consideranda Domini Iesu *benignitate* coniungenda contemplatio *maiestatis,* ut reverentia fiduciae semper unita sit, et timor sanctus amori.

3 Nov. *Dominica* 4ª *p. Epiph.* Oratio *Deus qui nos etc.* Miseria nostra triplex: *fragilitas, pericula, peccata.*

5. *Fecit nuptias filio suo.* Quae dignatio, quod Filius DEI desponsaverit sibi naturam humanam, tam foedam, tam miseram!

Misit, vocavit ad nuptias, nolebant venire. Omne malum a voluntate hominis. Non vult, non quod non possit aut quid desit ex parte DEI.

6. *Hoc est maximum et primum mandatum.* Ergo *amor DEI,* si huius causa me agere, me vivere humiliter per misericordiam DEI conscius sum, erit mihi *scutum, thorax* impenetrabilis, erit *pallium,* quo securius me involvam in omni tempestate.

10. *Dominica* 5ª. *p. Epiph. Familiam tuam etc.* Deus *Pater* familias, a quo *solo* omnis nostra felicitas, in quo omnis *spes. Familiam,* animam meam, Societatem, Ecclesiam, *continua pietate custodi.* Totum est opus hoc *pietatis* huius *Patris,* Patris magis quam Domini.

17. *Dominica* 6ª. *p. Epiph. Semper rationabilia meditantes,* i. e. non carnalia, non mundana, non sensibilia et visibilia, sed *rationabilia.* Quanta mentis et cordis *puritas,* ex qua dein et *dicta* et *facta; de bono thesauro bona.*

18. *Tunc videbunt Filium hominis... plangent omnes... levate capita vestra... Fides, timor, spes, caritas et gaudium* de Christi gloria. *Adveniat regnum tuum!*

20. *Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia et stare ante filium hominis.* Quam plena sensibus verba!

26. *Unicuique secundum propriam virtutem.* Quomodo, si nemo quidquam ex se habet *virtutis propriae?* Scilicet fidelitas primae gratiae meretur alteram, et ita *propria* fit. Sed eheu,... quid mirum, si *parum* accipio? Domine, *multum* accipio praeter omne meritum.

29. *Intravit satanas in Iudam, unum ex duodecim.* Hoc omnes Evangelistae notant. Ita scilicet iuxta meditationem *de duobus vexillis, nemo immunis* relinquitur a tentationibus daemonis, et prima tentatio *cupiditatis,* etiam in lucro exiguo. *Latro* in cruce salvatur, *Iudas* Apostolus...

30. *Coenaculum grande stratum,* anima mea *angusta* et *inornata.*

1 Dec. *Dominica 1ª. Adv. Imminentia peccatorum pericula,*

2. *De Incarnationis Verbi Mysteriis.* 1º. Generis humani misera conditio sine Redemptore, *massa damnata,* cuius ego pars... Quid mihi debetur? Si nihil boni facio, saltem *patiar* utinam! Incarnatio.

3. *S. Franc. Xav. Instrumentum gloriae* DEI. Et ego?... Eheu...! Sed si ineptum, rogandus DEUS, ut meo loco alium sibi sumat instrumentum. O! si non impedirem divinam manum! Numquid *securis, serra...?*

14. *Turbata in sermone eius, cogitabat.* Turbatio B. V. et erat ex virtute humilitatis et verecundiae (*in mulieribus*) et non fuit perturbatio. *Ex* virtute... et virtutem produxit summae prudentiae, nec rationis imperium praevenit nec turbavit, nec actus irrationabiles produxit. *Contra in me.* Annuntiatio.

16. *Invenisti gratiam.* Humilitas dispositio; *gratia* DEI est, si nostra uti opera dignatur, et *gratia* etiam hominum, si nostris ministeriis utuntur. Non nos *benefactores,* sed illi et super omnes DEUS.

23. *Edictum Caesaris.* Superbia, avaritia et durities, cogere omnes, etiam pauperes, ire in propriam civitatem et ibi profiteri et solvere tributum. Sed Maria et Ioseph non murmurant. Iesus infans in utero docet Matrem, Mater sponsum. *Ille regit....* Inspirationum divinarum divina virtus. Nativitas.

24. *Ascendit Ioseph* ... Iter laboriosum, ita eligente et disponente Filio DEI. Omnia contraria iis, quae mundus amat.

Pastores. 30. *Invenietis infantem.* Quomodo *invenietis?* Utique ducente DEO. Fiducia in Illo ... Donum humilibus et mortificatis, ut his pauperibus pastoribus.

1840.

Magi. 9. Ian. *Qui cum audissent regem, abierunt,* perdi tempus existimantes, si haererent in aula ultra necessitatem. Mihi parcendum tempori, in colloquendo, in visitationibus, etiam necessariis, ne ultra necessitatem prolongentur.

10. *Videntes stellam gavisi sunt.* Consolationis duplex fructus, cordi dilatatio per gaudium et lumen intellectui; *mens* et *cor* iuvantur.

11. *Intrantes ... invenerunt puerum cum Maria.* Quam diverse vident oculi *interni* et *externi! Puerum* et *matrem,* primo puerum cognoverunt et ex pueri dignitate matrem.

12. *Dominica. Vota supplicantis populi caelesti pietate prosequere.*

Fuga in Aeg. 22. *Tunc Herodes ... occidit. Tunc,* cum iam S. Familia fuga arrepta in tuto esset. Ita *tempora disponit* Dominus.

Inventio in templo. 24. *Maria* et *Ioseph quaerentes Iesum* ... Sollicitudo sine defectu, scilicet exercebant humilitatem, resignationem et sollicitam curam et operam *sine anxietate, sine pacis iactura.*

26. *Dominica* 3ª. *p. Epiph. Omnipotens sempiterne Deus, infirmitatem nostram propitius respice. Infirmitas* dicit positionem abiectam virium, *infirmus* plus est quam *non firmus, infirmitas* nostra omni ex parte *omnipotenti pietate* indiget; *atque ad protegendum nos dexteram tuae Maiestatis extende.* Videtur alludere ad Evangelium de leproso.

29. *Lex per Moysen data est, gratia per Iesum Christum facta* ... Ita Constitutiones et Institutum et Adnotationes per hominem, *gratia* per Iesum Christum.

In medio vestrum stetit. Iesus in medio nostrum, ad Illum recurrendum in omnibus, praesertim mihi, ut *per Eius gratiam* proficiamus.

Nuptiae. 4 Febr. *In nuptiis. Et erat Mater Iesu ibi.* Quam felix domus, ubi adsit *Mater Iesu !* ... Quid faciendum, ut invitemus; quid ut retineamus!

Venditio in templo. 6. *Cum fecisset quasi flagellum.* En Domini mansuetudinem in ipso zelo et vindicta! Ita scilicet *in hac vita* iustitia Christi *non* in *furore.*

9. *Dominica 5ª. p. Epiph. Familiam tuam* ... DEUS, licet Dominus tamen amat *Pater familias* vocari. In *familia* sunt *filii* et *domestici* et *servi.* Familia Domini et Ecclesia et Societas et anima cum suis potentiis et corporis sensibus.

Sola spe gratiae caelestis innititur, non *gratia* sed *spe gratiae,* et hac *sola* quia gratiam an habeat necne ignorat, sed omnino *sperat* et hac *spe* nititur.

14. *Socrus Simonis* ... *rogabant eum pro ea;* orandum. Etiam ipse Christus in *desertum* et *ibi orabat,* debuit orare, licet etiam sine oratione ipsi deberetur. *Postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam.*

17. *Daemoniaci apud Gerasenos.* Quid non faceret in homines tyrannus ille, nisi Iesus nos liberasset ab eius tyrannide! Qualiter animam ageret! *Rogavit, ne eiiceret extra regionem,* non quod ipse minus pateretur, sed quod magis nocere posset hominibus, *hostis humanae naturae.*

19. *Et virtus Domini ad sanandum eas. Confide, fili, remittuntur* ... Benignitas Domini non improperat sed peccatorem vocat *filium.*

23. *Dominica Sexag. DEUS* ... *in nulla nostra actione confidimus.* Hoc utinam intime sentiamus! Tum gratiam Redemptoris, cum ex *misera stirpe humana* eligit tales, qualis *doctor gentium,* qui sint *protectores universales.*

26. *Haemorrhoissa, humilis* et *confidens. Si tetigero tantum* ... *Accedite ad eum et illuminamini,* in SS. Sacramento, et purgamini et sanamini et solamini et confortamini et proficite et perfectionem persequimini.

27. In *archisynagogi puella mortua* resuscitanda quanta benignitas Salvatoris! Si tanta eius misericordia pro mortua, postea tamen iterum moritura (idem in reliquis miseriis corporalibus) quanto maior pro necessitatibus *spiritualibus.*

De Domini passione. Merito Dominus toties de passione sua praemonuit, quia utique longe magis supra humanum intellectum passio Domini, quam eius miracula et gloria. Passio.

Ecce, Mater tua. Iesus postquam se totum suaque dedisset, tandem etiam *Matrem* nobis donat! Scilicet omnis Ipse et omnia sua *nobis* ...

21 Sept. *Consummatum est.* Ita si post singula opera mea dicere possem! Saltem *tendendum* ad illam perfectionem *intentionis* et *actionis.*

23. *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Ita orandum mihi pro *spiritu* meo, Societatis, sociorum, superiorum, *item* Ecclesiae, cleri. De *spiritu* omnis cura; de fortunis, de fama etc. parum refert. *Spiritus* sollicite commendandus.

2 Nov. *Antequam vadam et non revertar* ...

5. *Unus vestrum me traditurus est.* Quid si diceretur: *unus* de Societate, unus de romanis, de domo professa, de curia generalicia! Nonne *mihi* timendum foret, ne is *unus* ego essem?

17. *De Incarnatione. Personae,* homines, miseriae ex malitia; si primus homo non peccasset, fortasse non fuisset melius genus humanum, fuissent etiam *boni* et *mali* et hi tum sine remedio!

18. *Divinae Personae in sua aeternitate vident, decernunt.*

19. *Angelus Gabriel DEI* voluntate beatus; *fiat voluntas tua sicut in caelo ...*

23. Annos 55 complevi ... eheu, quam vacuos! Quam nihil est, quod egi! *Notum fac mihi, Domine, finem meum, ut sciam, quid desit mihi.* Si rationes ineam, *accepti* multum invenio, *dati* autem nihil; nam si quid boni, etiam ad rationes *accepti* transferendum. *Summa remanens:* miseriae et Domini *misericordia,* in qua spes omnis. *In nobis dona tua multiplices et tempora nostra disponas.* Ex Postcommunione Missae. *Via vitae meae* plena *putredinis* peccatorum et *luti* negligentiarum et *pulveris* defectuum infiniti.

13 Dec. *Dominus tecum,* applicatum mihi, sed an *ego cum Domino?*

15. *Ecce concipies in utero.* Apparet ex his verbis angeli, turbationem B. Virginis natam ex *sermone* angeli, quo dixerat: *Benedicta tu in mulieribus.*

16. Si *Spiritus S. superveniret* in me et simul *virtus altissimi obumbraret,* pervenirem ad agnitionem mei sine pusillanimitate, ad agnitionem DEI sine praesumptione, multa bona facerem nec intumescerem, timorem cum amore coniungerem et cum fiducia. Sed hoc DEI opus. *Non erit impossibile apud DEUM omne verbum.* O Domine, o Domine, quam bene in Secreta huius hebdomadae (Dom. 3 Adv.) oramus, ut *salutare suum in nobis mirabiliter operetur.*

20. *B. Virginis humillimum* illud « *fiat* » *praeparavit* illud *infinitum fiat,* quo Verbum incarnatum est.

Nativitas. 24. In Christi Nativitate *visibilia* vilia, *invisibilia* summa. Sic passim et fere hac proportione, *quo plus eo minus.*

1841.

9 Ian. Cognitione *mei* video *abyssum tenebrosam* DEI vero *lucem.*

10. *Dominica infra oct.* In oratione, quam bene *caelestis pietas* imploratur, ut et quae agenda sunt videamus ... Est tota *caelestis.*

29. *Venite post me* (hoc primum), *faciam vos fieri piscatores hominum* (hoc secundum). Apostolorum vocatio.

Ecce nos reliquimus omnia, etiam nos ipsos et iudicium et voluntatem propriam ...

2 Febr. B. Virgo *hilariter* sacrificium suum offert itemque Infans divinum, scilicet abhorrent quae mundus amat, amant quae his adversantur, tertium modum humilitatis. Purificatio B. M. V.

7. *Dom. Septuagesimae. Qui iuste pro peccatis nostris affligimur,* nostra peccata, propria et Societatis et in tota Ecclesia, ut *communio Sanctorum* in bonis ita et in *malis* participatio cum membris omnibus ... Eheu, ex parte nostra plus *mali* quam *boni,* sed in capite Christo, in V. Maria, in sanctis superabundantia bonorum. Semper vero *iuste affligimur* et *ut eramus digni non accipimus.*

9. *Impleverunt usque ad summum,* ita abundem ego in comportanda aqua exhortationum mearum, quam Dominus convertat in *vinum.* Cana.

10. Post miraculum Maria certe gavisa est ob gloriam Filii et ob opulentiam sponsi, sed numquid *sibi* quidquam tribuit? Nil certe, ne orationi quidem suae, vere humilis. Orationes meas si exaudiret DEUS, quantum fuerit superbiae periculum! ... Humilitas, humilitas.

De Domini Passione ex P. de Ponte.

12. Passio Domini in satisfactionem peccatorum ex triplici concupiscentia. Passio.

14. Omnis conditionis homines Dominum persequuntur, quia pro omnibus patitur. Illi quidem immensum augent *debitum* generis humani, sed Christi *meritum* infinitum pretium et superat omnia. Ita porro electorum *patientia* cum Christi meritis unita compenset *peccata* persecutorum.

15. Patitur *pro omnibus* et pro *omnium omnibus peccatis* ... Grandis fiducia veniae, mihi et aliis sine termino. Hortus.

23. *Si non potest hic calix transire, nisi bilam illum* ... Nos calicem plenum abominationibus peccatorum miscemus, quem Domino bibendum porrigimus. Ille suscipit et amarum calicem bibit usque ad faecem, et nobis vicissim stillam huius gustandam praebet, ut fructus passionis reddamur participes.

28 Oct. *Domine, si tu es, iube me venire ad te super aquas.* Meum studium sit, omni cura sic me habere, ut merear audire *ego sum.* Tum fidenter *aquas* laborum et tribulationum ingrediar et super ipsas, DEO iubente, ad ipsum perveniam. Tempestas.

1842.

Iudas.

12 Febr. Christus pretio inaestimabilis *venditur* a Iuda. Ego *emere* Christum debeo, sed quo pretio? *Me* dando et *miserias* meas omnes et *sollicitudines* ac *labores;* semper *parum* dedero, immo *gratis* Eum mihi comparabo.

Sept. Petrus, post praeclaram Deitatis Christi confessionem et accepta illa tanta encomia et promissa, *mox* offendit. *Domine non erit tibi hoc!* Ita nec DEI lumina nec virtus etc. reddunt vel sanctum virum expertem erroris et peccati . . . *Non sapis quae DEI sunt, sed quae sunt hominum.* Quanta lux in istis verbis, ad sensa nostra discutienda et maerores et gaudia!

1 Nov. Sancti in caelo *beati,* quia uniti cum *voluntate* DEI, vident *bonam* et *sanctam* in omnibus. Haec beatitudo *fide* in hac vita. Possidemus Christum DEUM in Eucharistia, quomodo non *beati?* Quia in corpore? Sed quid si anima esset separata a corpore? *Si munda* esset, utique. *Mundities* animae procuranda ut beatitudinis capax sit.

10. *Animam meam pono pro ovibus meis,* Christus *victima, sanctifico pro eis meipsum.*

Missio Apostolorum.

14. *Designavit Dominus . . . et misit illos . . . quo erat ipse venturus.* Viri apostolici debent esse *designati* a DEO, *missi* ab ipso, ac tum necesse est, ut *ipse veniat* quo illi eunt, secus nihil efficient.

15. *Si fuerit ibi filius pacis etc.* Liberum arbitrium eorum ad quos mittuntur discipuli Christi. Si non admittant doctrinam pacis, non ideo frustra missi, frustra praedicarunt: *ad vos revertetur.*

16. *Vae tibi Corozaïn . . . Gaudete quia nomina vestra scripta sunt in caelo.* Quam varia argumenta pro varietate personarum! Haec imitanda in animarum ministerio.

17. *In illa hora exsultavit in Spiritu et dixit: Confiteor tibi, Pater . . .* Profundum mysterium exsultationis de reprobatione superborum et de electione humilium. *Item* illud: *cui voluerit Filius revelare.*

19 . . . *tentans eum.* Prudentiam docet Dominus, qui interrogantes subdole Ipse interrogando respondet.

20. *Maria sedens secus pedes Domini audiebat verbum Illius.* Imitanda et *audiendum* quid loquatur in me Dominus.

21. *Ex antiphona*: *Beata DEI Genitrix, sola sine exemplo . . . Beata,* et iam in tribulationibus et sub cruce, sicut semper benedicta, quia semper unita cum DEO Eiusque Sanctissima voluntate . . . *Sicut in caelo et in terra.*

23. *Tua in nobis dona multiplices, et tempora nostra disponas. Postcommunio.*

18 Dec. *Ioseph, fili David, noli timere . . .* Quam blande nunc, cum *in tribulatione* est Ioseph. Ita Dominus blanditiis utitur erga afflictos, modo servetur fiducia et humilitas.

27. *S. Ioannis.* Tres stationes, 1° in monte Thabor, *spes gloriae;* 2° super pectus Domini, contemplationis *solatium;* 3° *sub cruce.*

29. *Infantem,* innocentia et silentium, *pannis involutum* libertatis sacrificium, *positum in praesepio* paupertatem et mortificationem. Nativitas.

1843.

1 Apr. *Iesus autem responsum non dedit illi . . .* Terribilis poena sed iustissima. Quoties eam ego promerui, toties infidelis DEI inspirationibus. Passio.

13 Iun. *Zachaeus, cupiebat videre Iesum et non poterat prae turba.* Sic ego impedior multitudine curarum et negotiorum. *Et ascendit in arborem sycomorum.* Mihi remedium abnegatio et mortificatio et sedere solitarius et tacere, et levare me supra me hoc medio.

1844.

16 Apr. In *Incarnatione* DEUS donavit *se ipsum* homini, donat in Eucharistia, donabit in gloria, certe non minus quam in praecedentibus mysteriis, ineffabiliter. Non solum *mea* sed *me totum* si dedero, quid fecero dignum tanto donatore? Et tamen . . .

Iul. *Circumcisio.* In ea non ungues, non crines, sed *viva caro* scindebatur, ita *mortificatio* non in solis superfluis resecandis. Circumcisio.

Fides magorum. Sancti per fidem vicerunt regna, alii distenti sunt, secti sunt. Sanctorum victoria utrobique. Magi.

Sept. Electi Apostoli *tales,* ut *sibi* tribuere grandia illa, quae deinde operati sunt, *ne possent quidem.* Et mihi gratiae DEO agendae, quod ego *talis* sim vocatus et electus, ut si quid recte fiat in Societate, nihil possim mihi vindicare, cum tam sim *egenus* et *pauper,* donis seu naturae seu gratiae. *Nihil et nihil.* Vocatio Apost.

In *prima* Apostolorum oboedientia, cum a Domino tam mirabiliter illuminati fuere in intellectu et moti in voluntate, vix locus fuisse videtur libertati et merito. Sed deinceps *soli-*

ditas et *firmitas* in laboribus et tentationibus, illa scilicet heroïca. Sic ferme nobis in religiosa vocatione ... *Centuplum accipiet,* quale et quantum centuplum ubi vere *omnia* relicta sint!

Nov. *Vos estis sal terrae.* Donum grande DEI factum homini carnali, ut *sal* dicatur et sit. Ego vero, qui *sal* esse debeo, et hoc honore insignitus, heu, *caro* corruptibilis ... !

1845.

3 Mart. *Benedictus, qui venit in nomine Domini* ... In Sacro ...

Sternebant vestimenta in via. Ego me *prosternere* coram Domino et conculcandum me dare, idque si fiat, honori mihi ac felicitati ducere debeo. *Fiat, fiat. Amen. Amen* ...

Passio. 13. *Stabat iuxta crucem Iesu Mater eius.* Quae umquam Mater adstitit supplicio filii sui sponte? Quid *talis* Mater *talis* Filii, nisi divinitus impulsa, inexplicabile mysterium! *Coredemptrix.*

20 Iul. *Omnipotentiam parcendo maxime et miserando manifestas,* tum exspectando poenitentiam tum tandem puniendo eos, qui misericordiam contempserunt.

Dec. *In principio erat Verbum* ... Infinita Verbi dignitas. Et haec cum homine communicata, qualis stimulus ad sanctitatem, ne naturam humanam ad tantam evectam dignitatem in nobis inhonoremus!

Lux in tenebris lucet, in tenebris huius saeculi luxit semper et lucet lux Verbi, multis modis; vel ipsa mors, cuius exempla quotidie ante oculos, quantam lucem daret mortalibus, ni caeci essemus voluntarii.

6. *Zacharias, ut incensum poneret.* Sanctus hic *spiritu* interno functionem externam animabat; *dirigatur oratio mea sicut incensum,* ne in thuribulo meo *carbones exstincti* sint, dum thus orationis offero.

Exaudita est deprecatio tua ... Non est probabile Zachariam *tunc* orantem postulasse prolem a Domino, sed divina Bonitas desiderium pro petitione habet, etiam id non cogitantis.

7. *Ioannes nascitur* ... *Parare Domino plebem perfectam.* Is finis ... quam pauci tamen ... ! O altitudo ... o humana malitia!

9. *Zacharias ait: Unde hoc sciam?* Mira difficultas, in hominibus ceteroqui bonis, in *fiducia* habenda de Domini bonitate. Quam misera natura humana, quae tam parum digne de DEO suo sentit!

10. *Liber Generationis.* Domini *fidelitas* in promissis, hominum peccatis non obstantibus ... O Bonitatem!

15. *Quomodo fiet istud, quoniam etc.* Docet B. Virgo nulla ratione, ne boni quidem vel maximi specie in voti violationem esse consentiendum; dispensationem non modo non quaerendam, sed nec admittendam. Annuntiatio.

16. Grandia illa DEI opera in Nazareth et in domo Zachariae mundo ignota manebant, agebantur *abscondite,* hominum vero opera magnificantur *pompose.* Quantum interest inter *veritatem* et *vanitatem,* etiam in agendi modo, inter *DEUM* et *mundum.*

17. *Magnificat anima mea Dominum.* Quam bene haec laus in ore Virginis! Mihi vero: *exsultent et laetentur ... et dicant: Magnificetur Dominus qui diligunt salutare tuum ... Ego vero egenus et pauper sum, DEUS, adiuva me.* Haec *mea* oratio, *miserere.* Visitatio.

18. *Angustiae* Ioseph et Mariae, *tribulatio* longe *pretiosissima,* in qua *nihil peccati* cuiuscumque, nihil *offensae* DEI.

19 Dec. *Elizabeth impletum est tempus et peperit filium.* Ita suo tempore concepta proposita in lucem, in opus educenda ... *Magnificavit Dominus misericordiam suam cum ea.* Omnis gratia Domini, etiam in Sanctos, *misericordia.* Quanto magis mihi peccatori *sola misericordia* exoptanda et petenda.

20. *Benedictus Dominus DEUS Israel.* S. Zacharias in cantico non pro beneficio sibi concesso, sed pro concesso nationi suae et toti mundo DEUM laudat ... *Propter magnam gloriam tuam.* Hic animus Sanctorum, minus de se magis de communi bono solliciti sunt.

26. *Exiit edictum ...* Dominus ab aeterno, dominus temporum, *tempus* illius edicti *elegit* suae nativitati, ut *ita* incommode nasceretur. En Spiritus Christi iam tum. Nativitas.

28. *Factum est autem cum essent ibi ...* Loquitur Evangelista, quasi *casu* accidisset; scilicet humano modo loquitur, sed revera utique sic disponente ab aeterno ipso DEO. Ita quaecumque nobis *accidunt.*

1846.

7 Ian. *Herodes, credit* ad turbationem et damnationem, *non credit* ad salutem. Mira caecitas passionis! Magi.

8. *Puerum cum Maria ...* Puer in sinu Matris, solo loco digno ... *Domine non sum dignus ...* Illa *sola placuit ...*

10. *Et apertis thesauris, obtulerunt ...* Non existimarunt Magi se magnum quid offerre, immo nimis beatos se, quod

Puer dona non dedignaretur admittere. Ita, quidquid offerimus, *de Domini donis ac datis*. Magna et ineffabilis dignatio, quod accipere non renuat. Quam vere *servi inutiles sumus!*

12. *Responso accepto ... ne redirent ad Herodem*. Mira et amabilis Providentia pro Magorum salute. *Cuius Providentia non fallitur*. Haec praesertim in eos, qui timent DEUM et *confidunt* in eo.

14. *Postquam completi sunt dies purificationis Mariae*. Tam grandia mysteria de Maria et Iesu tam simplici appositione narrantur, ac si essent illae personae communes. Quanta confusio nostrae superbiae, qua nos et nostra esse aliquid existimamus! Ah, *DEUS omnia, ego nihil.*

Purificatio.

15. *Purificatio Mariae et oblatio Pueri*. Ita scripta, ut tot ac tantae heroicae ac divinae virtutes *absconditae* erui *meditatione* debeant.

22. *In signum cui contradicetur*. Solatium Societati, ita tamen, ut nobis valde imperfectis, in multis *merito* contradici sentiamus.

23. *Tuam ipsius animam*, solatium mihi in multis *animae* transfixionibus.

24. *Ut revelentur ex multorum cordibus cogitationes*. In tribulationibus meis et Societatis revelantur cogitationes amicorum et inimicorum, meae etiam imperfectiones, ut me noverint qualis sim.

Nazareth.

26. *Puer autem crescebat*. Infinitus et immensus, cui proin repugnat omnis accessio et incrementum, homo factus, propter *exemplum nostrum* crescit et confortatur, ut meam vitam *stationariam* confundat.

3 Febr. *Generatio viperarum ... Ego in iniquitatibus conceptus ... Vetus homo* exuendus et induendus *novus*.

4. *Ioannes B. Non sum ego ...* Veritas, humilitas. Istud *non sum ego, non sumus nos*, tenendum corde et ore pro circumstantiis, ut cum forte laudamur dicamus: tales esse utique *deberemus*, non admittentes videri quales non sumus.

7. *Ecce Agnus DEI, qui tollit ...* Ita Ioannes. Non dicit: Qui *tollet*, neque nos dicimus: *qui sustulit*. Scilicet semper *tollit*, ut sustulit et tollet usque ad consummationem saeculi. O misericordiam, O fiduciae nostrae fundamentum!

10. Post illa summa: *Hic est Filius meus dilectus, Iesus statim ductus in desertum*. Quomodo non est usus tam bona occasione, ut praedicationis opus inchoaret? ... *Humilitas* prius docenda Ipsi fuit *exemplo* quam *verbo*.

18. *Nemo potest accipere quidquam*. O Domine; nolo plura a Te dona, quam quae Tu dare mihi volueris, neque enim tam

dona tua mihi postulanda aut desideranda, quam gratia tua, ut tuis donis bene utar, et ante omnia ut in me fiat *voluntas tua!*

19. *Non sitiet amplius, fons aquae salientis in vitam aeternam.* En quare *non sitiet,* quamvis dictum sit: *qui bibunt me, adhuc sitient.*

21. *Cibus meus est, ut faciam voluntatem. Cibus,* necessitas et delectatio vera in *voluntate* Domini.

9 Apr. *Feria 5 in Coena Domini. Sciens Iesus quia venit hora ut exeat de hoc mundo,... suos qui erant in mundo ... in finem dilexit. Mundus* locus laboris et aerumnarum. Iesus transiturus ex *hoc mundo,* et heu quam angusta, quam tormentosa via, *suos* qui erant et futuri erant in *mundo,* in *finem* dilexit. In *finem,* usque ad ultimum terminum *vitae suae,* et *in finem* usque mundi, quamdiu forent, qui sui essent. O simus tui, o bone Iesu! Passio.

10. *Pater, ignosce ... Nesciunt, quid faciunt.* In multis, in crucifixoribus v. g., vera poterat esse excusatio, sed Dominus ad omnes extendit, omnibus ignosci petit, et exaudierit Pater, ita ut *propter hoc peccatum,* si obstinatio et alia peccata non accessissent, non fuissent damnandi. Ita nobis orandum pro *persequentibus nos,* et *culpa* eorum *deprecanda,* ut S. Pater N. docet.

11. B. Virgo in sua solitudine et desolatione magna in omnibus, in *dolore* et *amore,* in *fide, spe* et *caritate. O mater!*

28. *Et virtus Domini ad sanandum eos.* Dictum plane inspiratum S. Evangelistae, extra historiae narrationem. *O virtus* divina, ad *sanandum.* Ita Dominus in Eucharistia.

1847.

18 Dec. Peccator vel non agnoscit malum suum vel desperat veniam, Adam, Caïn. Christus Redemptor passione sua, et quantum malum sit ostendit, tanto documento *iustitiae,* et veniae spem, *misericordia.* O pietas! nullus umquam peccator veniam ne peteret quidem, nisi praeveniret misericors DEUS gratia sua. Incarnatio.

20 Exemplum S. Ioseph in vicissitudinibus consolationum et poenarum.

Poenae praecedunt *consolationes* et hae praeparant ad illas ferendas, sensa caelestia dant: *Gaudete et exsultate...* Sed sensus *humani* dant *tristitiam, taedium* etc. Videndum qui sensus, modo uni modo alteri, in animo praevaleant. Et cavendum!

22. Praeclara promissio et inde gaudium in Ioseph non dedere *exemptionem* a *laboribus* et *aerumnis,* immo vero...

Plane ut ipsi Virgini Matri. Tales sunt gratiae divinae et beneficia singularia DEI in hac vita. Utinam *saperemus* et *intelligeremus!*

23. Iesus desiderabat prodire ex utero Matris, non ut incommoditatem illius carceris finiret, sed *unice* ad gloriam Patris et ad opus redemptionis. Oh! miserum amorem proprium in me . . . !

1848.

7 Febr. *Quis vestrum . . . numquid lapidem porriget ei . . .* Pater caelestis, si quid quod noxium foret petitur, non concedit, sed quoties patres filiis, principes etiam subditis, petentibus concedunt pro *pane lapidem,* pro pisce *serpentem,* pro ovo *scorpionem,* nescientes aut non audentes respondere: *Nescitis, quid petatis* (1).

Passio. 7 Apr. Iesus post noctem illam, qua facie *sputis* foedata, *alapis* et *colaphis* tumida ac livida . . . Ita *speciosus forma prae filiis hominum* expiat primi Adam scelus ac posteritatis eius, qui *DEI imaginem ac similitudinem* in se foedarunt. Ita *formam* nostram reformat artifex. *Nos autem revelata facie gloriam Domini speculantes . . .*

8. Quid sensit Iesus, cum pedem inferret in *Praetorium,* reprobatus, reiectus a populo electo et traditus gentibus! In *Praetorium,* ubi quae et quanta se manerent supplicia, non ignorabat . . . *Malefactor!*

9. *Rex sum Ego.* Ex consequentibus Regnum suum dicit esse *Regnum veritatis,* ad quod illi pertineant qui sint *ex veritate,* partes veritatis sequuntur. *Adveniat Regnum tuum,* Domine, ut cadat Regnum mendacii. Sim ego huius Regni, ut regnet in me *veritas,* quae suscepta ac dominans mihi, me vicissim *regem* faciet superiorem omnibus erroribus et vitiis, faciens me vivere et agere in omnibus ex *veritate,* contra quam faciunt *filii hominum, qui diligunt vanitatem et quaerunt mendacium.*

11. *Quid est veritas?* ait Pilatus, et dorsum vertit Christo, et putaverit *Regnum Christi* non esse nisi aliquam ex iudaïcis superstitionibus. Contempsit ergo, et ad populum dicens: *ego nullam invenio in eo causam,* fastidiose dixerit, cum Christi et Iudaeorum contemptu, quasi diceret: Quid ad meum tribu-

(1) Die 27 Mart. Pius IX invalescentibus Societatis et Ecclesiae hostibus resistere iam non valens, Servo Dei auctor fuit, ut Roma proficisceretur. Qui iter exsilii aggressus Massiliam se contulit, unde annis 1848 et 1849 Societatis domos plurimas in Gallia, Germania, Belgio, Neerlandia, Anglia, Hibernia visitavit. Mense Aprili 1850 Romam rediit.

nal deduxistis quaestionem de vestris somniis, de vano aërio Regno ... ? Et haec Dominus audivit, et sustinuit ad servorum suorum solatium, cum veritatem a se praedicatam inter fabulas aniles amandari vident, et contemni a superbis saeculi asseclis.

12. *Iesus autem tacebat, ita ut miraretur Praeses vehementer.* 1° *Ubi non est auditus, non effundas sermonem,* ubi rationis lumen passionum violentia exstinxit; 2° morti sese ipse addixerat; 3° expiat loquacitatem et gratiam impetrat custodiendi linguam, et exemplum praebet.

14. *B. Virgo sub cruce.* Magnum miraculum fuit B. Virgo, miraculum puritatis et sanctitatis, miraculum amoris et doloris.

18. *Flagellatio, spinae, contumeliae crudeles, arundo* ... Vere *tradidit semetipsum pro me, non dubitavit manibus tradi nocentium.* Quid magnum fecero, si me *tradidero* manibus Domini probandum, exercitandum, quocumque modo, in corpore, in anima, in me ipso, in Societate. Quodcumque tibi applicitum fuerit, sume.

22. *Anima Christi* in corpore *libera* semper et *domina,* tamen in vita mortali poenalitatibus subiecta, quia ipsa voluit, statim ubi separata a corpore, *beata* plene et in aeternum. Utinam anima mea a corpore mortis huius soluta, *statim* ita ... ad *gloriam capitis.* Resurrectio.

24. Quanta erat Domini Iesu *infamia* Ierosolymis, quanta discipulorum eius deiectio, incredulitas, certe fidei imminutio, in omnibus, praeterquam in B. Virgine ... et tamen *Rex gloriae* in resurrectione triumphat. Societatis in hac calamitate longe minor infamia, etiam apud inimicos et infirmos, ergo confidamus in Domino.

25. *Maria Magdalena,* ut sociae eius itemque discipuli, in *fide* et *spe* defecerant, sed *caritatem,* amorem erga Christum servarant. Ita defectus illi non impediverunt, quominus benignissimus Iesus illis se redivivus exhiberet sibique emendatas uniret.

Quid tristius, quam si omnia, quae accidant, fiant nutrimenta superbiae, cum deberent esse humilitatis! Omnia facile obtinerem a DEO, si vere humilis essem ac mortificatus. Aetate ... procedente, si non crescit virtus, non crescit humilitas, male proceditur, male crescitur.

Cavendum, ne sim ut *barometrum,* modo *serenissimum* caelum dum elevatur, modo depressum usque ad *tempestatem* et *terrae motum.* Ut mare, modo, cessantibus ventis, quietum sed non fidendum ...

Mene salis placidi vultum fluctusque quietos
Ignorare iubes, mene huic confidere monstro,
Iam caeli toties deceptus fraude sereni? (1).

Nihil minus Ignatianum, minus Iesuiticum, quam difficultatibus, cuiuscumque illae sunt generis, terreri aut animo cadere, dum oboedientia duce proceditur. Angustia cordis nonnisi ex superbia, diffidentia de DEO, philautia, ceterisque huiusmodi monstris. *Ad maiorem DEI Gloriam!* Quid aptius ad inspirandum magnum animum et generosum? Quodsi hoc motivo non deponitur pusillanimitas, quid umquam eam expellet?

Vere ego iumentum, sed pigrum, quod iniquo semper animo et quasi coacte progreditur, et tam leviter sub quovis onere fatiscit. Ubi memoria finis, ob quem conditus sum et ad quem solum vivo?

Utinam in hac Societatis tempestate, si qui socii de eo quasi desperantes vacillent, amorem saltem vocationis et Instituti et cum hoc amore vitam Societatis homine dignam retineant! Ita facile, per Dei gratiam, ad meliora tempora reservati, ipsi etiam Societati restituentur, *ad maiorem Dei gloriam.* Haec gratia pro omnibus postulanda assidue. *Domine serva eos in nomine tuo.*

Praesentatio. 2 Iun. *Oblatio Iesu in Templo.* Quanto pretiosior in oculis Domini haec oblatio Filii sui, quam ceterorum primogenitorum! Non solum ob victimae nobilitatem, sed et maxime ob internum spiritum, quo haec oblatio fiebat. *Spiritus internus* ...

In Aegyptum. 3. *Fuga in Aegyptum.* Hanc ipse Iesus ordinabat, ipse Mariam et Ioseph regebat. Ut *oblatus quia ipse voluit,* ita et fugam in Aegyptum iniit quia ipse voluit. Itaque non Herodis nequitiam sed Patris voluntatem spectabat. Ita ergo et nos, *Ita, Pater, quia sic fuit placitum ante te.*

4. *Iesus puer in Templo.* Quanta reverentia et externa et interna maxime! *Domine, in unione illius divinae intentionis* ...

1850.

Ian. Sat bene.

Mart. *Pax,* magis invigilandum; verba de me meisque rebus cavenda, gulae invigilandum.

Aug. *Consideratio* studiosius exercenda, cum lectione Instituti; verba de me rebusque meis cavenda, etiam cum externis.

---

(1) VERG., *Aen.* lib. V, v. 848 ss.

25 Aug. Voto fatto [1] il dì 25 Agosto l'anno 1850, festa del Cuor Immacolato di Maria.

Per li bisogni spirituali sopra tutto, ed anche pei temporali bisogni della Compagnia fo voto, che mia vita durante, 1° Ogni anno farò una novena di nove venerdì consecutivi in onore del S. Cuor di Gesù, cioè in tal giorno meditazione e messa ed altre opere di pietà, tutto secondo lo spirito della divozione al S. Cuore di Gesù.

2° Ogni anno celebrerò la festa del Cuore Immacolato di Maria, colla messa alle dette intenzioni e con digiuno la vigilia. (Il giorno, s'intende la prima domenica dopo l'ottava dell'Assunta, purchè non venga forse fissato dalla Chiesa qualche altro giorno).

Di più, ove vengano, quando che sia, restituite a noi libere quelle case nostre in Roma, che sono ancora in parte o in tutto occupate, prescriverò a quei nostri che abiteranno in una di queste tali case così ridatae, che *per dieci anni* consecutivi vi osservino quanto quì sopra n. 2, ed il giorno della festa vi si recitino le solite Litanie all'altare della SS.ma Vergine.

I bisogni spirituali intendo:

Che si degni il Signore di riscuoterci dalla nostra tiepidezza e dare a noi tutti *spiritum bonum,* il vero spirito della Compagnia, nel cercare null'altro che la gloria di Dio e gloria sua maggiore, nell'annegazione di noi stessi, nel vivo e vero desiderio di faticar molto e soffrir molto per sì nobile causa.

Che con tali disposizioni e Superiori e R. Padri spirituali compiano le parti loro; con tali i predicatori ed operai, con tali nelle scuole i prefetti, i professori, i maestri, con tali facciano gli scolari i loro studii, con tali i Fratelli coadiutori i loro uffizi: tutti e ciascuno ne' rispettivi doveri del proprio grado e stato.

Che si degni il Signore di chiamare alla Compagnia soggetti idonei, *ut Societas Spiritu et numero augeatur* e possa *opponere murum pro domo Dei* e venire in soccorso al povero mondo, che minaccia di profondarsi negli errori e nei peccati e quindi nelle estreme miserie, temporali ed eterne.

I bisogni temporali intendo:

Che il Signore avendoci fatto ritornare in Roma nelle nostre case, conservati noi e conservate queste, con una serie di miracoli della sua misericordiosa Provvidenza, si degni di continuare questa sopra di noi e sopra le nostre case. *Sicut autem fuerit voluntas in caelo, sic fiat*: per tutto ciò che appartiene

(1) In gratiarum actionem pro servata e tot tantisque periculis Societate Iesu.

a bisogni temporali e materiali, poichè dal compimento de' nostri desideri riguardo a queste cose non dipende assolutamente la maggior gloria di Dio.

24 Nov. *Renovatio menstrua. Resignatio* et *pax,* sat bene; *consideratio* studiosius exercenda. Gulae severius invigilandum.

Dec. Sat bene.

1851.

3 Dec. *S. Franc. Xav.* Quam mirabiliter praeventus divina gratia, cum totus vanitati deditus esset! Sed quam generose respondit! Ignatius, Pater et Patriarcha futurus, convertitur immediate ab ipso Deo, Xaverius per Ignatium.

Incarnatio. 4. *Incarnatio.* Quam suaviter Deus grande opus exsequitur, quam non propere! tot saecula exspectavit, et tamen in tanta humani generis necessitate... Nos semper impatientes, semper festinare volumus; scilicet nobis mortalibus elabitur tempus. *Festinemus* ergo, sed simul *lente,* cum resignatione in Dei voluntatem, cuius est omne bonum.

5. *Zacharias. Unde hoc sciam?* Punitur de incredulitate. Et tamen B. Virgo: *Quomodo fiet istud?*... laudatur. Ille dubitat ob rei difficultatem, Maria sollicita est de virginitate sua.

6. *Missus est Angelus.* Maria ab aeterno electa, immaculata. Hoc ipsum singulare donum a Deo optimae Matri concessum, nonne stimulus cordi eius, ut miseris hominibus, in Adamo lapsis, indeque et fomiti peccati et tentationibus tantopere obnoxiis, compatiatur et piissima pro nobis intercedat? Nobis autem gratulandum et gaudendum de gloria Dei, de Virginis felicitate, de nostro grandi bono. Quantam etiam fiduciam ingenerare debet!

7. *Maria* licet immaculate concepta et circumsaepta et extra periculum posita, tamen et *abstinentiam* a deliciis et *labores* et *dolores* sustinet tota sua vita mortali. Nulla illi exemptio ab huius vitae malis. Quale exemplum mihi, peccatori! Tertius modus humilitatis, *abstine et sustine,* exemplo Mariae Immaculatae, quae ipsa exemplo et inspiratione Iesu...

Imm. Conc. 8. *Immaculata.* Primum fundamentum omnium bonorum, omnium thesaurorum gratiae, ut in me titulus *peccatoris* prima omnium miseriarum. Unde peccati fuga, et quo longius a peccato eo melius cetera.

9. *Missus est Angelus.* In Angelo nuntiante exaltationem generis humani super angelos non invidiae sensus, sed gaudii et exsultationis. Quia in illo non resignatio solum, sed *con-*

formitas immo uniformitas voluntatis cum voluntate Dei, semper et in omnibus sancta et iusta et amabili. *Fiat, sicut in caelo et in terra.* Nulla sit mea, sed mea sit tua, tua sit mea!

1852.

Ian. Sub finem Dec. et initium Ian., per varios motus, occasione defectuum commissorum, ex *tenebris* et *luminibus* invicem succedentibus, plura clarius quam alias cognovisse mihi videor de miseriis meis et periculis tentationum, de necessitate gratiae semper assistentis, procurandae et aliquo modo promerendae fidelitate et praesertim humilitate. Ita pax illa conservanda, quam mihi adeo necessariam a pluribus iam annis in exercitiis annuis vidi et cognovi. *Domine miserere.*

Cito semper claudenda cataracta turbationum, ubi semel per aliquem defectum notabilem vel per inopinum casum aperta sit; medium vero: *humiliari* coram divina Maiestate.

Iunii 21. *S. Aloysii. Caelestium donorum distributor Deus* ... Certe Deus in Aloysium liberalissimus liberalitate *speciali, singulari,* tamen in omnes liberalitate *ordinaria* sibique propria, pro ratione etiam qua homo primis gratiis respondet, et pro fidelitate in usu donorum Dei.

Mirum, quod in Aloysio cum tanta sanctitate, cum tanto amore sociaretur usque ad finem *timor* et *sollicitudo.* Scilicet, *Sancti Nominis tui, Domine, timorem pariter et amorem* ... Et hoc Domini beneficium erga suos, ut dum vivunt non sibi fidant, sed usque et usque in Dei misericordia. Inde *soliditas dilectionis.*





ADHORTATIONES SPIRITUALES

Ut Diarium, Octidua, Reliquiae Cogitationum Servi Dei vitam interiorem nobis aperiunt, ita Epistolae, quas ad Patres et Fratres Societatis Iesu scripsit, eius gubernandi rationem manifestant. Utriusque seriei documenta, si inter se conferuntur, S. Patris Ignatii successorem eximium quasi vivum ante oculos ponunt.

Epistolae, quas Adhortationes Spirituales inscriptas hoc capite complectimur, omnes iam editae sunt in libro, cui titulus Epistolae Praepositorum Generalium ad Patres et Fratres Societatis Iesu.

Manuscripta (apographa) Romae in Archivo S. I. inveniuntur.

EPISTOLA

R. P. N. IOANNIS ROOTHAAN

AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS

De amore Societatis et Instituti nostri

1. Quod primo quoque tempore facere constitueram, cum onus gubernandae Societatis hisce meis infirmis umeris impositum viderem, quodque et a me vobis deberi et a vobis, PP. reverendi ac FF. in Christo carissimi, desiderari facile intelligebam, ut vos omnes eo quo liceret modo alloquerer, et ad grandis debiti, quod in hac nostra vocatione erga Deum proximosque contraximus, solutionem novo semper studio, novo conatu procurandam, primum quidem me ipse, tum omnes vos adhortarer; id nunc saltem, cum iam annus meae administrationis ad finem vergit, omnino tandem praestandum mihi esse censui. Quamquam enim satis frequenter, tum ad superiores, seu provinciales seu locales, tum ad alios etiam quosvis ex vobis pro rerum temporumque vel necessitate vel opportunitate, litteras darem, nequaquam tamen meo me muneri satisfacere existimabam, nisi etiam aliquid identidem ad omnes vos in communi, more atque instituto maiorum perscriberem. Cum vero multa occurrerent, quae utilem scribendi materiam offerebant, unum tamen prae ceteris placuit argumentum, quod et commune omnibus esset et latissime pateret, atque hisce Societatis temporibus maxime opportunum videretur: ut nempe de amore huius nostrae vocationis atque Instituti, ad communem omnium nostrum adhortationem, quae sentirem, cum omnibus vobis, PP. RR. Fratresque in Christo carissimi, communicarem.

Scripturus de amore Societatis.

2. Neque tamen hic ego illud mihi proposui, ut vos ad Societatem Institutumque hoc nostrum amandum adhortarer, id quod ferme inutile, certe minime necessarium esse arbitror; sed potius, ut de modo quo hunc vocationis nostrae amorem, exercere unusquisque nostrum debeat, aliqua in medium afferrem, quae si minus necessaria, certe non inopportuna, immo vero utilissima fore existimo.

potissimum intendit modum edocere, quo exercendus sit hic amor.

Quod quidem semper fuit proprium quoddam Societatis donum,

3. Ac fuit quidem semper proprium quoddam Societatis nostrae donum, PP. RR. ac FF. in Christo carissimi, ut quotquot in eam divina vocante gratia fuissent admissi, artissime illi adhaererent, eam unice amarent, eius successus seu prosperos seu adversos, non aliter ac suos proprios ducerent; donum, inquam, hoc fuit semper Societati nostrae proprium et quodammodo singulare, unde etiam Societatis inimici occasionem criminandi non semel arriperent, id scilicet vitio vertentes quod in eius laudibus merito ponendum erat. Fuit certe hic amoris sensus ita infixus in sociorum animis, ut etiam post universalem illam Societatis cladem, omnes, si paucissimos excipias qui monstrorum instar fuere inter tot sociorum milia, ab amanda semper vel exstincta iam Societate non cessarent; cumque haec ab immortali Pio VII ad novam revocata vitam esset, qui superstites erant e communi naufragio socii, plerique, licet annis graves ac laboribus fracti, nil tamen antiquius haberent, quam ut ad matris sibi carissimae sinum veluti in portum se reciperent, ad quaevis etiam laboriosa ministeria, quasi renovata iuventute, promptissimi; quibus vero id per aetate, per valetudinem, per alia impedimenta omnino iam non licebat, hi studiis illam omnibus, ac beneficiis etiam, filiali plane affectu prosequerentur. Quem quidem vocationis amorem cum in patribus nostris fuisse gloriamur tum et in vobis omnibus nunc vigere non est quod dubitem, et ut porro semper nostris hominibus proprium maneat ac perpetuum bonum, vehementer nobis optandum est.

sed ut recte exerceatur, primum cavendum ab erroribus, scilicet:

4. De modo tamen quo hunc amorem Societati exhibere omnes debeant, quaedam non levis sane momenti animadvertenda mihi occurrunt. Vereor enim interdum, ne a quisbusdam hunc amorem Societatis vel non recte intellegi vel perperam exerceri contingat, unde tandem non Societatis incrementa quae ipsi desiderant, sed detrimenta gravissima quae maxime nollent, tristi quadam necessitate enascerentur.

1.º Ne intempestive extendatur Societas,

5. Atque ut aliquot ex erroribus qui in hoc genere obrepere nostrorum animis possent sane perniciosissimi attingam, primus mihi sese offert eorum qui Societatem intempestive quam latissime extendi, domibus, collegiis, convictibus augeri unice exoptant, ac tum demum bene beateque cum illa actum iri existimarent, si eam longe lateque sparsam quam brevissimo tempore viderent. Laudabile sane, si in se spectetur, desiderium, et amantis erga matrem Societatem animi. Equidem, PP. RR. Fratresque in Christo carissimi, Societatem, ad Dei gloriam ac proximorum iuvamen, per universum, qua late patet, orbem spargi et ego desidero quam qui maxime. Utinam etiam brevi, etiam cito! Sed nimirum ne inconsulto

festinetur, id tam necessarium est, ut, nisi modus adhibeatur, nihil certius, nihil propius Societatem ad extremam perniciem adducere facile possit. Quid enim, Patres ac Fratres in Christo carissimi, si hac tempestate, renata paucis abhinc annis Societas, et adulescentiae suae, ut ita dicam, aetate vix egressa, ad plura se extenderet quam praesentes eius vires ferant, et alumnos suos, antequam rite formentur, ad gravissima sui Instituti ministeria adhibere cogeretur, quid, quaeso, accideret? Illud scilicet quod in humano corpore fieri videmus, cum vel praeter modum aetatis excrescit, vel laboribus ultra vires gravatur; quod inde quidem enervari atque elumbe reddi solet, hinc brevi fatiscere et ad immaturum interitum praeceps ruere. Simili prorsus modo, si domus, si collegia, si convictus multiplicarentur, antequam qui seu spiritus seu studiorum praefectos agant, antequam qui litteris bonisque moribus iuventutem imbuant magistri idonei suppetant; si iuvenum, si recentium hominum operam ad huiusmodi munera adhibere cogeremur, antequam illis imbuantur principiis quibus verus Societatis finis et media continentur, et quod caput est, vitam agere nostra vocatione dignam didicerint: Societas vires suas pessumdaret, enervaretur, languesceret; tandem, si minus nomine fortasse, re certe Societas Iesu esse desineret.

antequam rite formati sint eius alumni;

6. Profecto, si quis vitam Societatis homine dignam sola quadam probitate et qualicumque virtutis rectique amore contineri existimat, nae ille vehementer errat. Grande enim est, RR. PP. Fratresque in Christo carissimi, vocationis nostrae propositum, si tamen, qualem S. P. N. Ignatius Societatem condere voluit, intellegamus. Neque eiusmodi est vitae nostrae ratio, quam mox ut amplexus quis fuerit, etiam continuo assequatur, aut quae una cum veste Societatis arripi atque indui possit; sed quae in primis longam veteris hominis mortificationem, qua sine novus non induitur, postulat. Nam etsi vitae nostrae modus in exterioribus communis est, neque adeo a piorum sacerdotum vita multum differt, alia tamen longe atque altiora sunt, quae a nobis, quam quae a quibusvis piis sacerdotibus et Deus exposcit, et homines exspectant, et nostrum Institutum requirit.

quibus non sufficit qualiscumque virtutis et recti amor,

7. Quare patres qui in provinciis auctoritate maxime pollent, ac praesertim praepositi provinciales monendi mihi sunt, atque in Christi visceribus, per quantum ipsis incolumitas Societatis cordi est, obsecrandi, ut ne de novis domibus vel collegiis aperiendis, aut cogitent ipsi, aut iis qui importune postulant spem proximam ingerant, antequam hominum copia suppetat, quibus tum Societatis ministeria tum praecipue gubernandi munus tuto committere possimus. Semper, quaeso,

sed eorum omnimoda prius intendenda est formatio, deinde labor.

prae oculis habeamus, primum Societatis vitam ac salutem, deinde eius ministeria; primum formationem nostrorum, dein eorum labores ac laborum fructus; primum interna nostra, dein externa curanda esse; nobisque persuadeamus, nec Societati consuli, nec gloriae divinae, nec proximorum utilitati, si homines vel a virtute, vel a scientia nondum quantum satis est instructi, ante tempus in solem atque aciem educantur; qui scilicet, ubi tandem appareant minus habentes, et spes de Societate conceptas fallent, et ipsi gravissimis periculis obicientur, et Societas ipsa dedecori. Quae detrimenta utinam in quibusdam provinciis non iam plus minusve passa sit Societas, dum principum ac populorum importunis votis, ex quadam insuperabili necessitate, fuit obsecundandum. Meminisse nos in hanc rem iuvabit illius sententiae Sapientis: *substantia festinata minuetur; quae autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur.*

Prov. 13, 11.

2.º Ne sectemur speciosa in oculis mundi.

8. Errori quem dixi affinis est alter, quo quidam, amore ut existimant Societatis ducti, ea sectanda praecipue putant quae plurimum habeant speciositatis, quae hominum scilicet, litteratorum praesertim, plausus excitent, ac mundo celebres reddere nostros homines queant. Videntur illi scilicet matri suae illud suadere velle, quod olim Salvatori vani quidam homines ingerebant: *Ostende te, ostende te mundo.* Hi profecto, vereor, ne specie fallaci capti non tam *esse* velint nos aliquid, quam *videri,* et umbram veritati, famam rebus bene gestis, denique splendorem nescio quem, verae utilitati reique publicae anteponant. Vivimus quidem tempora, in quibus, quae colore quodam splendent a multis unice extolluntur, ac fere maioris fiunt quam vera in hominum salutem obsequia. Sed, si qua in re necesse nos est etiam tempori servire, ne nostra ministeria fastidiantur, absit tamen, ut quidquid est vanae ostentationis, sive in litterarum cultura, sive in Dei verbo praedicando, sive in aliis nostrae vocationis muneribus, adamemus. Nimium discrepat ista vanitas a spiritu Societatis, quae tota in proximorum utilitate ad Dei gloriam procuranda versatur; non in quaerenda humana gloria, quae, ubi bene factis parta non sit, fallax ac fucata est, ac tandem in ignominiam vertitur. Patres certe nostri, si gloriam hominum etiam assecuti sunt, praeclaris eam meritis, non hoc agentes, consecuti sunt. Haec nos aemulari, haec quaerere decet. Quidquid vero est honoris et nominis tum demum erit Societate nostra dignum, si iuxta nostrae vocationis spiritum omni hominum generi vere prodesse, et non vulgaris virtutis exemplo, et doctrina solida, et nostri Instituti ministeriis conabimur; ut qualiscumque illa gloriae umbra res a nobis bene gestas sequatur, non illam umbram vanam nos ipsi sectemur.

Cfr. Io. 7, 4.

9. Hic vero aliud sese mihi offert malum, quod sane longissime velim ab omnibus nostris abesse, et quo vel solo, si, quod avertat Deus, in nostrorum animis haereret, omnis a Societate divinorum munerum largitas prohiberetur. Non ignoratis, PP. RR. Fratresque in Christo carissimi, quam saepe Societatis nostrae homines in suspicionem nescio cuius arrogantiae vel superbiae vocati fuerint; quam saepe recantatum homines Societatis, quantumvis pro se singulos humilitatis studiosos, in communi tamen pro Societate superbos, ceteros fere qui de Societate non essent facile despicere, eorum merita extenuare, eorum invidere successibus, nec quidquam fere magni facere quod ab aliis quam a nostris hominibus fieret, omnem denique doctrinam, omnem virtutem, omnia in Deum et proximum merita in sola Societate, si fieri posset, contineri affectasse. Quam falso ista, si universe de Societatis hominibus intellegantur, conficta sint, quamque iniuriose, ad invidiam scilicet Societatis nomini conflandam, non ignoro. Verum ego, huiusmodi spiritu si vel unus nostrorum duceretur, dolendum graviter, totique Societati vel ob unius culpam multum timendum esse mali existimarem Quid enim, PP. RR. ac FF. in Christo carissimi? Quod singulis turpe foret et crimini vertendum coram Deo, id si Societatis nomine in animum quis suscipiat, legitimum esse, amorem esse Societatis quisquam sibi persuadere umquam possit? Si Ecclesiam Christi, *pusilli gregis* nomine ab ipso designatam Venerabilis Beda ideo existimat, quod ipsam, *quantalibet numerositate iam dilatatam, tamen usque ad finem mundi humilitate velit crescere, et ad promissum regnum humilitate pervenire*: quanto magis cuivis congregationi, quae ipsius Ecclesiae pars exigua est, competit huiusmodi sensus fovere? De Societate vero nostra quid dicam? Sanctus quidem parens noster illam semper appellare *minimam* consueverat. Ipsa, cum tota sit in Christi ducis sui humilitate sectanda, iis a parente suo instituta est documentis, iis praesidiis munita, ut a mundi gloria, ab honoribus etiam sacris non abstinere modo, sed etiam abhorrere sese profiteatur. Eius primi patres, quales et quanti viri, quantique apud Deum et homines meriti, vaticinia quaedam a sanctis quibusdam viris edita cum passum a vulgo sibi applicari audirent, numquam in animum induxerunt ut de se tam praeclara, tam honorifica intellegi posse crederent. Quo plura ab ipsis et insigniora redundabant in rem publicam christianam commoda, eo sibi magis ingeminabant illa Evangelii verba; *Servi inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus.* An vero nunc, cum pauperes facti sumus nimis,

3.º Ne de Societate eiusque laboribus superbiamus.

Quae superbiae nota, iam olim Societatis hominibus falso inusta,

tam spiritui Ecclesiae,

quam Societatis Instituto summopere repugnat.

Luc. 17, 10.

et numero pauci, et meritis profecto patribus illis nostris tanto intervallo minores, poterit quisquam sensus fovere altos, nec timere ne suo vitio Societas universa humilietur, cum vera semper maneat sententia aeternae veritatis: *omnis qui se exaltat, humiliabitur*? Aut quisquam existimabit, ubi de aliqua societate hominum agatur, oppositam sententiam veram fore, ut scilicet quo se illa magis exaltaverit, eo sit a Deo muneribus et gratiis copiosioribus exaltanda? Ego vero timeo ne, si qui forte sint inter nostros qui Societatis quam dicunt gloriam maxime loquantur, gloriam Societatis unice praedicent, de his timeo, inquam, ne similes fere sint quorundam, qui in mundo generis quidem sui nobilitatem iactant, sed ipsi degeneres maiorum suorum merita minime omnium aemulantur. Ita quidem interdum videre est quosdam, qui coetus ad quem pertinent laudes mirifice extollant, at maiorum suorum meritis divites satis atque abunde sese existimantes, nihil iis addere ipsi de suo cogitant, immo sibi licere, ob merita maiorum, vitam degere fere inertem atque otiosam arbitrantur.

Luc. 14, 11.

4.º Ne aliorum laudibus ac recte factis invideamus.

10. Quod vero ad illos sane non bonos aemulatores attinet, qui in alienis laudibus ac recte factis invidia tanguntur, equidem nescio quid possit cogitari magis nostrae vocationi contrarium. Nonne maior Dei gloria totius vitae nostrae studiorumque nostrorum ac laborum omnium scopus est ac meta? Hanc autem si vere quaerimus, nonne gaudendum nobis et gratulandum de omnibus quae ad Dei gloriam feliciter a quocumque fiant? Quis nobis det ut omnes quotquot sunt cuiuscumque religiosi Ordinis alumni et apostolicae vocationis homines, iunctis omnes viribus, in Ecclesiae subsidium, quam possint maximo conatu ac successu felicissimo annitantur! Profecto ea sunt tempora, eae christianae rei publicae necessitates, ut quotquot, ubicumque sint, qui Dei causam promovere velint, etiamsi maxime numero Deique donis augerentur, habituri abunde sint omnes in quo operam ponant Deo et Ecclesiae nomine praestandam. *Particeps ego sum omnium timentium te, Domine;* ita fidelis ille Dei famulus sentiebat et loquebatur. Ita sentire ac loqui decere veros Societatis filios, quis est qui non videat?

Ps. 118, 63.

Hos igitur errores in exercendo Societatis amore vitantes,

11. Equidem, PP. RR. Fratresque in Christo carissimi, persuadere mihi non possum, ut a quoquam vestrum amorem Societatis in eo poni credam, quod cum spiritu Societatis tam aperte pugnare manifestum est. Volui tamen ista quae identidem etiam hisce temporibus, sane perquam invidiosis, hominibus nostris obiciuntur, commemorare, quo magis unusquisque nostrum in dictis factisque suis ab omni etiam specie vel superbiae vel invidiae caveat; ut nostri ubique eos qui Dei cau-

sam suscipiunt ac tuentur, amore et honore prosequantur; ut cuiusvis alterius religiosae familiae alumnos, earumque praesertim quae tot ante Societatem saeculis Ecclesiam Dei doctrina ac meritis illustrarunt atque optime de illa mereri numquam desierunt, ea qua decet veneratione et affectu sincero complectantur; in omnibus denique humilitatem et caritatem decora Societatis esse praecipua meminerint, neque umquam tali Societatem amore prosequi videantur, qui cum Societatis institutis repugnaret tum ei non proficuus esset sed noxius, neque eius incrementa promoveret sed retardaret aut etiam plane intercideret.

12. Atque haec de male intellecto Societatis amore attigisse sufficiat, et ad ea iam transeamus consideranda, in quibus amor hic revera consistat, et qua ratione ab omnibus nostris exercendus sit et comprobandus. consideremus deinde in quo consistat,

13. Hic porro omnia facile reduci possunt ad illud simplicissimum principium, quod ab humana philosophia ad divinam traductum a B. Parente nostro in aureo Exercitiorum libello (cuius utinam studium, studium, inquam, et usus perpetuus omnibus nostris, ut meretur, cordi esset!) ita exponitur, ut scilicet *amor, qui ab operibus magis quam a verbis pendet, in mutua* consistat *communicatione bonorum.* nimirum in mutua communicatione bonorum.

14. Ac bona quidem quae a Societate in nos derivantur, quaeque ipsa nobiscum summa profecto atque inaestimabilia communicat, breviter saltem ac per summa capita perstringere volo, quo facilius quid a nobis vicissim Societati debeatur intellegamus. Neque enim decet nos ignorare *quae a Deo donata sunt nobis,* neque, si fas non est Societatem aliis religiosorum Ordinibus praeferre, ideo eius gratiam ferventi spiritu magnificare in Domino prohibemur. Communicat nobis Societas bona inaestimabilia, *1. Cor. 2. 12.*

15. Quid ergo nobiscum boni communicat Societas? Videamus, quaeso, PP. RR. ac FF. in Christo carissimi, ac de vocatione nostra, quacum una tanta nobis bona venerunt, in Domino gaudeamus nobisque gratulemur.

16. Communicat nobiscum Societas finem suum, quo tota est in procuranda impense salute ac perfectione, primum quidem suorum filiorum, tum ceterorum, ad maiorem semper ac maiorem Dei gloriam; qui quidem finis ac scopus tam excelsum tamque nobile vitae genus constituit, ut merito S. P. N. *neque in hominibus neque in ipsis Angelis sublimius quidquam reperiri posse* affirmet, actionesque nostras omnes atque exercitia etiam maxime communia, si ex nostri Instituti ratione fiant, singulari modo nobilitat, dum illis omnibus formam imprimit zeli gloriae Dei ac salutis animarum. 1.º finem suum,

2.º media ad finem praestantissima.

17. Communicat, una cum fine nobilissimo, media quae habet praestantissima summeque efficacia ad finem sibi propositum assequendum; inter quae primum facile locum obtinet in spiritualibus exercitiis magisterium orationis proprium ac peculiare, quo quicumque nostrum ex ordine utatur, et sibi fundamentum ponet spiritualis vitae solidissimum, cui perfectionis evangelicae quantumvis sublime aedificium tuto superstruatur, et arma comparabit ad peccatorum conversionem, ad iustorum profectum, ad omnium salutem ac perfectionem operandam potentissima.

3.º institutum S. P. Ignatii,

18. Communicat Patris Ignatii Institutum, caelestis sapientiae plenum opus, adeo sanctum, adeo perfectum et omnibus partibus absolutum, ut nemo illud sapiens legat, qui non admiretur, non digitum Dei ibi esse agnoscat. Hoc nobis proprium tribuit Societas, auctum praeterea sapientissimis patrum nostrorum documentis ac praeceptis, quibus facilior redditur et expeditior et certior ipsius Instituti observatio.

4.º vinculum, quo Sedi apostolicae adstricta est,

19. Communicat nobiscum Societas sanctissimum illud vinculum, quo Sedi apostolicae artius adstricta est; quod quantum sit beneficium, quantumque praestiterit semper nostris praesidium inter saeculi procellas ac pravarum doctrinarum pericula, ille intellegit, qui feros errorum fluctus quaquaversum per orbem debacchantes cum non sine horrore prospexerit, in sola illa petra ac rupe inconcussa novit esse securitatem, super quam aedificata a Christo Ecclesia, ipsas inferorum portas, ne praevaleant, non pavescit.

5.º hereditatem Patrum nostrorum,

20. Communicat nobiscum totamque nobis tradit hereditatem patrum nostrorum sane multis nominibus locupletissimam; eorum, inquam, doctrinae thesauros, eorum exempla sanctitatis, eorum in Ecclesiam Dei merita, ob quae nos, indignos licet, caelo tamen caros esse propter patres non immerito confidimus.

6.º gloriam suam,

21. Communicat nobiscum gloriam illam suam plane singularem, qua et bonis omnibus semper cara et improbis exosa semper fuit, quorum utrum magis gloriosum sit, non facile dixerim; utrumque certe ab ipsis Societatis exordiis ad eius usque occasum constans illi semper adhaeserat; utrumque, etiam excisa iam Societate, non tamen exciderat; utrumque eam post octo lustra redivivam protinus mirabiliter excepit, et etiamnum bonorum ille favor, illud pravorum odium in Societatem, Deo miserante, perseverat.

7.º divinae Providentiae erga se benignitatem.

22. Communicat denique nobiscum Societas ac fruendam tribuit illam admirabilem plane divinae providentiae erga se benignitatem, quae illam, continua quadam prodigiorum serie,

et ab universali interitu vindicavit, et ad novam reduxit vitam, et miris plane modis conservat, fovet, promovet, Iesu nomine insignitam, Iesu vitae imitatricem, Iesu crucis participem, eiusque sacratissimo Cordi peculiari quodam modo coniunctam ac devotam.

23. Haec sunt, PP. RR. ac FF. in Christo carissimi, bona, nec tamen omnia; quis enim omnia enumeret? Haec itaque pars aliqua summatim expressa bonorum, quorum in partem nos vocat Societas, quaeque liberaliter cum unoquoque nostrum communicat; quibus nos vicissim obstringit ut nostra pariter, non segniter, non repugnanter, non avare, cum illa communicemus, nostrumque hoc modo amorem matri optimae contestemur.

Societas, communicans nobis sua bona, nos vicissim obstringit, ut ei communicemus nostra.

24. Verum, nonne iam, cum, saeculi relicta vanitate, Societati nomen dedimus, ac votis Deo nuncupatis ad vitam in Societate perpetuo degendam nos obstrinximus, nonne, inquam, hoc ipso nos totos et omne id quod sumus Societati tradidimus, ut quod illi praeterea demus nihil omnino reliquum nobis sit? Ita sane, RR. PP. et FF. in Christo carissimi. Holocaustum plane vocatur et est, quod obtulimus Deo, quodque propter Deum Societati consecravimus. Sed nimirum, cum hostiae simus vivae, quae, utut perfecte oblatae, offerri tamen in dies, continuando semper sacrificio, et possint et debeant, cumque natura humana sui licet abdicati iuris tenacissima sit, suarumque facultatem ac virium, etiamsi semel ac saepius dominium resignarit, usum tamen liberum, quam diu vivitur in hac mortali vita, conservet, habemus profecto etiam nunc quam plurima, in quibus ad Societatis obsequium impendendis nostrum in illam amorem non tam verbis quam factis demonstremus. Campus hic se nobis amplissimus aperit, per quem dum vos exhortor ut cogitatione frequenter discurratis, ego quaedam pauca dicendo attingam.

Quae etsi iam omnia nobiscum obtulimus per vota,

offerre nihilo minus denuo cotidie debemus, impendendo nos,

25. In primis itaque amor Societatis id a nobis postulat, ut eius instituta probe cognoscere, eius spiritum, modos, fines rite intellegere impenso studio curemus. Quo in genere vereor, ne a multis non tantum fiat, quantum pro ratione officiorum, quibus funguntur, ad ea rite obeunda fieri aequum esset. Fortasse non nulli, ea lectione regularum quae in publica mensa fieri solet contenti, quarum ipsarum vim ac sensum parum fortasse penetrare student, de ceteris propriorum officiorum regulis, quae instrumenta quaedam sunt aptissima ut ea iuxta Societatis modum recte ac perfecte expleantur, vix umquam cogitant. At deberent illae esse unicuique instar speculi, in quo frequenter se suique officii actiones considerans, quid sibi desit, in quibus a se peccetur, et qua ratione se suaque ad Instituti,

ut eius instituta probe cognoscamus,

quod amat quodque admiratur, normam efformare possit, observaret. Certe quidem iam dudum, idque saepius, animadversum fuit, et ab universa Societate in Congregationibus generalibus, et in litteris Praepositorum generalium repetitum, si qua sint quae a nobis interdum non recte agantur, nullis opus esse novis legibus, non excogitandas novas industrias, satis et abunde esse provisum, ut adeo si quis nova invenire, nova praescribere vellet, tempus frustra contereret, et vere ostenderet ignorari a se thesaurum quem prae manibus habet. Sed nimirum, si, quae a maioribus inventa sapientissime ac statuta sunt, ignorantur, fiat necesse est quod apud Ecclesiasticum dicitur: *Sapientia abscondita, et thesaurus invisus, quae utilitas in utrisque?* Hic tamen obiter notare non omittam (quod observare interdum licuit), esse aliquos qui Institutum legant, diligenter, sed aliis scilicet, non sibi. Ita fructus quem ex huiusmodi lectione capiunt, omnis eo refertur, ut, quae ab aliis errantur, acute notent et amare reprehendant, quin tamen ipsi ea quae vel communia omnibus, vel sui officii propria sunt, studiosius exsequantur. Qui quidem certe, si vero Societatis amore ducerentur, utique, quae sibi, sibi, inquam, ipsis in suis muneribus agenda praescribuntur, ante omnia cognoscere curarent et exsequi.

Eccli. 41, 71.

et probe cognita perfecte exsequamur.

26. Neque enim amor Societatis, si nos ad Institutum studio non perfunctorio cognoscendum vehementer impellere debet, huius sola cognitione contentos esse sinit. Enimvero, PP. RR. ac FF. in Christo carissimi, quidnam inde, quaeso, Societati accedet commodi, quod plures e nostris eius instituta et leges cognoscant, earum sapientiam admirentur, earum sanctitatem laudent? Quodnam inde Societati obsequium, si, quae cognoverunt, quae laudant, quae admirantur, in opus usumque non deducant? Liceat mihi, quod S. Hilarius in alio, sed simili argumento dixit, huc transferre. In eos scilicet qui dicunt Christo: *Domine, Domine,* et voluntatem eius non faciunt. *Quid enim meriti,* inquit, *Domino dicere: Domine? Numquid Dominus non erit, nisi fuerit dictus a nobis?* Simili modo dicamus et nos: quid enim meriti est alte de Instituto sentire ac loqui, atque illud frequenter usurpare: *Sanctum Institutum! Sanctum Institutum!* Numquid sanctum non erit, nisi fuerit dictum a nobis? Profecto Societatis ipsius status optimus non a scriptis legibus pendet, sed ab earum accurata in nobis observantia; quae ubi defuerit, Institutum quidem, ut est, ita erit sanctum; at haec Societas, quae in terris agit, quae ex nobis viventibus componitur, procul a sanctitate distabit.

Speciatim

27. Equidem in his duobus quae dixi, cognitione scilicet et exsecutione Instituti nostri, omnia dixi quae Societatis amor

a nobis requirit. Prorsus enim omnia his duobus continentur. Sed ne forte ista nimis generaliter ac propterea minus utiliter dicta sint, iuvat unum alterumve singulatim commemorare, in quibus amorem Societatis factis potissimum nos exhibere necesse est, si eam vere amemus.

28. Horum primum est illud quod S. P. N. in omnibus nobis tamquam *fundamentum* huius nostrae in Societate vitae requirit; illud in quo *maius atque impensius* vult esse *unius cuiusque studium;* cuius necessitatem summam, tum ad nostram perfectionem, tum ad alterum Societatis finem consequendum, proximorum scilicet auxilium, frequentissime in constitutionibus inculcat. Est, inquam, abnegatio nostri ipsorum, propriae nempe voluntatis et iudicii, et *universi amoris sensualis,* ut ipsius verbis utamur. In hac quam dico abnegatione exercenda, quo naturae accidit haec difficilior, eo magis amorem Societatis probari, per se satis manifestum est. Sed illum utinam aliquando probe intellegamus, huius abnegationis tantam esse tamque absolutam necessitatem, ut sine hac, quem ad modum Christus Dominus illud suum *non potest, non potest meus esse discipulus,* usurpat, ita *non posse* nos, omnino sine hac *non posse* veros esse Societatis filios sentiamus; et quem ad modum in hac sese exercere assidue eos, qui *serio* Christum Dominum sequuntur, S. P. N. affirmat, ita nos sine hac neminem *serio* Societati adhaerere, neminem *serio* eam amare nobis persuadeamus. Profecto, PP. RR. ac FF. in Christo carissimi, si quando aliquis nostrum ab officio deflectit, si qua aliquando vel domi turbatio pacis, vel foris aedificationis iactura, sicubi minus quam par est proximorum servitur utilitati, si in paupertatis, in oboedientiae, in ceterarum virtutum exercitio, quae nostrae vocationis propriae sunt, deficimus; si quis aut sua nimium commoda sectatur aut molestius sibi minus gratum officium vel repugnanter assumit vel neglegenter exsequitur; si quis aut domesticam disciplinam aegre sustinet, aut in agendo cum proximis impatientem se, vel fastidiosum et inamabilem, vel vanum suique amantem praebet, et quantumvis ceteroqui strenuus operarius, tamen de numero est eorum qui altera manu destruunt quod altera aedificant: non aliunde magis, quam ex neglecto huius abnegationis studio damna haec ac detrimenta proficiscuntur; neque illud Societati praestatur obsequium, quod ab amantibus filiis mater amantissima suo merito exspectat. Quare hoc prae ceteris ratum fixumque sit nobis, si vere Societatem amemus, paratos nos esse debere ad generosum nostri ipsorum sacrificium, voluntatis, inquam, ac iudicii nostri, et inclinationum nostrarum, et temporis omnis nostri, eorum denique omnium quae natura nobis pretiosiora fecit et cariora;

omnimoda abnegatione nostri ipsorum,

Luc. 14; 26.

cumque huiusmodi sacrificii faciendi sese offeret occasio, quae quidem in nullo non officio frequens adesse solet, tum vero nobis offerri existimemus, in quo nostrum erga Societatem amorem verum ac sincerum demonstremus, ne alioqui vana sit nostra amoris protestatio. *Ne diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate.*

1 Io. 3, 18.

et assiduo ac fideli labore pro uniuscuiusque munere ac talento.

29. Alterum, in quo amorem nostrum Societati probemus oportet, illud est, ut quae divina bonitas cuique dona tribuit, ea in commune obsequium Societatis unusquisque pro ratione demandati sibi muneris fideliter conferat; neque contentus sit officium suum quocumque modo implevisse, si melius, si utilius, si perfectius, adhibita maiori diligentia et industria, facere potuisset. Hic, PP. RR. Fratresque in Christo carissimi, hic, si usquam alias, illam habemus *bonorum communicationem,* in qua praecipue amorem consistere ex S. Patre nostro annotavimus. Sive quinque talenta quis acceperit sive duo, illa quinque, illa duo, ut navus et industrius negotiator, in Societatis emolumentum exponat; ac si quis etiam unum tantummodo accepisse sibi videatur, ne illud ipsum defossum servet. Quem ad modum enim ille in Evangelio, qui duobus talentis instructus, duo lucratus erat, eandem prorsus laudem promeruit quam qui talentis quinque altera quinque acquisiverat; ita si, qui unum acceperat, illud sua industria duplicasset, dubitandum non est quin et ipse *servus bonus et fidelis* auditurus fuisset a Domino, et laude superaturus etiam illum cui quinque talenta commissa fuerant, si is neglegentius agendo non nisi duo vel tria lucri nomine attulisset. Neque enim amor noster Domini liberalitate, sed nostra industria, nostro labore, nostra in operando fidelitate metiendus est. Non ignoramus quidem, in hac *domo Patris nostri mansiones multas* esse; at nullam tamen esse otio ac desidiae meminerimus, nec vero quemquam reperiri debere, qui, dum corpore bene valeat, in aliqua re utilem Societati operam praestare non possit aut non debeat. Ut vero sunt in Societate, quae Dei bonitas est, plurimi ita animati, ut quidquid obsequii ab ipsis vel necessitas postulat, vel superiorum desiderium, id ultro libenter suscipiant, etiamsi consuetis officii sui muneribus satis esse occupatos existimare merito possent. Ita etiam quosdam interdum videre est, quod non sine dolore commemoro, qui, dum alicui officio sibi demandato satisfaciant, cui minima quaedam pars virium facultatumque suarum sufficere possit, ab alio tamen quovis onere, quod facile sustinere simul possent, se subtrahant vel excusent. Quorum quidem utri vere Societatem amare, utri bona sua cum Societate vere et ex animo communicare dicendi sint, quisque, vel me tacente, intellegit.

Mth. 25, 21.

Io. 14, 2.

30. O utinam, PP. RR. ac FF. in Christo carissimi, utinam haec, ut facile intellegimus omnes, ita opere ab omnibus implerentur! Quanto speciosior esset Societatis nostrae forma! Quam illa propius ad pristinum illum decorem suum accederet, ad illum inquam verum decorem, quem illi accurata sociorum omnium in suis officiis diligentia, studium, industria, totiusque animi ac virium applicatio in obeundis ex Instituti praescripto muneribus, ad Dei maiorem gloriam ac proximorum iuvamen, conciliabat! Hac certe ratione patres nostri illam sibi veram gloriam pepererunt, quam nobis reliquerunt fruendam; neque alia ratione nos eandem conservare ac tueri debemus, ne, si nos vel ignorantia Instituti nostri vel eius explendi socordia, nimium videamur patribus illis nostris dissimiles, et ipsi coram Deo et hominibus pro incrementis iustitiae et gloriae damna feramus ac dedecora, et ipsa Societas mater nostra, quam quotquot sumus filii amamus tenerrime, detrimenta capiat, vix ac ne vix quidem longo annorum intervallo reparanda. Ceterum illud, quaeso, unusquisque sibi persuadeat, quicumque sit gradus, quicumque locus quem in Societate teneat, sive superior sit, sive operarius in vinea Domini, sive studiis litterarum, sive spiritui excolendo praefectus, sive scholasticus sit, ac vel discat ipse vel alios doceat, sive etiam ad res domesticas adiutor, unusquisque, inquam, ita existimet, se in illo suo gradu ac munere in partem vocari communis utilitatis procurandae, ut a se, a suis studiis ac laboribus Societatis existimatio, incrementum, status denique optimus pendeat. *Deus, Domini nostri* ac ducis optimi *Iesu Christi pater gloriae, det omnibus spiritum sapientiae, et illuminatos oculos cordis, ut sciamus quae sit spes vocationis nostrae,* ut ne degeneremus ab excelsis cogitationibus patrum ac fratrum qui nos praecesserunt, sed eorum exemplo *caritas nostra magis ac magis abundet in scientia et in omni sensu, repleamurque fructu iustitiae per Iesum Christum in laudem et gloriam Dei.* Amen.

Beata erit Societas, ut olim, si haec serventur.

Eph. 1. 17.

Phil. 1. 9.

Omnium vestrum, RR. PP. ac FF. in Christo carissimi, sanctis sacrificiis ac precibus me enixe commendo.

Romae, VII Iulii, MDCCCXXX.

Vester in Christo servus,
IOANNES ROOTHAAN.

EPISTOLA

R. P. N. IOANNIS ROOTHAAN

AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS

De tribulationibus et persecutionibus

Tribulationes et persecutiones,

1. Quamquam non est quod dubitem, RR. PP. et FF. in Christo carissimi, quin omnes, quotquot Societatis se ac Sancti Ignatii filios esse gaudent, eo sint animo, ut non modo vocationis suae munera alacriter exercere et in iis labores quoscumque suscipere, verum etiam adversa quaeque fortiter tolerare parati sint, eaque divina gratia aspirante exoptare etiam soleant et gaudentes excipere; tamen quae vivimus tempora illud a me postulare videntur, ut optime animatos confirmare, et qui forte infirmiores sint in vobis excitare, omnes denique in verbis Domini consolari pro modulo meo non omittam. Etenim quod S. Pater noster inde a primis Societatis exordiis divinitus intellexisse visus est, quando Dominus, *ita ut erat cum cruce,* propitium se ipsi sociisque futurum promiserat, quodque eundem parentem nostrum Societati deinceps et expetiisse et a divina bonitate enixe postulasse accepimus, ut ne umquam persecutionibus careret; id cum alias semper nec parce consecuta est haec familia, tum maxime hisce nostris temporibus sane abunde experitur. Equidem certe nescio an umquam antea tam multis in locis simul eodemque tempore, tamque universalis in eam et in eius nomen malevolorum cuiusque generis invidia vel odium insurrexerit, fecunda seges calumniarum, contumeliarum, vexationum, spoliationum, exsiliorum, ceterorumque, quae hominibus mala dicuntur, sunt autem insignia Dei dona. Plura etenim in hoc genere variis in locis unius fere anni spatio plurimi e nostris, ut non ignoratis, experti sunt, et an statim futurus sit finis, an non alibi etiam similia nostris aliquando maneant, saltem fas est dubitare. Itaque quod coram voce non licet, id per litteras saltem efficere constitui, ut ad ea vos sentienda, quae his sunt accommodata temporibus et nomine nostro et vocatione digna, qua possem ratione adhortarer.

quas ab initio passa Societas etiamnum abunde patitur,

excitare in nobis debent:

1.º Gaudium de vocatione nostra,

2. Et in primis quidem res est maxima sane gratulatione digna, nec video equidem an quidquam aliud magis nos ad vo-

cationem nostram artissime summoque affectu complectendam, et ad gratias de illa divinae maiestati agendas excitare debeat, quam ista ipsa consideratio: quod summa illa bonitas nos, fors nescientes quid nobiscum ageretur, ad eam Societatem perduxerit, quae tantam habere partem meruit in illa praeclara sorte, quam beatitudinis nomine insignire Christus Iesus dignatus est. *Beati eritis,* inquit, *cum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos mentientes, propter me;* et iterum: *Beati, cum separaverint vos, et exprobraverint, et eiecerint nomen vestrum tamquam malum propter filium hominis.* Certe quidem, PP. RR. Fratresque in Christo carissimi, illa Domini verba in hac nostra familia impleri non sine maximo animi solacio videmus. Vere enim maledicunt nobis homines et persequuntur nos, et quod omnium vexationum compendium quoddam est simul et fons uberrimus, dicunt omne malum adversum nos, et utique mentientes dicunt. Testis enim nobis est Deus et conscientia nostra, non eam nos vitam profiteri omnibus devotam sceleribus, quae in nos congerere non cessant, et ob quae nos non homines, sed hominum monstra quaedam ac portenta, reique publicae labem ac pestem esse iactitant, multisque ignorantibus persuadent. Vere etiam separant nos et tamquam extra ius fasque positos habent, quibus ea, quam reliquo generi humano magno ore venditant, libertas legumque tutela neganda sit, quasi facinorosis et plane absque omni causae examine convictis ac damnatis; et ipsum denique nomen nostrum eiciunt tamquam malum, utique non aliam ob causam nisi propter filium hominis qui nos in sui nominis communionem vocare dignatus est. Huic scilicet nomini sanctissimo bellum indixerunt, hoc illi nomen oderunt; quod quidem et verbis et factis demonstrant, cum et nomen nostrum omnibus iam, qui fidem, qui pietatem sectantur, commune faciunt, et quod in nos exercent odium, eodem et Christi Iesu vicarium, et Sanctam eius Ecclesiam, et quidquid est usquam virtutis, castitatis, pietatis christianae apertissime prosequuntur, religionis universae osores infensissimi.

quam Iesus beatam dixit,

Math. 5. 11.

Luc. 6. 22.

quia vere patimur pro eius nomine,

3. Quod ergo ita habeamur a mundo, qui Dominum Iesum *priorem* nobis *odio habuit,* quodque in tam nobilem partem contumeliarum atque iniuriarum crucis Christi vocemur, est profecto quod nobis gratulemur, PP. ac FF. carissimi, atque equidem fateor me haec sine intima animi confusione commemorare non posse. Et quis ego sum, Domine, ut me talis ac tantae gloriae participem esse volueris? Et unde hoc mihi, ut hac me sorte carissimorum fidissimorumque famulorum tuorum dignareris? Certe quidem Apostolus divinum exaggerat

et participes sumus gloriae crucis Christi.

Io. 15, 18.

Phil. 1. 29. beneficium in iis, *quibus donatum erat non solum ut in Christum crederent, sed etiam ut pro illo paterentur.* Et Petrus pro Christi nomine opprobria ferentes hortatur *ut glorificent Deum in isto nomine*: *quoniam*, inquit, *quod est honoris, et gloriae, et virtutis Dei, et qui est eius spiritus, super vos requiescit.* Quorum verborum vim qui attente perpenderit, vix vel in caelis ipsis quidquam maius reperiri posse sentiet, si solam purissimi gaudii iucunditatem excipias. Quamquam et hac ipsa carere fortes athletas suos noluit Dominus, saltem *spe gaudentes;* ait enim: *gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis.* Quin etiam paratis iam ac praesentibus gaudiis inter ipsas crucis aerumnas frui quibusdam ferventioribus concedit, quem ad modum illi qui dicebat: *repletus sum consolatione, superabundo gaudio, in omni tribulatione nostra.*

1. Pet. 4. 16. *Ibid. 14.* *Rom. 12. 12.* *Matth. 5. 12.* *2. Cor. 7. 4,*

Quod quam deplorandi, si qui non intellegant!

Iac. 1. 2.

4. Primus itaque hic sit sensus noster, PP. RR. ac FF. in Christo carissimi, dignus Iesu socio, dignus Ignatii filio sensus, ut *omne gaudium existimemus, cum in varias tentationes inciderimus.* Tantumque absit ut cuiquam ex nobis minus grande iam beneficium videatur sua ad Societatem vocatio, quod eam in signum positum videat cui contradicitur, ut vel hoc ipso nomine maioris illam facere, donumque Dei tanto praeclarius aestimare ac studiosius conservare discamus. Est profecto amaris lacrimis deplorandus quorundam paucorum casus, quos, sive quod *ventum videntes validum timerent,* seu quod alioqui non satis in Deo fixi, non satis *in caritate radicati* essent *ac fundati,* tempestate a nobis avulsos ingemiscimus, qui scilicet *miserunt manum ad aratrum, et respexerunt retro.* Verum absit ab unoquoque nostrum huiusmodi opprobrium, ut *inferamus crimen gloriae nostrae,* cum iure merito S. Bernardus dixerit: *bonam vitam ego puto, multa bona facere et multa mala pati, et sic perseverare usque ad mortem.*

Matt. 14. 30. *Ephes. 3. 17.* *Luc. 9, 62.* *1 Mac. 9. 10.*

2.o Profundam humilitatem cum sancta sollicitudine.

5. Ast haec paucorum quorundam, quos modo commemoravi, inconstantia ac tristis ruina alterum suggerit animi sensum, quem occasione earum quas experimur vexationum excitari in omnibus nobis vehementer exopto. Est autem, ut cum animo ob causae bonitatem laeto atque erecto, veram simul ac profundam humilitatem cum sancta sollicitudine coniungamus. Etenim si nihil gloriosius esse potest quam vocationis nostrae causa, id est virtutis, religionis, Christi Iesu causa, aliquid pati, illud tamen cogitare utiliter et possumus et debemus, fieri utique posse, ut cum mundus quidem exosos nos habeat eodem illo odio quo Deum ipsum prosequitur, fieri tamen posse, inquam, ut Deus mundo potestatem faciat ita nos exagitandi in vindictam nostrarum culparum, culparum, in-

ne ob aliquorum culpas, etiam minores, universi huiusmodi poenas mereamur;

quam, etiamsi non communium sed aliquorum dumtaxat, culparum fortasse, quae, si tam graves non videantur oculis hominum, sint tamen eiusmodi coram purissimis illis ac lucidioribus super solem oculis Dei, ut omnia ea quae patimur et graviora etiam mereamur. Quid enim, PP. ac FF. carissimi, numquid nobis ita blandiri, ita nobismet ipsi placere possumus, ut tales nos esse quales vocationis nostrae ratio nos esse postulat, nobis persuademus? Eritne quisquam inter nos, qui facile sibi satis fecisse videatur, si quadam mediocritate virtutis contentus vivat, quae quidem, ut S. P. N. aiebat, in communi hominum vita bonitas foret non contemnenda, at in nobis parum omnino esset ac pro nihilo reputanda, si cum eo scilicet conferatur quod a nobis Institutum nostrum, quod regulae, quod tessera nostra *ad Maiorem Dei Gloriam,* et grande nomen quod gerimus *Societatis Iesu,* quod denique tot tamque insignia in nos Dei beneficia requirunt? Quanta, quaeso, deberet esse in omnibus nobis intentionis rectitudo atque sinceritas? Quanta cum Deo in orando et in agendo familiaritas et coniunctio? Quanta in unoquoque nostrum nominis proprii atque existimationis et omnis figurae huius mundi despicientia? Quantus propriorum commodorum neglectus? Quanta laborum pro Christo cupiditas at tolerantia? Quanta oboedientiae promptitudo atque perfectio? Quanta proprii iudicii propriaeque voluntatis abnegatio? Quanta vitae apostolicae et angelicae puritas, atque a levioribus etiam culpis mundities? Quanta caritatis inter nos unio atque concordia? Quantum salutis proximorum studium, quanta industria? Quanta denique cura respondendi vocationi suae propriisque explendi muneris, non utique pro cuiusque arbitrio, sed iuxta eas leges quas sapienter maiores nostri praescriptas reliquerunt, quibus unis potissimum stat religiosus ordo et floret, ac divinum meretur uberiorem influxum? Equidem de me fateor, identidem eo me timore pulsari ne fortasse ob quorundam, ob paucorum fortasse in acquirenda solida ac perfecta virtute neglegentiam, videat Dominus Societatem suam non probationis modo, verum etiam purgationis indigere; vereor, inquam, ne, cum inde quidem *Satanas expetivit nos ut cribraret sicut triticum,* inde etiam ipse Dominus constituerit *purgare aream suam.* Certe quidem illius verba sunt, quae merito quemvis seu torpentem seu dormientem excitent atque percellant: *omnem palmitem non ferentem fructum tollet eum* caelestis agricola, *et eum qui fert fructum purgabit eum, ut fructum plus afferat.*

sed perfectionem Instituti nostri meditantes.

Luc. 22. 31.

Luc. 3. 17.

Joan. 15. 2,

6. Hic itaque est alter animi sensus, quem calamitatibus, quas vel patimur vel merito timemus, excitari in nobis desidero, ut *humiliemur sub potenti manu Dei.* Nihil enim profec-

lugeamus imperfectum nostrum, et cotidie ad altiora tendamus.

1. Pet. 5, 6.

to iuverit, PP. ac FF. carissimi, si nobismet ipsi blandiamur, ipsi nos decipiamus, ac tam facile nos tamque exiguo labore, tam levi, ut ita dicam, pretio veros nos Ignatii filios, veros Iesu socios esse nobis molliter persuadeamus. Contra vero, humilitatis quam dixi sensus numquam non utilissimus est. *Humilia te,* inquit, *in omnibus, et coram Deo invenies gratiam.* Humiles si vere fuerimus, gratiam inveniemus apud Deum, apud quem solum gratia invenisse sat est, etiamsi gratia apud homines, quae per se fallax est, imminuatur vel etiam penitus nos destituat. Quare sollicite vocationis nostrae rationem perpendentes, illud a Domino quanta possumus humilitate petamus: *Notum fac mihi Domine finem meum, ut sciam quid desit mihi;* ut finem, ob quem non modo conditus quisque est homo et vocatus Christianus, sed eum etiam, ob quem et religiosus, Societatis Iesu, sacerdos, finem denique, ob quem in suo isto gradu et munere positus quisque nostrum est, attenta mente et illustratis caelesti lumine oculis considerantes, videamus quam multa nobis desint, et imperfectum nostrum lugeamus, et novos colligamus spiritus ad insistendum firmius et artius inhaerendum patrum nostrorum vestigiis, Christique Iesu, qui dux noster est et vivum exemplar, fideli imitationi. Equidem nulla re magis quam hac quam dixi humili sollicitudine placandum nobis esse Deum sentio; hac immo vim etiam persecutionum retusum tandem ac infractum iri confido, ut, *cum placuerint Domino viae nostrae,* quem ad modum Sapiens ait, *etiam inimicos nostros convertat ad pacem;* caecas videlicet eorum mentes illuminet, corda tangat, et ex adversariis infensissimis aliquando etiam cupidos reddat operae nostrae, qua bene illis ipsis non optare modo ac precari, ut nunc quidem facimus, sed bene facere etiam pro nostro munere possimus. Ceterum, eo quem dixi animo si fuerimus, quidquid tandem, Domino permittente, acciderit, veritatem experiemur celebratae illius ab Ecclesia sententiae; *quia nulla nobis nocebit adversitas, si nulla nobis dominetur iniquitas.*

Eccli. 3. 20. — *Ps. 38, 5.* — *Prov. 16. 7.*

3.º Summam in Deo fiduciam,

7. Neque enim ex iis quae de humili concipienda sollicitudine dixi, imminui vel minimum fiduciam cuiusquam velim, PP. RR. ac FF. in Christo carissimi; quin potius illud ad ultimum desidero ac postulo, ut, quo humiliores in nobis fuerimus, eo maiorem concipiamus in Deo fiduciam, eamque divinae gratiae virtute et sanctae orationis ope excitemus in nobis ac foveamus quantam possumus maximam atque amplissimam. Quid enim, PP. ac FF. carissimi, si qui sunt in vobis quos futurorum fortasse eventuum timor deicit, *quid,* inquam, *timidi estis modicae fidei?* Numquid *erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit?* Aut poterit omnino malum esse quod fecerit Dominus?

Matt. 8. 26. — *Amos, 3. 6.*

Quod si non ea omnia quae Dominus permittat, continuo bona esse necesse est, nonne tamen fide certum est *omnia,* etiam mala illa, *diligentibus Deum cooperari in bonum?* Et re quidem vera, quid tandem illud erit quod nobis, si Deum amemus, nocere possit? Quid, quod non etiam summe profuturum sit? *Rom. 8. 28.*

praecipientes animo mala omnia, quae mundus inferre potest, ne ea timeamus, scilicet:

8. Etenim quantacumque vel gravissima mente praecipere velimus, quo tandem, quaeso, mundi totius totiusque etiam inferni furor recidet? Fortasse violentas inferet manus, carcerem, vulnera, mortem minatur? Haec quidem extrema sunt, quibus graviora, quantumcumque saevierit, non est quod inferre ultra possit. Atqui de his ipsis nonne ait Dominus: *nolite timere eos qui occidunt corpus?* Ego vero sic existimo, PP. ac FF. carissimi, idemque vos existimare non dubito, summum esse bonum sanguinem ac vitam in tam bona causa profundere; ut, si quid huiusmodi vel timentes exspectemus, mihi nescio quid praesumptionis habere videatur, quasi ad tantam gloriam aspiremus, qua plane sumus indigni. Quamquam utinam digni essemus! Utinam vel pauci quidam ex nobis tam beata sorte dignarentur! Quam multi, quaeso, ex patribus nostris, viri apostolici, huius tanti boni spe aliqua in suis laboribus ac aerumnis unice se sustentabant? Hanc unicam metam sibi ac veluti mercedem proponebant, quam tamen multorum annorum laboribus atque aerumnis consecuti non sunt. Sed si tanto nos bono indignos esse sentimus, saltem, quaeso, ne illud timeamus. Quin potius cogitemus Dominum, gravissimas illas mundi minas cum denuntiaret: *et eritis odio* omnibus *propter nomen meum,* sermonem suum tandem inexspectata illa ac plane admiranda sententia conclusisse: *et capillus de capite vestro non peribit.* Quod quidem singulari modo hisce etiam temporibus experti sunt e nostris quam plurimi, e mediis periculis divina protegente providentia erepti incolumes.

1.º carceres, vulnera, mortem.

Matth. 10. 28. *Luc. 21. 17.* *Ibid. 18.*

2.º rerum penuriam,

9. Quid ergo timebimus? fortasse, ne spoliati iis quae ad vitam sustendandam adhuc divina providentia suppeditavit, ad angustias rei familiaris redacti et egestate pressi, rebus non opportunis modo sed et necessariis careamus? Ast utinam digni essemus qui aliquando uberiorem gustaremus fructum sanctae paupertatis, quae nunc quidem satis commode nos habet et eleemosyna cotidie sane lauta nos sustentat! Similiores scilicet redderemur patribus illis nostris, quos equidem tanto virtutibus ac donis caelestibus et meritis apud Deum et homines locupletiores fuisse existimo, quo erant ipsi in suae vitae ratione egentiores, cum paupertatem non affectu modo tenerent, sed re etiam experirentur, non raro necessariis etiam vitae subsidiis destituti. Quam in rem verba S. Patris nostri, quae, quotiens lego, valde me movere solent, lubens commemorabo: *Cum enim,*

Examen, gen. c. 4, n. 26.

inquit, *qui primi in Societatem convenerunt, per huiusmodi indigentiam ac penuriam maiorem rerum corpori necessariarum probati fuerint, qui post eos accedent, curare debent ut quoad poterunt eo pertingant quo illi pervenerunt, vel ulterius etiam in Domino progrediantur.* Ceterum meminisse iuvat eorum quae S. Evangelista Lucas refert de Domino Iesu discipulos interrogante: *quando misi vos sine sacculo et pera, numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: nihil.*

Luc. 22. 35.

3.º separationem ac dispersionem Sociorum.

10. Sed, si nec mors adeo nec rerum penuria timenda est, aliud fortasse malum imminet, scilicet, ut invicem separari et hac illac dispergi necesse sit, quo vim persecutionis declinemus? Haec, non diffiteor, PP. ac FF. carissimi, mihi quidem certe, nec minus etiam vobis, ut existimo, omnium gravissima foret probatio. Nihilo minus tamen, si talem etiam probationem, duram sane, permitteret Dominus, probatio utique foret, non perditio. Et numquid non *Domini est terra et plenitudo eius?* Aut ubicumque fuerimus, nonne filii semper erimus illius providentiae quae nescit amare et deserere, quia tota paterna est? Denique si quid tale accideret, non nisi ad tempus, ad exiguum tempus accideret, quo virtus nostra et constantia probaretur. Haec certe fiducia, fore ut, si dispergi nos contingat, iterum colligendi simus, idque brevi, mihi quidem ita inhaeret animo defixa, ut de ea usurpare illa Prophetae verba non dubitaturus sim: *reposita est haec spes mea in sinu meo.* Nequaquam, PP. ac FF. carissimi, tot illae ac tantae misericordiae Domini, quas Societas experta est adhuc hisce ultimis temporibus, et quibus non immerito aliquam miraculi speciem inesse multi etiam externi existimant, illae, inquam, tantae Domini misericordiae dubitare nos non sinunt, quin, *quod coepit opus, ipse etiam velit perficere.* Quod si percusserit nos, et sanabit; si disperserit, et congregabit. Quare animum, quaeso, quotquot sumus obfirmemus, et quaecumque tandem futura sint ea quae disposuerit Dominus, *gloriemur* cum Apostolo *in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit.*

Ps. 23. 1.

Job. 19. 27.

Phil. 1, 6.

Rom. 5. 3.

Conclusio.

11. Fluctibus iactatur cymba Societatis; et quid mirum, quando Petri navis teterrima procella pulsatur? Scilicet, nox ingruit ac *potestas tenebrarum. Laboramus in remigando*: remiges enim a Pio VII vocati sumus; utinam strenui nullisque frangendi laboribus! *Laboramus,* inquam, *in remigando; est enim contrarius ventus.* Ast, modo ne cessemus, PP. ac FF. carissimi, *illucescet* aliquando *dies,* et *Iesus veniens,* qui suos nunc *laborantes videt* utique, aderit et *ambulans super mare* fluctus feros divino vestigio calcabit, et *cessabit ventus,* et *fiet*

Luc. 22, 33.

Matth. 8, 26 et 14, 24 s.

tranquillitas. Clamemus utique, oremus: *Domine salva nos.* At pereundi timorem nimium, quaeso, ne concipiamus, ne forte, quem ad modum Apostoli, a benignissimo Domino *modicae* *Ps. 26. 14.* *fidei* arguamur. *Exspectemus, viriliter agamus, confortetur cor nostrum et sustineamus Dominum.* Adhuc *modicum aliquantu-* *Hebr. 10. 37.* *lum, qui veniens veniet et non tardabit.* Illud interea precari a Domino non ullo die omittamus, ut, *qui dat omnibus affluen-* *Jac. 1. 5.* *ter et non improperat,* donet, inquam, omnibus nobis *gratia* *Hebr. 13. 9.* *stabilire cor.* Simul etiam illud Petri monitum prae oculis habeamus, ut *qui patiuntur secundum voluntatem Dei, fideli Crea-* *1. Pet. 4, 19.* *tori commendent animas suas in bene factis. Deus autem omnis* *Ib. 5. 10.* *gratiae qui vocavit nos in aeternam suam gloriam in Christo Iesu, modicum passos, ipse perficiet, confirmabit, solidabitque. Ipsi gloria et imperium in saecula saeculorum. Amen.*

Vestrum omnium SS. SS. ac precibus me commendo
RR. PP. ac FF. in Christo carissimi.

Romae, XXIV Iulii, MDCCCXXXI.

Servus in Christo,
IOANNES ROOTHAAN.

EPISTOLA

R. P. N. IOANNIS ROOTHAAN

AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS

De missionum exterarum desiderio excitando ac fovendo

Ad Missionum exterarum ministerium, quod semper amplexa est Societas, denuo nos stimulant

1. Nobile sane est et excellens, ac vocationis nostrae maxime proprium ministerium, Iesu Christi evangelium fidemque catholicam in remotissimis etiam orbis terrarum partibus propagandi. Atque illud quidem Societas nostra, Dei nutum ac vocationem minime dubiam secuta, inde ab ipsis suis primordiis amplexa est; illud patres deinceps nostri nullo non tempore summo studio maximaque industria prosecuti sunt, eoque insignem per duo saecula Deo Domino nostro gloriam et innumeris animabus salutem aeternam pepererunt. Ad hoc tam insigne ministerium denuo capessendum cum haud obscuris neque infrequentibus invitationibus provocemur, Patres ac Fratres carissimi, facere non possum quin vos in communi per litteras

alloquar et ad tantum opus desiderandum vos excitem, eosque inter vos, qui desiderio tam sancto iam sunt accensi, quos non paucos esse certo scio, ad necessariam tanti operis praeparationem quibus possim modis exhorter.

1° Exempla maiorum usque ad ultima Societatis tempora,

2. Equidem neminem esse vestrum existimo, qui ubi memoria repetat quid in hoc genere a patribus nostris quanto labore quantoque fructu gestum sit, non inflammari se sentiat desiderio in partem aliquam ac societatem veniendi tantae in Domino gloriae. Initio enim facto a magno Indiarum apostolo, qui primus e Societate difficillimam adiit missionem, cum necdum pontificio diplomate Institutum Sancti Patris Nostri confirmatum esset, sequentibus dein temporibus tot viros apostolicos in omnes orbis partes Societas expedivit, eosque tam strenuos, tam sudoris et sanguinis prodigos, ut magnus ille Xaverius, in mystico isto apostolicae praedicationis caelo, non tam ut sol inter sidera quam ut stella primae quidem illa magnitudinis, at inter plurimas splendore vix ac ne vix quidem minores refulgere videatur. Exstant etiam nunc nec umquam excident zeli eorum praeclara monumenta, ex quibus quanto studio et per quantas aerumnas sementem evangelicam fecerint, quamque copiosos collegerint frugum aeternae vitae manipulos, nemini non est manifestum. Indiarum tam multa regna, Sinarum Iaponumque imperia, Syriae, Aegypti et Aethiopiae regiones, vastissimas utriusque Americae plagas vixdum iis temporibus cognitas, incredibili animi fortitudine libentes adierunt, nullis laboribus, nullis periculis territi, ut vel ab ipsis Ecclesiae ac Societatis hostibus admirationem extorquerent. Tantusque erat in Societate ad ultima usque tempora, sociorum ardor longinquas illas missiones exposcentium, ut numquam potuerit omnium eas postulantium votis a Praepositis Generalibus satisfieri; et in aliquibus quidem provinciis adeo commune id erat ac sollemne omnibus fere sacerdotibus desiderium, ut vix ullus esset, qui sacris Ordinibus initiatus missionem sibi ad exteras regiones non expeteret.

2° religionis detrimenta in remotis illis regionibus.

3. Quo vero quantoque fructu in hoc apostolico ministerio ad ultima usque tempora patres nostri versati sint, et quantum postea, illis in universae Societatis clade sublatis, in remotis illis regionibus religio detrimentum ceperit, a nobis taceri potius quam commemorari convenit. Equidem, Patres ac Fratres carissimi, cum tot animarum, immo tot gentium miserabilem ruinam vel lego vel etiam, ut identidem accidit, ab oculatis testibus referri audio, earumque plures etiam nunc patrum nostrorum memoriam servare, at operariis evangelicis destitutas esse, aut etiam ab impiarum sectarum ministris tentatas et magna ex parte seductas, non possum non intimis visceribus commo-

veri, illaeque Prophetae lamentabiles voces alto cordis gemitu una cum illis gentibus et pro illis ingeminandae occurrunt: *attende de caelo,* Domine, *et vide de habitaculo sancto tuo et gloriae tuae. Ubi est zelus tuus et fortitudo tua, multitudo viscerum tuorum, et miserationum tuarum?... Tu enim Pater noster... Redemptor noster... quare errare nos fecisti, Domine de viis tuis?... quasi nihilum possederunt populum sanctum tuum: hostes nostri conculcaverunt sanctificationem tuam. Facti sumus quasi in principio, cum non dominareris nostri, neque invocaretur nomen tuum super nos... Civitas sancti tui,* Ecclesia inter barbaros quondam populos florentissima, *facta est deserta, Sion deserta facta est, Ierusalem desolata est. Domus sanctificationis nostrae et gloriae nostrae, ubi laudaverunt te Patres nostri, facta est in exustionem ignis, et omnia desiderabilia nostra versa sunt in ruinas. Numquid super his continebis te, Domine?* — Neque vero quemquam fore existimo inter vos, PP. ac FF. carissimi, quem tot miserabilium animarum strages non tangat, qui eam non acerbe doleat. Etenim si tale est huius nostrae vitae Institutum, ut nemo nostrum, cum de sua salute sollicitus Deo se commendat, non continuo in eam veniat cogitationem, id quidem sibi non sufficere in hoc suo vitae genere, nisi etiam ceterorum hominum aeternam salutem ardenter commendet Deo ac pro viribus promoveat, quid sentire nos decet de tot miseris derelictis et omni ope atque auxilio, ad finem ad quem conditi sunt obtinendum, destitutis?

Is. 63. 15. seq.

Is. 64. 10. seq.

3° invitationes, quibus provocamur ad operandum

4. Ne vero solo commiserationis sensu ac precibus et gemitibus in tanta tot animarum necessitate contenti simus, sed opera etiam nostra illis prodesse aliquando conemur, faciunt illae quas dicere incipiebam invitationes, ex quibus ostium magnum, idque forsan brevi, nobis apertum iri non immerito sperare licet.

in Americae Statibus foederatis,

5. Ex Americae quidem Statibus foederatis, nostri, qui non exiguo iam numero ibi nec sine magno fructu laborant, novas operas sibi submitti postulant, idque in omnibus fere quas inde ad nos scribunt litteris etiam atque etiam flagitant, eo quod iam ne excolendis quidem catholicis, et colligendae ex illa omnium fere sectarum colluvie evangelicae messi sufficiant, cum tamen etiam ad illos aliquando Indos excurrere oporteret, quos olim patres nostri in Christo Iesu per Evangelium genuerant, quique nunc ex suis sedibus a novis habitatoribus exturbati, et in desertas oras versus Occidentalem plagam compulsi, vel omni prorsus religiosa institutione carent, vel quod magis etiam dolendum est nostrisque pudendum, ab errorum ministris ex Europa illuc submissis in perditionem praecipites rapiuntur.

ad montem Libanum et in maris Aegaei insulis,

6. Deinde pauci illi ex nostris qui ad montem Libanum missi nuper fuerunt et qui in maris Aegaei insulas, augeri sociorum numerum vehementer desiderant, cum utrobique et messis multa sit et periculum imminens ne, ut in America, ita et in illis regionibus, variarum sectarum emissarii incautos ac male sanos populos perfidis artibus occupent et in transversum agant.

ad varias Asiae et Africae oras,

7. Praeterea nostrorum opera postulatur ad varias non Asiae modo, verum et Africae oras, ubi plurima christianorum milia, sacerdotum ope destituta, in praesentissimo periculo versantur aeternae salutis amittendae, nec sibi solum amittendae, sed et posteris suis, ubi fidei catholicae, quae in grave discrimen vocatur, iacturam fecerint.

in Indiis orientalibus, in Sinis, etc.

8. Taceo de Indiis orientalibus, de Sinis, aliisque antiquis huiusmodi missionibus, de quibus pariter a nostris aliquando instaurandis iam non semel facta nobis mentio fuit ab iis, quibus pro suis in universali Ecclesia muneribus haec cura incumbit.

Ne igitur obstet operariorum penuria.

9. Quid iam me sentire existimatis, Patres ac Fratres carissimi, quid vero etiam vos sentire par est, cum me intellegatis, quominus tam multis postulationibus obsecundari tantisque necessitatibus serviri possit, operarum penuria prohiberi?

Qui Missionum desideria in se sentiunt, nomen dent;

10. Quod itaque officii mei partes postulant, in primis omnes in Domino invito et exhortor quam possum maxime, ut gratiam vocationis suae quisque suscitare in se satagat, et qui desiderium apostolatus huiusmodi immissum sibi senserit, illud in primis tamquam insignem Dei gratiam toto pectore suscipiat, illud diligenter foveat in animo, ac saepe se Deo ad illud aliquando, si eius sanctissima voluntas tulerit, explendum offerat; deinde, re cum suo patre spirituali collata, nomen suum inter aspirantes ad tam nobilem provinciam ad nos transmittere, sive datis ad nos litteris sive per suae provinciae Praepositum, non omittat.

neque timeant Provinciales Provinciarum suarum detrimenta.

11. Praepositi autem Provinciales detrimenta suarum provinciarum ne extimescant velim. Nam evangelicum illud verbum: *date, et dabitur vobis,* etiam hic locum habere dubitandum non est. Neque vero exspectandum, donec tanta in provinciis copia suppetat sociorum, ut ex abundantia ac veluti ex superfluo aliqui ad missiones destinari possint. Verum ut in

Luc. 6, 38.

illo promisso Domini: *date, et dabitur vobis,* non utique tum solum liberalitatem exercere monemur, cum largae prae manibus habeantur opes; — non enim ait: *cum datum vobis fuerit, date,* sed ut etiam de ipsa tenuitate sua dare nemo gravetur, certa spe nixus fore, ut quod ita dederit magno cum fenore a divina liberalitate refundatur, *date* inquit *et dabitur vobis* —

ita plane in re de qua hic agimus nobis persuadeamus necesse est, quo fuerit generosior aliqua provincia, neque invita optimos sibique utilissimos homines ad missionum opus, Deo eos vocante, obtulerit, eo fore liberaliorem divinam bonitatem, ut novis accessionibus idoneorum sociorum eadem provincia locupletetur. Certe quidem generosis animis stimulus ad Societatem petendam unus ex acerrimis atque efficacissimis et fuit olim et porro nunc erit, opera diligenter navata in remotissimis etiam gentibus ad Dei veraeque religionis cultum vocandis, aut in eo conservandis. Quam multos quamque insignes viros vel unius Xaverii apud Indos labores, cum primum in Europa percrebuissent, ad Societatis institutum amplectendum allexit! quantum etiam deinceps fructum Europae ac Societati Missionum exterarum attulit opera! Constat sane ex Societatis historia, eas olim provincias insignium virorum copia ac meritis in Europa floruisse maxime, quae liberaliores sese in sublevandis gentium barbararum necessitatibus, missis eo lectissimorum operariorum manipulis, praestiterunt. Nulla ergo hic timenda sunt detrimenta, sed potius magna fiducia sperandum fore, ut *populus* Deo in Societate *serviens merito et numero augeatur,* si quam plurimos idoneos miserimus in Domini vineam operarios.

12. Sed iam ad alteram propositi mei partem transeamus, quae est de praeparatione ad missionum opus necessaria. Cum enim iam non pauci, ex iuvenibus praesertim, hanc sibi spartam longinquarum missionum ardentibus votis expetant, et plures etiam fore non dubitem, qui hisce excitati litteris eundem ardorem vel iam pridem conceptum expromant, vel eum hac occasione concipiant, necesse omnino esse arbitror aliqua hic attingere, quae iis inesse oportet qui ad tantum opus adeundum aspirant; ne forte, desiderio quantumvis pio sanctoque abreptus, aggredi quis velit quae perficere non possit, *turrimque aedificare* quam deinde *non possit consummare,* quod scilicet non *prius sedens, sedens,* inquam, multa quiete coram Deo, *computaverit sumptus qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum.*

Praeparatio ad Missiones

Luc. 14. 28

13. Atque hic de valetudinis quidem firmitate, deque indolis morumque ingenita quadam facilitate ad missionum istarum opus necessaria dicere supersedeo. Taceo etiam de doctrina ad tantum munus tuto suscipiendum requisita. Illud solum obiter hic monuisse sufficiat eos qui ad missiones aspirant eo diligentius debere ad studia incumbere, quo minora solent esse hoc in genere subsidia in longinquis illis regionibus. Cum enim in europaeis provinciis nec libri fere nec docti viri desint, quos in dubiis consulere commode quisque possit, in missionibus non

praeter valetudinem, bonam indolem, et scientiam diligentius hauriendam,

raro quisque sibi bibliotheca et consiliarius esse cogitur, qui, nisi doctrina bene sit paratus, in errores scilicet quandoque non leves incurrat necesse est.

requirit virtutum solidarum praesidium.

14. Verum de virtutum solidarum praesidio comparando ab iis qui missiones adire cupiunt potissimum mihi sermo est, Patres ac Fratres carissimi. Nam si ceterorum quae dixi donorum naturalium atque humanorum minor adsit copia, virtute non vulgari magna ex parte suppleri defectus huiusmodi potest. Nam et valetudo infirmior vigore spiritus non raro erigitur, et ad multa in Dei laudem operanda convalescit; et indolis naturalis asperitas virtute facile mollescit aut mitigatur; et doctrinae licet tenuis mediocritas ad non pauca praestanda potest valere, ubi non desit vitae sanctimonia. Ast virtutis defectum compensare nihil omnino potest; ut adeo, si haec desit, etiamsi cetera sint omnia atque eximia, nec fructus animarum nec gloriae Dei solidum incrementum sperari possit; sed detrimenta potius gravissima cum propriarum animaram periculo timeri debeant.

Quare, qui Missiones optat, videat qua ducatur puritate intentionis gloriae Dei et salutis proximi,

15. In primis ergo, qui missionum exterarum desiderio tenetur, hoc ipsum desiderium velim diligenter examinet, et qua potissimum re, qua spe moveatur, secum ipse coram Deo attento animo disquirat. Satis enim manifestum est, nisi purus sit intentionis oculus, nisi sola Dei spectetur gloria et animarum salus, errari graviter in isto desiderio posse nec sine ingenti periculo. Verus ergo ac sincerus Dei amor, in quo omnis veri zeli ratio consistit, tam sancti desiderii initium sit ac finis necesse est. Certe, si alia quaevis humana ratio vel naturae quidam impetus ad exoptandas missiones impelleret, constaret profecto tale desiderium a Deo non esse. Quid enim? si quis vel vitae huius suae, munerumve quibus in praesens fungitur, pertaesus, exteras regiones cogitaret? Quid? si vitae ad exactam regularum nostrarum observantiam accommodatae minus amans, missiones spectaret tamquam ingenio suo liberiorique agendi modo aptiores? Quid? si naturalis quaedam instabilitas, aut novas adeundi plagas novaque visendi curiositas quaedam impelleret? Quid? si species quaedam rerum non ordinariarum, quas missionarios experiri ut plurimum contingit, et quae admirabilitatis aliquid habent, alliceret? Quis non videt haec et his similia, partim vana partim etiam prava, neminem non modo impellere ad missiones expetendas non debere, sed ne in partem quidem venire posse huius deliberationis? Quare, si quis forte aliquid huiusmodi in suo illo missionum desiderio penitius animum perscrutatus deprehendat, illud, quidquid est, retundat omnino et excludat necesse est, ut eo solum fine missionem exoptet, qui tanti muneris proprius est ac solus verus

ac sincerus evangelici operarii scopus. Hanc enim intentionis puritatem si in omni vita, et in omni actione nostra procurare a sancto parente nostro iubemur, *ut sincere in omnibus Deum quaerere* eique soli placere studeamus, quanto magis id necessarium est in deliberatione tam gravi, quaeque suis periculis carere non potest?

16. Ita quidem a natura comparati sumus ut, quae rariora sunt aut minus communia, ea fere suspiciamus, ea demiremur, ad ea rapi nos quodammodo sentiamus. Cum itaque Patrum nostrorum in missionibus labores, certamina, pericula legimus vel audimus, capi nos huiusmodi rerum desiderio mirum non est. Scilicet etiam ignavum quemque historiis bellorum, obsidionum, proeliorum, tempestatum, naufragiorum, veluti spectaculis quibusdam teneri ac delectari usu venit. Verum ea quae lectu et auditu iucunda sunt, quam gravia sint ac molesta experientibus cogitemus necesse est; et profecto intellegemus, nisi Dei et animarum verus purusque amor ad talia ac tanta subeunda invitet atque impellat, non esse quod nobis de divina vocatione ad exteras illas missiones blandiamur. ab omni rerum insolitarum cupidine aliena;

17. Quod si quis uno moveri se amore Dei illique placendi desiderio sentiat, videat velim quomodo iam nunc hunc ipsum Dei amorem exerceat, quantumque ponat studium ut in omni vitae suae ratione Deo placeat, quam facilitatem agendi cum Deo in oratione et in omni cum eo communicatione in se experiatur, quam fidelis sit in suis spiritualibus de more exercitiis studiose et constanter obeundis, quam cautus sit in custodienda omni mentis et cordis munditie, cum, quod praecipue iuxta prophetae verbum ab homine *requirat Dominus,* illud sit: *sollicitum ambulare cum Deo suo.* num iam nunc quaerat Dei gloriam studio orationis et puritate conscientiae, *Mich. 6. 8.*

18. Si vere animas iuvandi studio incensum se existimet, videat item quam libenter nunc labores ad hunc finem suscipiat, quanta caritate ac patientia ferat quae in communi vita interdum occurrere molesta solent, quam facile aliorum se ingenio accommodet, quam pacifice contradici sibi aut etiam aegre sibi fieri patiatur, qua alacritate miseris praesertim, egenis, sordidis hominibus, in carcerum ac nosocomiorum squalore ac paedore, adesse ac ministrare consueverit. proximi salutem exercitio caritatis et patientiae;

19. Unusquisque enim ita sibi persuadeat, virtutem ad missionum opus necessariam nequaquam ita ut penulam ad iter capessendum momento indui posse. Quare, si quis neque cum Deo familiariter agere in oratione, neque cum fratribus suis patienter ac pacifice degere, nec ferre incommoda aut tolerare fortiter adversa didicerit, et tamen ad missiones expetendas rapiatur, hic merito illa prophetae verba sibi dicta existimet: *Si cum peditibus currens laborasti, quomodo con-* ut praestare possit foris, quae sibi domi comparaverit, *Ierem. 12. 5.*

23

tendere poteris cum equis? Si in hoc tuo vitae genere, non adeo incommodo in collegiis, molestiam accipis, si labores moderatos et ipsa horarum apta distributione leviores aegre toleras, si exiguos istos paupertatis effectus, qui vix hoc nomen merentur, si fratris tui verbulum fortasse minus officiosum vel vultum subtristem horres: quid demum tibi ipse pollicearis, ubi inter continuas aerumnas ac labores cum hominibus fortasse barbaris omnique ferme humanitate destitutis versari continget? Tene illa expetere, illa desiderare, qui haec levia, quae illorum comparatione nulla sunt, vix ac ne vix quidem sustines? Tene velle firmissime Deo inhaerere, tibi ipsi relictum arte cum Deo coniunctum vivere, cui in praesenti vitae genere cotidiana incitamenta, adiumenta, exempla vix sufficiant? *Si cum peditibus currens laborasti, quomodo contendere poteris cum equis?*

fiducia in Deo non temere fretus,

20. Neque tamen eo haec dicta velim, ut quisquam qui sibi sancta illa desideria immissa sentiat, ab iis fovendis deterreatur, quod se etiamnum imperfectum agnoscat. Scio, Patres Fratresque carissimi, fiducia in Deo fretos, non propria virtute, missiones adiisse quotquot eas cum animarum fructu ac Dei laude obierint. At certe virtutis perfectae studium verum atque efficax strenuamque eius exercitationem, ut praeparationem ad tantum opus suscipiendum, omnino requiri, etiam atque etiam moneo et obtestor.

et in sui abnegatione maxime exercitatus

21. Longum esset, Patres ac Fratres carissimi, omnia virtutum praesidia singillatim percensere, quibus vel disponi animos vel muniri necesse est eorum qui longinquas missiones expetunt; et mihi de hoc argumento agenti longius iam excurrit oratio, quam ipse mihi initio proposueram. Ad unum omnia referri possunt, ad veram scilicet sui abnegationem, ad generosam sui victoriam. In qua ut rerum summam omnibus communiter nostris a sancto patre nostro positam fuisse, tum ex Constitutionibus, tum ex dictis factisque eius constat, ita certe iis qui apostolatus ministerium in longinquis missionibus cogitant, haec eadem sui victoria, haec sui abnegatio non communi modo necessaria est.

Tunc enim aderit Deus, qui nos vocavit, si vocationi fideles sumus,

22. Quidquid est, Patres ac Fratres carissimi, quod nobis in hoc nostro vitae genere inque nostris cum proximo ministeriis proponimus, ab illa semper intima persuasione inchoandum, ut illud Christi: *sine me nihil potestis facere*, et illud sancti praecursoris eius, *non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de caelo*, alte animis nostris infixum geramus, et nihil, omnino nihil effecturos nos ex nobis certa fide credentes ac sentientes, ad divinam opem nos et implorandam et qua possimus ratione etiam promerendam comparemus. Certe

Io. 15. 5.
Io. 3. 27.

quidem Deus, qui ad hoc vitae institutum nos vocare dignatus est, cuius scopus proprius est in animarum salutem impense incumbere, pro eo quo gloriam suam prosequitur zelo sanctissimo, proque illo amore quo amat animas, hinc quidem iuvari illas ac salvari cupit ardentissime, inde vero pro fidelitate qua vocatos a se vocationique suae oboedientes prosequitur, paratus est adiuvare, ne fine nostrae vocationis nobilissimo sibique acceptissimo frustremur. Quod ergo nostrum est, in eo paene totum est, ut quidquid in nobis impedimenti esse possit, amoris proprii atque mundani, id primum omni studio removeamus, quo scilicet remoto, mox pro beneplacito suo illis nos donis cumulabit, quibus instructi *eamus* et *fructum afferamus* et *fructus noster maneat.* *Ioan. 15. 16.*

sive ad exteras Missiones destinemur, sive consuetis ministeriis occupemur in Europa.

23. *Non est abbreviata manus Domini.* Omnibus haec ad extremum dicta sint, Patres ac Fratres carissimi, sive quos divina bonitas ad exteras missiones vocabit, sive quos in hac Europa nostra consuetis in ministeriis consistere volet; neutris enim, quocumque demum in loco, quocumque in officio, deesse occasio bene de Deo merendi umquam poterit. *Non est abbreviata manus Domini.* *Is. 59. 1.* Et quod olim per hanc suam familiam in gloriam Nominis sui operari dignatus est, id eum etiam his luctuosissimis temporibus effecturum certo confidamus, si modo nostrae vocationis memores, optimique parentis nostri praeceptis inhaerentes, instrumenta nos apta divinae manui praebuerimus. Sit nobis, quaeso, alte impressa animo gravissima illa et multa consideratione digna sententia, quam sanctum patrem nostrum frequentur in ore habuisse non ignorantis: *paucissimi sunt, qui intellegant, quantum Deo volenti in ipsis operari ipsi impedimento sint, quantumque Deus in nobis et per nos effecturus esset, nisi a nobis ipsis impediretur.* O ergo si nos quotquot sumus divinae manui plane movendos regendosque committeremus! O si quisque saepe illud Christi verbum sibi dictum serio cogitaret: *si scires, si scires donum Dei!* *Ioan. 4. 10.* Heu! quam multa fortasse talenta inoperosa iacent, quam multae gratiae infructuosae! Quam multae fortasse animae non perirent, si omnes *boni aemulatores* essemus! *1. Pet. 3. 13.*

Ad hanc fidelitatem stimulet nos miseranda orbis christiani condicio.

24. Videte, quaeso, Patres ac Fratres carissimi, miserandam orbis christiani condicionem. Videte necessitates, pugnas, calamitates Ecclesiae sanctae, non ab apertis modo hostibus impugnatae acerrime, sed etiam a tam multis, qui se filios profitentur, novitatum amatoribus afflictae, turbatae, laceratae. Videte crescentem in dies morum corruptelam, videte spiritum vertiginis passim hominum ingenia corripientem et omnia veri bonique dictamina labefactantem. Videte ut dux impiorum per innumerabiles sceleris sui ministros, triplicis concupiscentiae

iniectis laqueis et catenis, miseros mortales, summos, imos, in barathrum superbiae et in effrenem licentiam sub specioso libertatis nomine detractos, in omne vitiorum genus praecipites
Iud. 13. rapiat. Quam multa crimina, quam multi errores, veluti *fluctus feri maris, despumantes suas confusiones,* perrupto omni non sacrarum legum sed honestatis etiam naturalis aggere, late quaquaversum exundant, omniaque devastatum ruunt! Eritne quisquam nostrum, quem tantorum malorum labes, tanta animarum Christi Iesu sanguine redemptarum pernicies non tangat, non commoveat, non urat? Quod si eo res devenit, ut in humanis quidem praesidiis nulla spes suppetat, et iam dudum
2. Paral. 20. optimus quisque cum pio rege Iosaphat exclamare cogatur: *In nobis quidem non est tanta fortitudo, ut possimus huic multitudini resistere, quae irruit super nos. Sed cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te*: nonne tamen simul intellegemus, Patres ac Fratres carissimi, si quid opis per nos afferendum est, contraria contrariis omnino esse opponenda, superbiae scilicet humilitatem, effrenis libertatis cupiditati religiosam oboedientiam, mundi fastui spiritum paupertatis, voluptatum libidini Crucis Christi eiusque mortificationis amorem? Haec arma nostra spiritualia, haec interna dona, *ex quibus vim et efficaciam ad exteriora promanare ad finem nobis propositum oportet.*
1 Reg. 25, 28. His Patres nostri instructi *proelia Domini proeliati sunt* et vicerunt; his et nos vincere in bono malum contendamus, eius sequentes vestigia, qui non aliis et ipse armis certavit et vicit,
Ioan. 16. 33. ac triumphans suis illam suavissimam vocem ingeminat: *Confidite, ego vici mundum.* Itaque id unum solliciti, ut ne qua
2. Par. 20. 20. in re desimus gratiae Dei, exspectemus, et *videbimus auxilium*
Phil. 1. 6. et 2. 13. *Domini super nos ,... Et qui coepit in nobis opus bonum, ipse perficiet pro bona voluntate sua ... Et quanto aliquis se artius Deo astrinxerit et liberaliorem erga summam maiestatem se praestiterit, tanto eum in se liberaliorem etiam experietur, et ipse in dies magis idoneus erit ad gratias et dona spiritualia uberiora recipienda.* Fiat, fiat.

Omnium vestrum SS. Sacrificiis ac precibus me commendo RR. PP. ac FF. in Christo carissimi.

Vester in Christo servus,
IOANNES ROOTHAAN.

Romae, die III. Decembris, MDCCCXXXIII.
S. Francisco Xaverio Indiarum Apostolo sacra.

EPISTOLA
R. P. N. IOANNIS ROOTHAAN
AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS

De spiritualium exercitiorum S. P. N. studio et usu

Usus Exercitiorum S. P. N. efficacissimum est instrumentum ad renovationem spiritus.

1. Saepe ac multum cogitanti mihi, Patres ac Fratres carissimi, immo vero assidue animo volventi (*necessitas enim mihi incumbit,* quippe cui per Apostolum dicitur: *qui praeest, in sollicitudine*) assidue, inquam, animo volventi quanam maxime ratione in renata paucis abhinc annis ac sensim adolescente Societate spiritus ille vel exsuscitari ubi opus sit vel conservari, foveri, promoveri possit, qui eius olim tum primordia tum incrementa tam laeta reddidit ecclesiae Dei, tam fructuosa ad innumerabilium hominum salutem, illud iam dudum occurrebat, nihil fore *ad convertenda corda patrum in filios,* ad filios, inquam, patribus reddendos quam fieri posset simillimos, aptius atque efficacius, quam Sancti Patris nostri Exercitiorum spiritualium diligens studium et accuratum usum. Etenim cum primos illos patres nostros et qui eos dein subsecuti sint, non alia re magis quam horum Exercitiorum opera in alios plane viros mutatos fuisse constet, perque ipsos, alios deinceps atque alios, iisdem hisce spiritualibus Exercitiis excultos, e vitiorum laqueis eximiae sanctitatis studio incensos fuisse, et in concepto semel ardore spiritus ad mortem usque per multos labores et aerumnas perseverasse, quid est quod iisdem Exercitiis nos rite utentes non eundem spiritus fructum in nobis fidenter exspectemus? Equidem, Patres ac Fratres carissimi, dum hoc argumentum, quod dudum meditabar, tractandum apud vos suscipio, brevi compendio ad omnem vocationis nostrae perfectionem, ad omnium vitiorum et imperfectionum victoriam, ad omnium virtutum exercitationem efficacissime vos adhortari mihi videor, atque ita existimo, si studium admirabilis libri sancti patris nostri, si diligentem et accuratum eius usum vobis persuasero, renovationem spiritus in universa Societate laetissimo nostrum omnium profectu consecuturam.

1. Cor. 9. 19.

Rom. 12. 8.

Luc. 1. 17.

Ex his enim nata est Societas et conservata.

2. Ac de Exercitiorum quidem laudibus, de eorum excellentia atque efficacia apud vos disserere, Patres ac Fratres carissimi, supervacaneum existimo. Donum ea esse singulari

Dei beneficio Sancto Patri nostro Ignatio concessum, et per illum Societatis proprium, nemo vestrum ignorat. Ab his potissimum ipsum hunc Societatis parentem suam illam hausisse eximiam sanctitatem, in his Societatis formandae ideam divinitus eum concepisse, haec socios ei peperisse in Christo, in his proinde conceptam fuisse Societatem, ex his natam, his adolevisse, his praecipue altam ac sustentatam fuisse, haec unum ex praecipuis esse praesidiis, quibus ad duplicem vocationis nostrae finem, ad propriam scilicet salutem ac perfectionem, et ad salutem ac perfectionem proximorum coniti debeamus, et quaecumque Societas adhibeat ad finem suum consequendum media, in omnibus suis ministeriis, in omnibus operibus zeli, ex his eam haurire vim et efficaciam debere, in comperto est. Quod si Societas hisce Exercitiis in primis parentem suum acceptum referre debet, his eius primos socios, (quales quantosque viros!) his constitutiones suas, caelestis plane sapientiae opus, his se totam suaque omnia, non est profecto quod pluribus verbis demonstretur, quanti eorum tractatio momenti sit ad Societatis nostrae conservationem et incrementum.

Quae si hodiedum, licet aeque frequenter, at non eodem fructu tractemus,

3. Et vero tractantur illa a nostris, et prout constitutiones legesque nostrae praescribunt, tractantur frequenter. Per solidum mensem in tirocinio primum singuli, iterumque per mensem integrum post studia peracta in tertio probationis anno, quotanis item per octo vel decem dies iisdem ex praescripto vacamus omnes. Eorum usus etiam apud externos ita iam communis est, ut passim in omnibus fere monasteriis, in ephebaeis, in scholis, ad populum etiam publice tradantur, ea frequentia qua fortasse numquam magis. Ast fateri vel inviti cogimur, licet fructus quidem salutaris exsistere numquam non soleat, raro tamen iam Exercitia eos producere effectus eximiae illius sanctitatis, quae olim vix non perpetuo eorum tractationem consequeretur. Atque ut de aliis qui Exercitiis spiritualibus excoli solent nunc non agamus, de nobis ipsis, Patres ac Fratres carissimi, hic mihi sermo est. Neque enim est quod ita nobis blandiamur, ut non plane videamus longo nos intervallo distare ab eximia illa patrum nostrorum virtute, quam in annalibus nostris legimus et admiramur. Ut enim, quae Dei misericordia est, recti bonique desiderium vigeat passim in omnibus, idque ipsum hisce spiritualibus Exercitiis potissimum debeamus, non est tamen quod hac quacumque bonitate vitae contenti esse possimus, si vocationis nostrae altitudinem consideremus, si formam nobis in constitutionibus propositam contemplemur. Viros enim non communi quodam modo, sed eximie spirituales et insigniter orationi deditos, et, quod maioris est momenti, viros abnegationis perfectae, perfectae mortificatio-

ut olim maiores nostri,

nis, zeli perfecti, qui animo vere magno et generoso expugnantes omnem carnis, sensuum et amoris proprii ac mundani affectum, Christum quam possint proximi sequantur, Christum unice ament, unice spirent, Christum imitari per aerumnas ac ludibria, per mille mortes ardenter exoptent, quales olim prodiisse plerosque ex Exercitiis spiritualibus accepimus, rariores iam esse, non sine intimo dolore nec sine pudore fateri debemus. Magna illa et praeclara et heroica in codicibus legimus frequenter, oculis cernimus rarius, nec fere nisi in paucis.

4. Neque vero is ego sum qui ab omnibus omnia praestari aut posse aut debere existimem. Scio, Patres ac Fratres carissimi, non eandem gratiae mensuram omnibus tribui, nec sine praesumptionis periculo futurum, si nobis omnia imitanda proponeremus quae in patribus nostris fuere eximia, quos ut *primitias spiritus habentes* largiore manu divina bonitas donis suis cumulaverat. Immo vero praeclare nobiscum agi arbitrabor, si, ut in illis servis suis Dominum *mirabilem praedicamus, ita in nos misericordem fuisse gloriari* possimus. Sed tamen si nobis *centesimum ferre fructum*, ut patribus nostris, datum non est, num *trigesimo* aut etiam decimo contentis esse nobis licet, cum fortasse *sexagesimum* saltem ferre daretur, si conatum intenderemus?

amplioribus fortasse Dei donis ornati:

Rom. 8. 23.

Ps. 67, 36.

Eccli. 17. 27.

Matth. 13. 23.

5. Itaque sic existimo ac plane sentio, si spiritualia Sancti Patris Exercitia a nobis magis accurate usurparentur, maiora nos incrementa spiritus veraeque sanctitatis absque dubio capturos. Quod autem dico, ita intellegi velim, ut ipsius libri Sancti Patris nostri studium et usum in nobis magis vigere summopere cupiam.

saltem ipsius libri S. P. studium et usus in nobis vigeat.

6. Multi sane, Patres ac Fratres carissimi, multi prostant libri titulum Exercitiorum spiritualium praeferentes, qui fuse Exercitiorum Sancti Patris argumenta pertractant. Sed nimirum, qui, dum vacat Exercitiis, huiusmodi libris utitur, praesertim si ipsius libri Sancti Patris cognitionem et usum habeat nullum, is magis fere lectione pascit intellectum, quam meditatione veritates illas intime penetrat; cum tamen is sit praecipuus Exercitiorum fructus, ut sublimes illae veritates rite perceptae, animo alte defixae inhaereant, inque omni vita ad earum normam actiones nostrae omnes exigantur. Quid? quod plurimi ex illis, qui Exercitiorum conscripsere libros, mentem Sancti Patris Ignatii vix obscure assecuti sunt. Quid? quod plerique nec sensa Sancti Patris nec verba servarunt. Quod utinam saltem fecissent semper omnes ac solum superaddidissent quaedam quisque de suo! Sed multi sua plerumque sensa sensis Ignatii substituerunt, et in multis scilicet vim Exercitiorum

posthabitis ceteris exercitiorum libris, quae minus S. P. sensum assequuntur,

enervarunt, ut vere dici possit in tanta huiusmodi librorum copia: *inopes nos copia fecit,* et sacer ille ignis veluti sub cinerum cumulo obrutus ac paene deperditus iaceat.

et quorum lectio non est illud Exercitium quod S. P. a nobis requirit,

7. Quam multi ergo etiam inter nostros, qui cum huiusmodi libros Exercitiorum tempore adhibere soleant, exiguum ac fere non nisi transitorium capiunt ex Exercitiis fructum! Quam multi qui numquam librum ipsum Sancti Patris usu gustuque probavere! Quam multi vix eum, ut ita dicam, de facie norunt! Et aliqui fortasse ne regulas quidem illas memoria et usu tenent, quas partim *Annotationum* partim *Additionum* nomine sanctus parens noster praescripsit, et in quibus ille maximam semper vim ad fructuose meditandum posuit, et posuere quotquot recte Exercitia tractarunt. Ergo illud plerumque evenit, ut qui libris illis quos modo dicebam exercitiorum tempore utatur, lectione magis quam meditatione in sacro secessu occupetur, ut quae absque multa mentis et cordis applicatione percurrit, sine multa quidem animi defatigatione, sed etiam sine magno fructu percipiat; ut denique id fere agat, quod ii plerique qui diffusos audiunt de veritatibus illis sermones: legentium enim et audientium hic ferme eadem est ratio, quae longe certe ab Exercitiorum spiritualium usu, qualem Ignatius intellexit, abest. Ille quidem, quid sint Exercitia spiritualia in ipso libri sui limine explicaturus, similitudine utitur Exercitiorum corporalium, quae agere illi scilicet dicuntur *qui ambulant, iter faciunt, currunt.* At vero qui solum audit, qui legit quae ab aliis fuse per modum meditationis proposita sunt, et ita se exercitia spiritualia facere existimat, similis mihi videtur illi qui dum alios ambulantes, iter facientes, multa quiete sedens spectaret, se exercitia facere corporalia diceret, cum id de iis solum qui ipsi ambulant, ipsi iter faciunt, ipsi currunt, vere dici posse nemo non videat.

sed potius refertur ad exercendos alios;

8. Poterunt ergo plerique illi Exercitiorum spiritualium libri utilitate sua non carere, si quis illis extra exercitiorum tempora utatur, si eos identidem pro lectione spirituali assumat, si eos adhibeat dum ad populum dicendum est, ut inde apta ad auditorum animos illuminandos et excitandos argumenta depromat: sed dum quis exercitiis spiritualibus vacat (non iam de illitteratis, de rudioris ingenii tironibus loquor, sed de iis potissimum qui magistri divinae huius artis esse debent, id quod omnibus sacerdotibus nostris commendatum est), equidem unicuique auctor sum ut ipso Sancti Patris libro potius quam alio quovis utatur. Quod si quis, propter nimis exiguum vel potius nullum eius libri usum adhuc factum, sibi ieiunum fore nimis et aridum existimet, eius se studio ex animo dedat et experimentum semel faciat velim, et profecto plura

dum contra S. P. documenta sequentes, nos ipsos exercemus.

latere sub paucorum verborum cortice reperiet quam prima specie videbantur; illudque ei continget quod plerisque cordate idem opus aggressis contigisse experti novimus, qui abundantiam rerum in eo tantam, Deo scilicet piis conatibus aspirante, invenerunt, ut nullum alium deinceps librum pro exercitiis spiritualibus praeter ipsum illum Sancti Patris requirerent, et quotiens eo uterentur, totiens novam inde se luminis practici copiam magno suo bono percepisse profiterentur.

9. Atque utinam omnibus vobis, Patres ac Fratres carissimi, studium in primis, tum usum admirabilis huius libri persuadere possem! Epistolae angustiis prohibeor equidem quominus singillatim thesauros ingentes in eo contentos enumerem et exponam. *Non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis,* sed in virtute Dei, Ignatius, litterarum etiam tum plane expers, quae divino Spiritu suggerente didicerat, primum sibi tum aliis servare ac, Deo animum eius manumque regente, chartae tradere constituit.

Hunc in finem divino suggerente spiritu a S. P. conscriptus liber, continet:

1. Cor. 2. 4.

10. Methodos orandi facillimas itemque efficacissimas docet, quibus utentes quam plurimos, etiam illitteratos Fratres adiutores, horas integras, nullo taedio, fructu maximo, orationi impendere consuevisse novimus. Et vero quid facilius quam animi facultates, memoriam, intellectum, voluntatem, certo servato ordine, ad veritates fide cognitas applicare? Quid item facilius, quam vitae passionisque Christi Iesu mysteria per contemplationem distinctam personarum, verborum, actionum meditari? Quid ad sui cognitionem, ad vitiorum suorum emendationem aptius utroque illo examine, quod tanta verborum simplicitate a sancto parente propositum, tam facile ab omni homine, qui modo bonae sit voluntatis, in praxim reduci potest? Iam vero si praecipua vitae spiritualis documenta, quae in libro Sancti Patris admirabili ordine tradita sunt, attingere velim, finem non inveniam.

1º Methodos orandi facillimas et efficacissimas,

2º praecipua vitae spiritualis documenta ordine admirabili,

11. Quid enim ego de sublimi illa philosophia dicam, quae in ipso quod primum proponitur *Fundamento* continetur, quaque Sanctus Pater docet hominem in rebus suis rerumque creatarum usu, non affectu quocumque, sed ratione duci, ut, quid demum sit, *hominem esse,* et *ut hominem decet agere,* intellegat? Quid de peccatorum gravitate cognoscenda ac detestanda in utroque de peccatis exercitio? Quid de praeclara illa de regno Christi meditatione, ubi iam non hominem qualemcumque, sed christianum erudit et ad maiora provocare incipit? Quid de duobus vexillis, ubi apostolicae vocationis finem et media et excitamenta sane potentissima, non magis menti intellegenda quam oculis ipsis spectanda proponit? Quid de eligendarum

rerum cognitione, deque animi dispositione, quam tum descriptis tribus humilitatis modis, tum propositis tribus hominum classibus seu tentat et explorat, seu suavissime simul et efficacissime provocat et excitat ad aemulanda charismata meliora? Quid de caelesti illa sapientia ac prudentia, qua omne bonum desiderium cum propriae imbecillitatis cognitione ita semper coniungit, ut divinae gratiae auxilium, et ad cognoscenda quae recta sunt et ad eadem voluntate amplectenda, necessarium esse assidue moneat semperque eam postulare, et qua ratione postulanda sit doceat? Quid vero dicam de quibusdam ignem spirantibus sententiis, quibus refertus est aureus iste ac divinus plane liber, quasque in plerisque exercitiorum spiritualium libris, quod incredibile videatur, frustra requiras?

3° sententias ignem spirantes,

12. Quo in genere, ut unum alterumve exemplum afferam, quid quaeso ad sui ipsius cognitionem propriaeque miseriae atque indignitatis sensum aptius, quam quae a Sancto Patre cogitanda, meditanda et animo volvenda proponuntur: dum vel *animam nostram in hoc corpore veluti ergastulo constrictam, hominemque ipsum in hac miseriae valle inter bruta animalia exsulantem* repraesentat; vel per quosdam veluti gradus meditantem deducens, cogitare iubet *quid sit homo unus ad ceteros homines omnes comparatus; quid deinde mortales vel omnes comparati ad Angelos ac Beatos; quid postea Angeli ac Beati omnes et quidquid est creaturarum, comparatum ad Deum Creatorem; quid* proinde, *quantulus,* quam fere nihil, *unicus homuncio* ad illam supremam Maiestatem; atque inde iubens meditantem descendere ad considerandam primum *corporis foeditatem,* deinde *animi pravitatem,* cogit eum tandem concludere nil aliud denique sese esse, nisi *ulcus quoddam* et *apostema,* atque adeo pestilentem orbis *luem* ob commissa peccata?

ut in meditatione de triplici peccato,

in eiusdem colloquio,

13. Quid iterum suavius et ad inflammandos animos erga piissimum redemptorem potentius, quam cum in colloquio, quo tremendam illam de triplici peccato meditationem concludit, *Christum e cruce pendentem* iubet veluti *coram spectare; ac deinde ex nobis ipsis quaerere, cum ipse Dominus tanta nostra causa faciat ac patiatur, quid tandem illo dignum nos egerimus, quid agamus pro illo, quid agere debeamus in posterum?* Vel cum item in contemplatione de Christi nativitate cogitare iubet, *qui* tandem *summus ille Dei Filius in extrema nascatur paupertate, ut demum vitam illam, tot inter aerumnas, in fame et siti, in aestu et frigore, per iniurias et ludibria transactam, in crucis patibulo consummet... et haec omnia propter me?*

et in contemplatione de Christi Nativitate.

Itaque omnes familiarem nobis reddamus huius libri usum,

14. Praetermitto alia his similia quam plurima. Verum haec, cum praesertim in conspectu Dei, animo iam ad compunctionem per ipsum sacrum secessum et praecedentia exercitia

composito, considerantur, quem, quaeso, non commoveant, non feriant? cuius cor non urant, non inflamment? Iterum dicam: experiatur quisque, velim, et serio se huius libri studio dedat; et si quem umquam huius suscepti studii paenituerit, me dati parum opportuni consilii incuset, non repugnabo. Profecto dolendum maxime sentio, et vero etiam pudendum, quod liber hic sancti parentis multis etiam ex nostris ita parum cognitus sit, ut *liber* fere *clausus* ipsis habeatur. Ergone thesaurum hunc tantum possidebimus veluti in terra defossum? Ergo praeclarissimum hoc caelestis harmoniae organum in manibus nostris mutum erit, sine voce ac mortuum, quod qua ratione tangendum sit, ut sonos suos edat, ignoremus? Ergo praestantissimis hisce *armis spiritualibus,* ut ea Sanctus Pater vocabat, instructi, *ingredi* ad pugnam *non poterimus,* quia *non usum habemus?* Studeamus diligenter insignem hunc, divinum hunc Exercitiorum librum intellegere, eiusque usum familiarem nobis reddamus; neque enim absque diligenti studio usuque frequenti eius intellegentiam assequemur. Quod cum omnibus nostris sacerdotibus commendatum esse cupio, tum praesertim superioribus rerumque spiritualium praefectis, qui suae curae commissos, in hac scientia Sanctorum acquirenda, non sibi relinquere, sed ducere ac dirigere debent; tum vero omnium maxime tironum magistris et instructoribus tertiae probationis: cum inter utriusque probationis *experimenta* ab Instituto praescripta, illud sit, sin minus semper tempore at certe dignitate ac necessitate *primum,* ut exercitia spiritualia integra a singulis qui probantur fiant. Et sane ex his discendus orandi meditandique modus et usus cotidianus; ex his examinandae conscientiae ratio petenda et methodus exstirpandi vitia et acquirendi virtutes; ex his omnis vitae nostrae spiritualis documenta certa ac tuta, ex his regulae ad inimici seu apertas tentationes, seu tectas artes ac fraudes cognoscendas ac superandas, ne quis forte specie boni deceptus a vero bono divellatur; ex his denique omnis vitae nostrae vocationisque ratio potissimum petenda est; nec umquam futurus est aliquis verus Societatis filius, numquam eius spiritum habebit, nisi hinc, e Sancti Patris inquam Exercitiis hauserit.

15. Neque enim studium libri Sancti Patris eiusque usum dum tam multis verbis commendo, studium eius, ut aiunt, mere *speculativum* commendare me, vos ipsi, credo, satis intellegitis. Absit, Patres ac Fratres carissimi, ut librum hunc manibus assidue versantes ac tantae admiratione sapientiae capti, eum veneremur tantum, laudemus aliisque commendemus. Absit, ut, quem ad modum de Ioannis Baptistae admiratoribus Christus Dominus aiebat, quod *ad horam* eius splendore delectati essent,

et studium, non speculativum, sed practicum,

Ioan. 5. 35.

quin tamen ex eius praedicatione verum cepissent fructum, ita nos pulcherrimis Sancti Patris documentis capti ac delectati, manum operi admovere in nobismet ipsis neglegamus. Quis enim nescit, omnem hic fructum ab applicatione pendere? Quae quidem omnis practica est, seque in universam vitae nostrae rationem, et in omnes actiones nostras, et in actionum omnium modos, in intima demum sensa omnia et cogitationes omnes sese diffundat necesse est; cuius proinde vis et efficacia tam late patet, ut terminum in his invenire non sit, neque adeo dicere umquam possimus: *sufficit.*

intelligentes omnem eius doctrinam referri ad propriam abnegationem,

16. Illud vero praecipue animadvertamus oportet ac prae oculis semper habeamus, in verae perfectaeque abnegationis propriae studium omnem spiritualium exercitiorum doctrinam resolvi. Hoc enim qui non intellegat, periculum est ne, ut in constitutionum nostrarum, ita in exercitiorum studio vehementer erret, eoque perniciosius quo propter sapientissima vitae documenta doctior sibi ac spiritualior videri posset. Spiritualium enim rerum intellegentia, nescio quomodo, animis interdum illudit, ut iam vere spiritualem se esse quis existimet, propterea quod in rebus spiritualibus versatus optime sibi videatur; quae, si qua alia, tentatio periculosissima est.

in qua totus est.

17. Ad propriam itaque abnegationem omnia demum referuntur, idque ex universo Exercitiorum libro manifestum est. Non tradit Beatus Pater sublimis cuiusdam orationis et singularis unionis cum Deo modos aut praecepta. Ad hanc docet quidem animos disponere; at dispositionem omnem praecipue in illa quam dixi abnegatione sui constituit. Quis Exercitiorum finis? Audi ex ipsa libri inscriptione: *ut homo se ipsum vincat vitamque suam disponat absque ulla affectione quae recte ordinata non sit.* Qua vero ratione vita omnis recte ordinabitur? Nempe, proposito nobis fine puro purissimo unius Dei gloriae nostraeque salutis. Hoc in *fundamento,* hoc in *electionibus,* hoc passim ubique repetit, inculcat. Quomodo vero id assequemur, ut tam recte, tam pure agamus? Si tollamus quidquid in nobis ipsis impedimenti est. Et quodnam illud? Quidquid propriae est voluntatis, quidquid est amoris proprii et mundani. *Hoc sibi quisque persuadeat,* inquit, *tantum se in studiis spiritualibus promoturum esse, quantum ab amore sui ipsius et proprii commodi affectione sese abstraxerit.* In hoc tam constanter insistit Beatus Pater per totum libri decursum, ut et ubi *de victu* recte *temperando* agit, et ubi de *paenitentiarum* usu determinando, et ubi doctrinam tradit de *electione,* et ubi de *vitae reformatione,* et ubi de *eleemosynarum distributione,* idem diversis licet verbis assidue ingerat: *eo melius futurum, quo longius ab amore nostri ipsorum recedamus.* Ad hoc in meditatione *de regno Christi,* ad hoc in altera *de duobus vexillis,* ad hoc in proponendis *tribus*

hominum classibus tribusque humilitatis modis, admirabili arte nos erudit et invitat et impellit; ubique naturae repugnantiam impugnare docet ac superare. Quod si ex animo, si strenue, si constanter agamus, et vitam omnem recte ordinabimus, et virtutum possessionem facile consequemur, et vero etiam ad unionem cum Domino beatissimam nosmet ipsos, eius opitulante gratia, disponemus. Hac, non alia via, patres nostri, quod sane notatu dignissimum est et ex annalibus nostris constat, hac, inquam, via patres nostri, qui primis illis temporibus ad religiosam in Societate vitam non aliis fere institutionibus nisi exercitiis spiritualibus instruebantur, vi et animo in illis concepto, cum se abnegationi propriae generose exercendae dedissent, brevissimo plerique tempore ad eximiam vitae perfectionem eluctati sunt, et fructus in Ecclesia Dei fecerunt uberrimos, quibus nos etiam nunc, post unum, alterum, tertium saeculum, gaudemus et fruimur. Scilicet hoc illi vitae spiritualis axioma, in exercitiis intime perceptum, alte impressum animo gerebant suoque confirmabant exemplo: *quantum quisque a se ipso recedat, tantum appropinquare Deo,* et *cor, quo magis vacuum sit amore proprio, eo magis Dei spiritu repleri.*

Quem fructum ex eo collegerunt Patres nostri,

18. O Patres mei ac Fratres dilectissimi, si spiritum Dei habuerimus, si vere spirituales fuerimus, quam bene nobis, quam bene Societati erit universae! Quae pax, quanta unio animorum inter nos; quanta alacritas ad laborandum pro gloria Dei et animarum salute, et ad patiendum etiam quaecumque adversa quanta promptitudo! Quam bene fluent nobis omnia! Quanto illa ipsa externa ministeria, quae pro nostrae vocationis ratione tractamus, nobis ipsis primum, tum aliis plurimis uberiores afferent utilitates! In ipsa litterarum scientiarumque tractatione, quam procul aberunt contentiones, aemulationes, praeoccupati in particularibus propriisve opinionibus animi, aliaeque huiusmodi miseriae, quae et intellectum obscurare solent nec studiorum minus progressui quam virtuti ac perfectioni nocent plurimum! Erit in superioribus zelus disciplinae sine asperitate, suavitas non remissa; erit discretio, erit prudentia, simplex tamen semper et ab omni specie odiosae illius, et quam omnes merito detestamur, politicae longissime remota. Erit in subditis oboedientia integra, prompta, hilaris, constans, perfecta, exsecutionis, voluntatis, et iudicii etiam, qualem cupit maxime Beatus Pater in suis. Denique universa Societas vero suo vigentique spiritu efflorescet, qualem illam Sanctus Pater Ignatius iuxta formam, non terrena sed caelesti sapientia inventam ac descriptam, condidit.

et nos ipsi, in suo quisque gradu, colligemus,

19. Quapropter oro vos, Patres ac Fratres carissimi, per Sancti Patris Ignatii reverentiam, cui, post Iesum et Virginem Matrem, nos nostraque debemus omnia; per amorem Societatis,

si haec sancta Exercitia diligenter adhibeamus, et in usum deducamus,

cuius incrementa et successus, non a quibuscumque naturalibus aut humanis praesidiis, non a splendore doctrinae aut eloquentiae, non ab hominum quorumcumque favore, sed ab eius vero in nobis conservato renovatoque spiritu pendent; per salutem ac perfectionem cuiusque propriam, quae nobis omnibus summopere cordi esse debet, quippe quibus in hac vocatione bonis piisque christianis esse profecto non sufficit; per Ecclesiae sanctae necessitates tantas, quibus aliquam a nobis afferri opem suo iure mater optima postulat et exspectat; per animarum pretiosissimo Christi Iesu sanguine redemptarum salutem, quibus iuvandis sacramentum in hac Christi ducis militia diximus: Oro vos atque obtestor, ut tam praeclarum, tam efficax ad tanta bona consequenda subsidium, quod nobis in Sancti Patris exercitiis traditum est, et studiosa complecti mente, et diligenter adhibere, documentaque in iis tradita ad effectum usumque perpetuum et cotidianum in vobis ipsis deducere, quanta possitis industria et conatu, ad patrum nostrorum imitationem, satagatis. Et quoniam non in industriis nostris nostrisque conatibus, sed in divinae gratiae auxilio potissimum huius tanti boni consequendi spes sita est, iuxta ipsorum exercitiorum doctrinam, divina haec auxilia studiose et ardenter petamus; ad Virginem scilicet gratiae Matrem confugientes, et per Mariam ad Iesum *mediatorem Dei et hominum,* et per Iesum denique ad Deum Patrem benignissimum accedentes, petamus, postulemus, flagitemus certa fiducia impetrandi. Neque enim timenda repulsa est in tam iusta petitione, modo ne ipsi nobis desimus. Etenim, si peteremus *sedere ad dexteram vel sinistram in regno* eius, si quaecumque speciosa aut minime ad finem nostrum necessaria postularemus, respondere nobis posset Dominus, ut olim filiis Zebedaei: *nescitis quid petatis;* at dum id ab eo efflagitamus, quod ipse maxime a nobis requirit, et sine quo ei placere non possumus dum nostrae conscii inopiae misericordiam et opem imploramus, dum denique non aliud petimus nisi *spiritum bonum*: *dabit* utique *petentibus se* misericors ac benignus *Pater noster caelestis;* ac bonus hic spiritus, verus inquam spiritus Societatis Iesu, *fiet in nobis fons aquae salientis in vitam aeternam, venientque nobis omnia bona pariter cum illo.* Quem ut et mihi, qui omnium maxime illius egeo, concedere Dominus dignetur, vestris me SS. SS. et orationibus enixe commendo.

divinae gratiae auxilia, per Mariam ad Iesum, et per Iesum ad Deum Patrem accedendo, flagitantes.

Matth. 20. 21.

Luc. 2. 13.

Ioan. 4. 14.

Sap. 7. 11.

Reverendi Patres ac Fratres carissimi.

Romae, XXVII Decembris, MDCCCXXXIV.

Vestrum omnium servus in Christo,
IOANNES ROOTHAAN.

EPISTOLA
R. P. N. IOANNIS ROOTHAAN
AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS

In annum saecularem

1. Instans quadragresimus huius saeculi annus, qui tertium a confirmata per Paulum III Societate saeculum claudet, novumque Deo propitiante Societati aperiet, illud a nobis omnino postulat, PP. et FF. carissimi, ut novo quodam ardore ad spiritus etiam renovationem animum ac studium nostrum intendamus.

Instans annus saecularis postulat a nobis rennovationem spiritus;

Quamvis enim huiusmodi renovatio sit omnis temporis, nec modo singulis annis ac mensibus saepius, sed etiam cotidie et, ut Scriptura loquitur, *de die in diem,* studium sese *Ps. 35. 2.* renovandi in unoquoque, qui religiosam perfectionem sectetur, vigere ita debeat, ut in dies cum Apostolo, *quae retro sunt* *Philip. 3. 13.* *obliviscens,* in virtutis stadio *ad anteriora se extendat,* negari tamen non potest, esse quaedam tempora quae ipsa per se ad subiciendos bene currentibus stimulos, et ad ignavum quemque, nedum e somno si forte dormitet, sed vel si quis mortuus sit, excitandum plurimum valeant. *Ecce nunc tempus accepta-* *2. Cor. 6. 2.* *bile,* inclamabat Apostolus aliquando, *ecce nunc dies salutis!* *Ephes. 5. 15.* *Surge qui dormis, et exsurge a mortuis!* Huiusmodi vero tempus esse prae ceteris annum saecularem, cum nec vos, PP. ac FF., dubitare existimem, et equidem ita omnino esse persuasum mihi habeam, minime praetermittendum esse duxi quin de hoc argumento aliquid litterarum darem ad universam Societatem. Verum cum plures habeamus Praepositorum Generalium *de renovatione spiritus* egregias epistolas, quae non sine fructu legi identidem consueverunt, et quas hac occasione relegi valde cupio, illud potius mihi assumendum esse visum est, ut, quae et quanta sint incitamenta, quae hoc maxime tempore, quo novum saeculum Societas exorditur, ad renovationem hanc procurandam stimulare nos debeant, veluti coram vos alloquens exponerem.

de qua cum plures exstent Praep. Gen. epistolae,

nunc consideranda veniunt incitamenta huic tempori propria:

2. Et in primis aequum esse videtur, ut, conversis tantisper retro oculis in saeculum ultimo elapsum, spectemus, PP. ac FF. carissimi, Societatis hisce postremis temporibus vicissitudines multas et magnas, vel per summa lineamenta adumbratas; hic enim conspectus et ipse maximam profecto vim habet ad animos nostros excitandos.

In primis conspectus proxime elapsi saeculi,

initio exhibens florentem ubique Societatem,

3. Erat Societas ante hos annos centum, cum tertium saeculum ingrederetur, florens vigensque, ut alias semper, litterarum, doctrinae, eloquentiae laude; christianae iuventutis institutionem multis in locis sola sine aemulis, in aliis nulli fere alteri religiosae familiae secunda, occupabat successu optimo; animarum zelum erga omnis generis et condicionis homines, non in Europae solum regionibus fere omnibus, catholicis aeque et acatholicis, sed et in ceteris mundi partibus etiam remotissimis interque infideles exercebat, commendatione sui maxima nec minore fructu; et, quod caput est, inter hominum plausus ac favores, sincerae pietatis ac sanctitatis studium ita in ea vigebat, ut si, quod humana fert condicio, in tanto sociorum numero (censebantur enim supra viginti milia) imperfecti homines utique deesse non poterant, paucissimi tamen essent in tanta multitudine, qui aliquando vitae aliqua morumve pravitate, dolente matre optima Societate, offenderent, plurimi in quavis provincia vitae sanctitate eminerent, suavissimumque Christi odorem longe lateque diffunderent. Ceterum acerrimum Societati ubique cum erroribus ac vitiis certamen ardebat; in Ecclesiae sanctae defensionem, in auctoritatem romanae sedis tuendam strenue incumbebat; in detegendis novis erroribus, qui pullulare iam coeperant, quique nati erant ad sacra omnia primum, tum ad principum regumque solia convellenda, remque publicam omnem perturbandam, vigil excubabat; iisque debellandis, vel certe comprimendis, vocem, calamum, consilium, studium, industriam, operam omnem impendebat. Itaque auctoritate et gratia apud Romanos Pontifices ceterosque Episcopos, apud principes ac populos, passim ubique pollebat maxima. Videbatur itaque Societas insigne quoddam scientiarum, virtutis, ac pietatis domicilium. Videbatur templum quoddam augustum gloriae divinae et animarum saluti per orbem terrarum, qua late patet, apertum. Quis umquam existimasset fieri posse, ut paucos post annos, rerum omnium inexspectata conversione facta, hoc tam praeclarum, hoc inquam, tantae pulchritudinis tantaeque utilitatis publicae aedificium ingens, quod mole sua stare videbatur, crebris ictibus pulsatum, convulsum, tandem quassatum corrueret? Et tamen, quod incredibile dictu videbatur, brevi, Deo ita permittente, accidit! Ut scilicet intellegant omnes, nec scientiae virtutisque laudem, nec res bene gestas, nec merita quamvis immortalia, neque ex his natum favorem hominum quantumvis potentium, satis esse ad sustentandam quamcumque humanam institutionem, nisi Deus, Deus ipse servatam velit; Dei solius omni tempore nitendum esse misericordia et auxilio; utque nos prae omnibus mortalibus discamus, experientia docti, quod docet fides, nec nostra nec quorum-

sed mox omnimoda clade afflictam,

cumque hominum opera Deum eiusque Ecclesiam indigere; dicamusque cum Psalmista singuli pro se quisque, et pro Societate universa universi: *Conserva me Domine, quoniam speravi in te,* in te solo; *Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* *Ps. 15. 1.*

4. Ergo saeculi illius de quo loquimur quarto lustro necdum exacto, iam prima clades illata est Societati in eo regno, quod olim omnium primum vixdum natam exceperat, eamque exinde amantissime complexam foverat semper studiosissime ac liberalissime, quodque suae illam gloriae quodammodo sociam domi forisque in remotissimas usque Indias asciverat. Quae plaga quam fuerit gravis, quam dura, quam dira etiam atque crudelis, satius est tacitos nos praeterire. Fuit vero illud *initium dolorum,* qui mox ingravescentes, sibique invicem instar fluctuum saevi maris succedentes, seque invicem impellentes, intra alia tria lustra, non amplius, Societatem universam funditus everterunt; ut vel ipsa supremi Pastoris, Christi in terris Vicarii, auctoritas et potestas, cui defendendae nata Societas erat, non modo illi tuendae par non fuerit, sed et ipsa, diu licet reluctata, postquam nova etiam Constitutione Apostolica eam defendisset, probasset denuo atque laudasset, tandem tamen vi et impetu inimicorum, non dicam fracta, sed certe debilitata in hoc certamine, victas adversariis dare manus, ac Societatem hostium suorum odiis permittere coacta fuerit, ne quid scilicet gravioris detrimenti Ecclesia Dei caperet. Quae autem et quanta eo tempore mala Societas universa passa sit, rebus omnibus exspoliata, domiciliis suis eiecta, impetita calumniis, contumeliis et *opprobriis saturata, purgamentum huius mundi facta et omnium peripsema,* tacitus item praeterire malo; ac potius quae, in tanto miseriarum quo Societas mergebatur pelago, Dei benignitas et misericordia eminuerit, id quod maxime ad animos nostros pie movendos et ad fervorem vel in frigidissimo quoque pectore excitandum valere debet, pro meo instituto persequar. *Non enim humiliavit ex corde suo et abiecit* omnino Societatem nominis sui Dominus Iesus, sed vel in ipsa illa memoranda ac miseranda clade plurima eius et insignia exstiterunt in Societatem beneficia, quae grato animo nos recolere par est.

primum in Gallia,

Matth. 24. 8.

deinde ubique;

Thren. 3. 30.

1. Cor. 4. 13.

non tamen a Deo destitutam; cuius benignae Providentiae significationes sunt:

Thren. 3. 33.

5. In primis enim numquam clarius patuit Societatis innocentia, quam cum eversa fuit. Tam multae tamque atroces calumniae, quibus iam dudum impetebatur, quibusque diluendis vix ac ne vix quidem dabatur locus, numquam evidentius confutatae fuerunt, quam tum, cum oppressae ac suppressae penitus intima quaeque ipsa patuerunt oculis omnium vel inimicissimorum. Tunc nimirum Ecclesiae hostes, deposita larva, de

1° Societatis innocentia numquam antea clarius manifestata,

Societatis abolitione tamquam de praeclaro negotio a se tandem confecto, veluti parto triumpho sibi gratulati sunt; nec dubitarunt multiplex litterarum commercium, quod secretissimum habuerant, typis evulgare, ex quibus omnis ratio diuturnae in Societatem conspirationis, et potentium adversariorum consilia, et artes adhibitae et fraudes luce palam apparuerunt. Cumque Societas tamquam publicae tranquillitati principumque auctoritati inimica traduceretur, eoque potissimum nomine exstincta esset, factum est, ut non nisi ea eversa illae demum subsecutae sint rerum publicarum regnorumque eversiones, quarum ad haec usque tempora nondum finis, quasque dum Societas stabat florens et incolumis vel frustra vel omnino non tentandas fuisse, et improbi saepe haud obscure fassi sunt, et probi ac sapientissimi homines non vanis inducti argumentis existimarunt. Profecto si quis eas tragoedias, quae non ita multo post Societatis ruinam acciderunt, consideret, in iis ipsis malis, quae Ecclesiam Dei et omnia quidem regna terrasque omnes, sed illas prae ceteris in quibus gravius et crudelius afflicta Societas fuerat, afflixerunt, luculentam Societatis apologiam contineri fortasse non immerito dixerit. Sed haec quidem Societatis cladem subsecuta sunt.

2º ipsa suppressio Passioni Dominicae, vel certe martyrio simillima,

6. In ipsa clade duo memoranda maxime occurrunt, PP. ac FF. carissimi, quae, si sapimus, et Societati maxime gloriosa fuisse, et nobis omnibus maximo esse solacio debere, singularis denique fuisse Dei in Societatem benignitatis et amoris argumenta maxima existimabimus. Et quaenam sunt illa? Scilicet, quod in primis, cum Iesu nomine insignita Ducem suum sequi se non solum in vitae ratione, sed et in cruce ferenda profiteretur, in illa de qua loquimur clade ea passa est, quibus duci suo ac regi Christo Iesu videretur quam simillima. Ac semper quidem illa, quam gratiam Ignatius Pater sibi sociisque enixe supplex a Deo petiverat, inde a primis suis exordiis, *gloriari in Cruce D. N. I. C.* potuit; cui obtrectationes et calumniae et contumeliae et maledicta, ad imitationem divini exemplaris numquam scilicet defuerunt. At certe crucis Christi particeps numquam alias ita fuit ut in illa extrema ruina; in qua calumniis non impetitam solum sed oppressam, non lacessitam iniuriis sed plane obrutam, si martyrium quoddam illam subiisse quis dixerit, nihil dixerit absonum a veritate historiae. Hoc itaque in primis Societati aiebam gloriosum in oculis Dei, nobis solacio plenum. Alterum est quod in illa clade socii de se praebuere spectaculum Deo, Angelis et hominibus.

Galat. 6. 14.

3º Sociorum vita exemplaris post suppressionem,

7. Quid enim in illa temporum acerbitate Patres illi ac Fratres nostri? Quanta illos in tantis calamitatibus Dei benignitas et gratia sustentavit, ut rebus omnibus exuti, in exsilium

eiecti, hominum ludibrium facti, tamen quam in Societate vivendi rationem didicerant, plerique in saeculo retinuerint, ipsaque illa inculpatae vitae ratione manifestum fecerint, non potuisse perversam esse matrem quae tales filios genuisset atque educasset! Calicem Domini sui, calicem ignominiarum ac dolorum biberunt usque ad faeces; contemptum et opprobria, quae olim inter meditandum adamare Christi exemplo didicerant, mira in tantis aerumnis constantia pertulerunt; *fidem* *Tob. 2. 1.*
interea *suam Deo numquam mutaverunt,* neque imminutus fuit eorum pro gloria Dei zelus, neque a bene de Ecclesia merendo destiterunt; quin etiam ex divulsis illis ac dispersis Societatis membris praecipui fere exstiterunt, teterrimis quae subsecuta sunt temporibus, romanae sedis ac religionis sanctissimae defensores. Exiguumne hoc existimabimus Dei beneficium tertio hoc Societatis saeculo in illam collatum, quod vel exstincta Societate spiritus tamen Societatis in sociis illis exstinctus non fuerit? Et haec quidem et alia multa, quae longum esset singillatim persequi, fuere gravissimae illius calamitatis solacia et levamina. Ad laetiora iam divinae in Societatem hoc eodem saeculo protectionis ac providentiae plane singularis argumenta consideranda transeamus.

4° mirabilis Societatis conservatio in angulo Europae,

8. Quam enim everti altissimo semperque adorando consilio permisit Deus, non tamen ita eversam, non ita penitus exstinctam voluit, ut non aliqua eius pars exigua, non aliqua eius scintilla servaretur. Itaque mirabili eius providentia factum est, ut, cum ubique terrarum Societas exscinderetur, in extremo septentrione portio quaedam eius minima, quaeque fortasse totius Societatis erat ut loco ita et animis humillima, certe minus mundo cognita, ac fors hoc ipso nomine potissimum Deo curae erat, salva utcumque consisteret. Non ego hic miros eventus referam, qui Societatis ibi conservationem comitati sunt; et quomodo non semel ea ipsa quae ad disturbandas exiguas illas reliquias machinabantur Societatis hostes, maxime ad eas certius ac melius conservandas, Deo mirabiliter disponente, profuerint. Narrabunt haec aliquando Societatis annales; mihi vel commemorare singula longum esset. Verum illud omittere non possum, quod, cum uno non amplius anno ante Societatis universae abolitionem, regionis illius accessione ad imperium Rossiacum facta, pauca illa domicilia in tuto quodammodo collocata fuissent; uno non amplius anno post restitutam ab immortali Pio VII Societatem, vexari illa in imperio Rossiaco coeperit, coacta tum maxime ex illius imperii metropoli exsulare. Ut illud non obscure significare voluisse Deus videatur, sua providentia factum fuisse, ut ibi tantisper Societas veluti deposita lateret, ubi *in silentio et in spe* futurae quondam re- *Is. 30. 15.*
surrectionis *salutare suum exspectaret.* *Gen. 49. 18.*

5° eius restitutio

9. Hic vero, ubi ad illud tempus iam ventum est, quando Societas ad novam vitam e suis ruinis resurgere singulari Dei beneficio visa est, quos animi sensus in nobis excitari, quas bonitati divinae reddi gratiarum actiones, quos omnibus nobis addi stimulos, illius recordatione beneficii, ad illum de quo agimus novum spiritus fervorem procurandum necesse est, PP. ac FF. carissimi! Quanta fuit illa Dei benignitas, quae misericordia in Societatem, cum post inaudita post hominum memoriam bella, post convulsam et conquassatam Europam universam, bonorum plausu maximo, nequiquam frementibus impiis, Societas ad pristinam vitam revocata fuit!

primum tacita in Alba Russia et in dicione Parmensi,

10. Ac Pius quidem VI iam dudum vivae vocis oraculo, cum aliud non sinerent illa tempora, patres nostros, quod in Alba Russia, ubi Breve suppressionis promulgatum numquam fuerat, constantes in sua vocatione persisterent, probaverat; idem, sub sui Pontificatus finem, aliquod etiam Societatis instaurandae initium fieri in Parmensi dicione, angustos inter fines, timide cauteque permiserat: dederat hoc piissimo et Socitatis amantissimo principi. Et haec quidem initia aurora quaedam Societati post longam noctem visa fuerant.

mox publica in Imperio Rossiaco, in Siciliae Regno, et ubique,

11. At Pius VII cum primum Societatem in imperio Russiaco datis Apostolicis litteris sub ipsa sui Pontificatus exordia confirmasset, cum paulo post Siciliarum regno concessisset ut Societas et ibi restitueretur, tandem ut, nulla terrarum orbis parte excepta, redintegraretur concessit, neque concessit modo, sed ut omnino fieret ardentissimis Pontifex optimus votis postulavit, omnique studio principes populosque ut eam redivivam exciperent foverentque hortatus est, suoque praeivit exemplo benignitate ac liberalitate maxima; quin etiam hanc restituendae per universum orbem Societatis fuisse inter primas curas, quas sibi post longum exsilium in sedem suam restituto suscipiendas et opere exsequendas omni mora posthabita existimaret, Pater Sanctissimus profiteri palam in illa sua Constitutione Apostolica non dubitavit. Fuit profecto haec postrema pars tertii saeculi Societatis divinis beneficiis cumulatissima; quae licet enumerare omnia non vacet, illud non praetermittendum, quod intra paucos annos duos ex filiis quondam suis Societas ad Beatorum honores evectos vidit, quorum alterum etiam hoc anno sollemni pompa, Urbe et orbe congratulante, inter Sanctos relatum conspeximus. Ita scilicet Dominus *habitare fecit sterilem in domo, matrem filiorum laetantem!*

Ps. 112. 9.

6° eius inter tantas vicissitudines incrementa.

12. Quae porro, inter horum temporum perpetuas licet perturbationes, tantas inter rerum vicissitudines, incrementa Societas ceperit, sine magno solacio cogitari non potest. Et quaevis quidem provincia hic merito sua sibi memoria recolet; ro-

mana se in plurimas ex antiquis suis sedibus veluti postliminii iure revocatam gaudet, ac in Urbe praesertim tria sua praecipua domicilia, quae singula proprio sibi sancto, quondam incola nunc patrono, Ignatio Patre, Aloysio Scholastico, Stanislao Novicio, gloriantur, restituta gratulatur sibi, atque una cum domiciliis tam multa simul illorum Sanctorum suorum monumenta, in tantis temporum iniuriis conservata et illaesa, sanctitatis dulcissima pignora pariter et potentissima excitamenta.

Porro haec fata Societatis tria in nobis sensa excitare debent:

13. Haec tertii saeculi Societatis fata dum recolimus tam varia, tristia, laeta, et in omnibus elucentem singularem Dei in eam benignitatem, qui *humiliat et sublevat, deducit ad inferos et reducit,* quique, *dum irascebatur, misericordiae recordatus,* vel in ipsa clade non defuit, et in conservandis eius reliquiis paterna cura vigil astitit, et in restituenda tandem mirabilem se exhibuit, et post eius restitutionem protegere eam et fovere, interque ipsas tempestates ac procellas cymbam hanc Societatis, Petri navis eiusque fortunarum sociam, servare ac provehere non destitit; haec, inquam, omnia dum recolimus, quaenam, quaeso vos, PP. ac. FF. carissimi, sensa esse nostra debent? Haud dubium, quin haec tria debeant esse praecipua.

1. Reg. 2. 6. 7.

Hab. 3. 2.

1° Gratum animum pro praeterito,

14. Primum est, ut Deo optimo maximo de tanta in Societatem indulgentia ac benignitate gratias maximas agamus, tum propter eius ipsius gloriam, tum propter ipsam Societatem, tum denique quod nos in partem tantorum beneficiorum vocare dignatus sit; utque hinc etiam nostrae huius vocationis, tam multis nominibus a divina pietate commendatae, summam aestimationem et amorem foveamus. Fuit quidem tempus, cum admissio in Societatem donum esset rarissimum, quod procul quaesitum ibant, quos Dei vocabat gratia. Sunt etiam nunc in Societate superstites, qui ad eam accesserunt, cum illa vix ducenta Sociorum capita numeraret. Iam per multas regiones diffusa Societas est, et numerus sociorum ultra tria milia excrevit. Videte, ne cui vestrum tantum Dei donum vilescat, minusve pretiosum videatur, quod iam quaesitu minus difficile factum sit ac vulgo communius.

2° fiduciam in futurum,

15. Alter sensus ex praeteriti saeculi recordatione fiduciae esse debet magnae in Domini bonitate, fore scilicet, ut, *qui coepit opus, ipse perficiat,* est enim totum opus eius; ut *qui* Societatem *e tot malis ac periculis eripuit,* speremus *quoniam et adhuc eripiet, et ex perceptione praesentium munerum firma* nobis *fiat exspectatio futurorum;* si tamen ipsi nobis divinaeque bonitati non desimus.

Philip. 1. 6.

2. Cor. 1. 10.

3° sollicitudinem et curam assiduam in praesenti.

16. Atque hic tertius est sensus, PP. ac FF. carissimi, quem ex iis quae de Societatis elapso saeculo rebus commemoravi,

excitari in nobis omnibus vehementer desidero, sollicitudinis nempe et curae assiduae, ut, tantis Dei muneribus in matrem Societatem collatis non ingrati, *digne vocatione nostra ambulemus,* atque ita divinis circa Societatem atque adeo circa nos ipsos consiliis quam fieri possit fidelissime respondeamus.

Eph. 4, 1.

Hanc curam ut renovatione spiritus praestemus, en tria incitamenta:

17. Et quoniam gratiarum actio praeteritum tempus, spes autem ac fiducia futurum spectat, et utrumque potissimum respicit Deum, a quo praeterita accepimus, futura speramus, quod vero nostri muneris est, totum est praesentis temporis, totumque nostrum est: de hoc aliqua mihi dicenda supersunt, ut quae sint nostrae partes probe intellegamus, ac nostri officii memores, in illud, renovato fervore, acri studio incumbamus. Videte, quaeso, PP. ac FF. carissimi, quam multa sint hoc tempore quae fervorem hunc a nobis postulent et exigant eiusque studium unicuique nostrum persuadere debeant.

1° Adversariorum recrudescentes impugnationes

18. In primis restituta Societate revixit impiorum hominum in illam odium; antiquae calumniae novis coloribus adornatae in vulgus sparguntur; voce, scriptis, libris, libellis, ephemeridibus, quarum veluti diluvium quoddam orbem inundat, proscindimur cotidie. Sunt etiam plurimi homines minime mali, qui praeiudiciis occupati semper mala de nobis suspicantur et omnia nostra in deteriorem partem interpretari consueverunt. Haec quidem nos tolerare patienter, neque indignari, neque his commoveri necesse est neque mirari *quasi novum aliquid nobis contingat*: *in hoc* enim *positi sumus.* Verum, si quid umquam istiusmodi homines reperire possint in nobis, quod Societati maculam inurere, eius operam vel impedire vel retardare possit, quanto illud studio arripi ab ipsis existimatis? Quanta ergo vigilantia nobis opus est, quanta nostri ipsorum custodia, ne qua detur ipsis vera criminandi occasio? Quanta necessitas caute ambulandi, ut non modo a malo, sed vel *ab omni specie mala abstineamus* nos, ut *qui ex adverso est nihil habeat malum dicere de nobis*? Nostra enim vita non est ut privatorum hominum, non est in abscondito; in oculis omnium versatur, ministeria nostra ferme omnia publica sunt; et ob praeconceptas de nobis sinistras opiniones etiam ea quae plerique alii licere sibi existimant, quaeque alii facere vel inobservati vel impune possunt, ea nobis vitio continuo vertuntur, exaggerantur; et consueto illo quantumvis iniquo iudicio *crimine ab uno disce omnes,* quod unus nostrum aliquis forte peccet, id universae Socitetati tribuitur. Si verum quaerimus, gratia haec est Dei, quae nos ita admoneri officii et in officio semper contineri studiosissime intendit. Sed videndum nobis etiam atque etiam est, PP. ac FF. carissimi, ut verbis utar principis apostolorum, *quomodo conversationem nostram habeamus bonam*

1. Pet. 4. 12.
1. Thess. 3. 3.
1. Thess. 5. 22.
Tit. 2. 8.
1. Pet. 2. 12. seq.

inter tot adversarios, qui nos nostraque observant omnia, quique plures fere sunt quam nos ipsi plerique suspicamur, — ut ergo illi ipsi *ex bonis operibus nos considerantes glorificent Deum in die visitationis, — ut bene facientes obmutescere faciamus imprudentium hominum ignorantiam. Haec est enim gratia,* inquit idem Apostolus, *si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens iniuste. Quae enim est gloria, si peccantes et colaphizati suffertis? sed si bene facientes patienter sustinetis, haec est,* addit eodem loco ad solacium nostrum, *haec est gratia apud Deum. In hoc enim vocati estis. Et quis est qui vobis noceat si boni aemulatores fueritis? Nam et si quid patimini propter iustitiam, beati. Timorem autem eorum ne timueritis et non conturbemini. Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris cum modestia et timore, conscientiam habentes bonam: ut in eo quod detrahunt vobis confundantur, qui calumniantur vestram bonam in Christo conversationem.* Hactenus S. Petrus, tum ad solacium tum ad exhortationem nostram. Atque haec quidem adversariorum odia, malevolorum suspiciones a nobis postulant. Quid vero piorum hominum ac bene in nos affectorum voluntas et amor?

Ibid.

19. Mihi quidem videtur hoc tempore, in renata et paulatim crescente Societate, illud fere accidere quod in aedificatione secundi templi Ierosolymis contigisse in sacra historia legimus. Ex bonis illis Israelitis, cum laudarent Levitae Deum et sollemni illo cantico confiterentur *Domino quoniam bonus, quoniam in aeternum misericordia eius,* erant qui laetitia exsultarent, erant et qui amare flerent. Seniores, qui viderant templum prius, sanctitate, magnificentia et gloria ad miraculum usque augustissimum, comparatione facta cum eo quod iam e ruinis exsurgere cernebant, dolore scilicet ob ea quae perdita videbant excruciabantur, atque hunc dolorem novi templi fundatio nequaquam satis temperabat. *Qui viderant templum prius.... et hoc templum in oculis eorum, flebant voce magna.* Contra, qui primum illud numquam viderant, illis magnum quid et eximium gratulabantur sibi, *vociferantes laetitia elevabant vocem, nec poterat quisquam,* ait sacer textus, *agnoscere vocem clamoris laetantium et vocem fletus; commixtim enim populus vociferabatur clamore magno.* Simile quid in hominum piorum iudicio de Societate nostra, qualis nunc est contingere video. Sunt qui miro favore nos nostraque laudent atque magnificent, qui nostra omnia ad caelum extollant; sunt et qui contra nos omniaque nostra ad ima deprimant, nihil esse censentes quod nos novi homines agimus. Et in illis quidem nimius erga Societatem favor, in his nescio quod frigus animos occupat. Illi nimio amore peccant, hi fortasse in diiudicandis rebus nostris

2º piorum hominum ac bene in nos affectorum voluntas et amor,

1. Esdrae 3. 11.

Ibid. 12.

Ibid.

non satis discreti sunt. Nos vero, PP. ac FF. carissimi, has inter voces tam dissonas, inter haec tam diversa de nobis iudicia quid? Medium quidem tenere inter utrorumque sententiam, fortasse verius, erit procul dubio nobis opportunius, ut neque ob illum favoris excessum nobis blandiamur, cum scriptum sit:
Is. 3. 11. *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt et vias gressuum tuorum dissipant,* neque tamen ob aliorum minus aequam de nobis opinionem animo cadamus. Sed utrorumque de nobis iudicia illud certe efficiant in nobis necesse est, ut illorum de nobis vel existimationem vel exspectationem non penitus frustrare conemur. Quid enim, quaeso, si languide, si tepide, si neglegenter ea quae vocationis nostrae sunt agamus? Si Societas, non ita pridem renata, in ipso suo veluti adulescentiae flore senescere videatur? Si exspectationem illam tantam, a bonis omnibus conceptam ex patrum nostrorum gestis, quorum memoriam nec temporis diuturnitas neque criminationum et calumniarum atrocitas oblitterare potuere, non modo a nobis non aequatam, id quod ne sperare quidem possumus, sed omnino
1. Mach. 9. 10. frustratam videant? Eia, Fratres, ne *inferamus crimen gloriae nostrae,* quae alioqui non nostra est sed Ecclesiae sanctae Deique ipsius gloria, cui procurandae nos totos devovimus, et cuius est opus, non nostrum, quidquid ex nostro Instituto agimus et urgemus.

3o Ecclesiae necessitates, et spes de nobis concepta.

20. Cogitate, quaeso, Ecclesiam matrem piissimam Societati suas necessitates commendare, suos et dolores pandere et spes etiam conceptas ostendere. Hinc enim illa vulnera sua commonstrat et acerbissimis doloribus dilacerari sinum suum amare conqueritur: tantam errorum colluviem, tantam morum corruptelam in populo christiano serpentem; *dispersionem la-*
Thren. 4. 1. 1. Pet. 5. 3. *pidum sanctuarii,* multorum scilicet multis in locis illorum ipsorum, qui *forma gregis* esse deberent, offensiones et scandala, multorum quin etiam perfidiam, qui pastores esse cum debe-
Ioan. 10. 10. 12. rent, *lupi rapaces* facti sint, et *dispergant oves et mactent et perdant et perimant;* tanta christianae iuventutis pericula, cui laquei ubique tendantur, ut moribus simul et fide corrupti, bis mortui, bis involuti retibus et catenis daemonis, rapiantur in perniciem. Inde vero solacia etiam sua ac spes Ecclesia dulcissimas ostendit: multorum quos ipse communis pravitatis excessus revocare ad meliora consilia videtur; multorum qui, diu ab sinu suo haeresi vel schismate avulsi, iam ad matrem oculos reflectunt et ad Ecclesiae unitatem ac veritatem regredi
Ioan. 4. 35. parant; multarum etiam gentium, in pluribus terrae partibus, quae *regiones* suas offerunt *albas iam ad messem.* Illi itaque dolores sui ut leniantur, hae spes suae ut aliquando impleantur, Ecclesia sancta etiam a Societate nostra auxilium postulat et exspectat.

21. Neque vero ignoratis, PP. ac FF. carissimi, quid sibi ille alter parens noster Pius VII proponeret, quid sibi de Societate polliceretur, cum eam in orbem universam restitueret. Per illam, *in tantis rei publicae necessitatibus, salutaria auxilia sibi a Deo singulari providentia suppeditari;* per illam *in Petri navicula assiduis turbinibus agitata et concussa collocatus,* in Societatis hominibus *expertos et validos remiges sibi offerri ad frangendos pelagi, naufragium et exitium quovis momento minitantis, fluctus* non dubitabat. Ita ille sentire se palam in illa sua constitutione profitebatur.

expositae a Pio VII. in Bulla restitutionis.

22. Equidem fateor, PP. ac FF. carissimi, ad tantas spes de nobis a Sanctissimo Pontifice conceptas, pudore me et confusione totum perfundi. Quis enim ego sum? Qui sumus nos, PP. ac FF. dilectissimi? Haec talia ac tanta exspectari a nobis, a nobis praestari umquam posse? Certe quidem si nos ipsos viresque nostras consideremus, nulla profecto spes in nobis inesse posset huic tantae exspectationi respondendi. Sed enim cum Dei hoc opus sit, numquid *abbreviata manus Domini ut salvare nequeat, vel in multis vel in paucis?* Et qui tanta tamque admiranda pro Societate facere dignatus est, nonne quantulacumque opera nostra uti se velle satis manifeste declaravit? Ille sane instrumentis, quibus voluerit, utitur ad ea quae suae voluntatis et gloriae sunt exsequenda. Hoc ergo restat unum, ut, quod in nobis est, nos disponamus ad Dei dona recipienda, et in eo omne studium fervore novo ponamus, ut *instrumenta* reddamur apta divinae manus.

Exspectationi satisfaciemus, si apta nos reddamus instrumenta in manu Dei.

Is. 59. 1.

1. Reg. 14. 16.

23. Et quoniam haec ipsa est propria Sancti Patris nostri similitudo, in constitutionibus non semel et saepe alias usurpata, ut tamquam *instrumenta divinae manus* ad eius gloriam et ad animarum salutem esse nos debere intellegamus, in hoc ego iam sistam et ad hoc vos unice adhortabor, PP. ac FF. carissimi.

quae similitudo instrumenti propria est S. P. N.,

24. In primis videte, quaeso, quod in hanc rem scriptum nobis reliquerit sanctus parens in decima parte Constitutionum, ubi ex professo agit *de modo quo conservari et augeri totum corpus Societatis in suo bono statu possit.* Audite eius verba, non audienda solum aut legenda, sed unicuique serio meditanda. Haec ergo ibi habet § 2. « Ad conservationem et incrementum non solum corporis, id est eorum quae externa sunt, sed etiam spiritus Societatis, atque ad assecutionem finis quem sibi praefigit, auxilii animarum ad ultimum et supernaturalem suum finem consequendum, media illa, quae cum Deo instrumentum coniungunt ac disponunt, ut a divina manu recte gubernetur, efficaciora sunt quam quae illud disponunt erga homines. Huiusmodi est probitas et virtus, ac praecipue caritas et pura in-

docentis quibus mediis nos disponamus erga Deum et proximum:

tentio divini servitii, et familiaritas cum Deo in spiritualibus devotionis exercitiis, et zelus sincerus animarum, ad gloriam eius qui eas creavit ac redemit, quovis alio emolumento posthabito. Videtur itaque in universum curandum esse, ut omnes qui se Societati addixerunt, in virtutum solidarum ac perfectarum, et spiritualium rerum studium incumbant, ac in huiusmodi maius momentum quam in doctrina vel aliis donis naturalibus et humanis constitutum esse ducant. Illa enim interiora sunt, ex quibus efficaciam ad exteriora permanare ad finem nobis propositum oportet ». Tum subiungit § 3. « Hoc iacto fundamento, media illa naturalia, quae Dei ac Domini nostri instrumentum in proximorum utilitatem disponunt, in universum ad conservationem et incrementum totius huius corporis conferent, si tamen et addiscantur et exerceantur sincere ad solum Dei obsequium; non ut illis fiducia nostra innitatur, sed potius ut divinae gratiae, iuxta summae providentiae suae ordinem, per haec cooperemur; qui ad gloriam suam tam dona naturalia quae ipse ut creator, quam supernaturalia quae ut gratiae auctor donat, vult referri. Et ideo media humana, vel per industriam acquisita, ac praecipue doctrina exacta et solida, et modus eam proponendi populo in contionibus et lectionibus, et forma agendi cum hominibus eosdemque tractandi, diligenter curanda sunt ». Haec sanctus parens.

excolendo strenue talenta nostra, sed maius momentum ponendo in rebus spiritualibus.

25. Ergo ut *instrumenta* idonea simus iuxta S. P. mentem, sunt quae nos disponere debeant erga homines, et sunt quae erga Deum. Sunt itaque necessaria talenta litteris ac doctrina exculta; idque eo magis hoc tempore, quo plura in hoc genere homines, difficiliores fere ac fastidiosiores quam umquam, requirunt in iis muneribus quae Societatis maxime propria sunt. Quare in his acquirendis et excolendis diligenter, pro muneris et loci ac temporis opportunitate, nec studium cuiquam nec industria desit necesse est; immo vero magni haec esse momenti ad vocationis nostrae finem consequendum unusquisque sibi persuadeat. Talentum quisque suum fideliter ac strenue exerceat. Et quamcumque bonarum litterarum scientiarumque humanarum partem si quis de Societate cum insigni profectu tractare possit, ne omittat, *sincere tamen ad solum Dei obsequium,* ut S. P. monet, idque hisce temporibus tanto magis, quanto videmus plures cotidie litteris et scientiis eiusmodi ad religionis detrimentum abuti; ut desiderandum vehementer sit et omnino necessarium, ne ulla scientia ex iis quae in mundo in pretio habentur, ab hominibus religiosis intacta relinquatur. Verum inter haec studia simul illud mente teneamus, id numquam memoria excidat necesse est, maioris esse momenti ea quae instrumentum cum Deo coniungunt, cum constet, ad finem

supernaturalem, qualis est vitae huius nostrae finis rerumque nostrarum omnium, media naturalia nullo pacto satis valere per se posse. Ergo si quis umquam litteris ac scientiis ita se dedat, ut in rerum spiritualium studio tepescat, is illud sibi dici cogitet quod vel de caelo monitus quidam a S. Patre nostro dicitur: *Petre, Petre, plus de virtute, minus de scientia.* Omnes vero illam saepe revolvant mente sententiam gravissimam, quam idem parens noster et in ore frequenter habuisse accepimus, et in epistolis eius legimus saepe repetitam: *paucissimos esse qui intellegant quantum Deus in ipsis et per ipsos operaturus esset, si sese illi totos, ut divinae manus instrumenta, regendos atque gubernandos permitterent.* Tales ut simus,

26. Eritne quisquam inter Societatis filios tam ignavus, tam vecors, qui non optet ardenter ut Deus in ipso et per ipsum praeclara operetur? Itane quisquam vocationis suae *ad Maiorem Dei Gloriam* immemor vivat? Ergo qua ratione *instrumentum* se Deo exhibere debeat, unusquisque serio cogitet, quod utinam non iam paucissimi ex nobis, sed plurimi, sed omnes intellegant!

27. Et *instrumentum* quidem qualecumque duplici modo ab artifice gubernandum est, quorum alter ad illud praeparandum et aptandum, ut instrumentum idoneum fiat ad opus, alter ad ipsius instrumenti usum pertinet; et uterque hic modus ad rem nostram aptissime referri potest. insistendo in eadem similitudine,

28. Ut instrumentum aliquod praeparetur, videte, quaeso, quam variis modis illud tractari et probari soleat, ut ferme sine ferro et igne instrumentum nullum reddi aptum possit. Haud aliter et nos intellegamus, si *instrumenta* esse Dei velimus, ad omnia nos paratos esse debere, quo illam suscipiamus formam quam summus ille artifex requirit in iis quorum opera uti ad gloriam suam constituit; id quod item absque igne et ferro, absque multa, inquam, mortificatione frustra speres. Quod si de electis omnibus illud pulchre canit Ecclesia: *Scalpri salubris ictibus et tunsione plurima fabri polita malleo...*, quid, quaeso, de iis existimandum qui non electi solum, sed electorum duces et antesignani esse debent, quales nos esse vocatio nostra postulat? Haec ergo prima sit animi nostri dispositio, si *instrumenta divinae manus* esse cupimus, ut Deo nos generose offeramus ab ipso gubernandos, parati ad ea omnia toleranda, per quae nos purgare primum, tum exacuere ad virtutem dignabitur. Et quando ipsi nos segniores fere vel delicatiores deprehendimus, ad amoris proprii et cupiditatum aeruginem voluntariis castigationibus extergendam, ne recusemus, FF. mei dilectissimi, divinae manus operam et omnem tribulationem divinitus immissam ut instrumenta reddamur suae gloriae, non praeparationem instrumenti efficiat mortificatio; *In Off. Ded. Eccl.*

modo patienter, sed etiam libenter admittamus. Et hoc quidem de instrumenti praeparatione.

usum dirigat oboedientia;

29. Iam de usu quid dicam? Constat utique, instrumentorum proprium esse, ut eorum usus non ab ipsis, sed ab artifice pendeat; illa adhiberi se, et quando is voluerit et ubi voluerit et in quo opere ipse voluerit, necessario patiantur. Hoc ergo est alterum quod S. P. nobis commendat, cum nos hortatur ut nos Deo totos, ut *instrumenta divinae manus,* regendos ac gubernandos permittamus, scilicet simplicis oboedientiae docilitas. Et vero quid fiat, si non ad artificis voluntatem quisque se accommodet, sed sibi ipse occupationes, ministeria, loca, officia eligere, sibi usurpare vel aperte vel occulte satagat? Sperarene ille poterit instrumentum se fore divinae manui aptum? Quid, quaeso, profecturum te speres, Frater, si invito Deo agere quidquam aut operari praesumas? Si, quem Deus adulescentulis regendis vel scholis docendis adhibere statuit, tu contionari vel missionarium agere omnino velis? Quae spes boni operis faciendi absque divinae manus ductu? Quam felix contra, quanta spes amplissimae frugis ei qui, perfectae oboedientiae sectator, *fidelissimae caritati* divinae, iuxta pulcherrimam S. P. N. phrasim, se permittit! Hunc nimirum ad omnem locum et officium aeque omni tempore paratum, seu praeesse aliis seu subesse iubeatur, (quoniam hoc non magis quam illud in Societate agitur ex oboedientia), in omni loco et in omni munere, non *caritas* solum Dei Creatoris ac Domini, sed et *fidelitas,* qua bonitas illa homini propter sui amorem oboedienti quodammodo obstricta est, in omni labore de laboris fructu certum reddit ac securum. Tales nos esse si studuerimus, PP. ac FF. dilectissimi, erimus idonea divinae manus instrumenta, atque haec divina manus uti opera nostra ad tam multa, quae a nobis hisce temporibus postulantur, agenda et felici successu paragenda non dedignabitur.

fructum colligat et servet humilitas,

30. Quod ubi fiat, et fieri iam ex parte negare sine ingrati animi nota non possumus, eadem haec *instrumenti* similitudo et ratio humilitatem semper servare docebit; cuius rei mentionem in extremam harum litterarum partem incidere non invitus patior, quod humilitatem maxime omnibus commendatam vehementissime cupiam. Quid enimvero instrumentum, quod quidem ex se ipso nihil agit, nullum opus ne inchoare quidem, nedum perficere aptum est, quid *securis,* quid *serra,* quoniam utroque symbolo Scripturae utuntur, absque manu artificis? Ita ergo nos, si *instrumentum divinae manus* esse nos intellegimus, nihil nos posse, sive parvum sive magnum illud sit, sine auctore Deo, non modo ratione ac fide intellegamus et credamus, sed intime sentiamus necesse est. Vae enim nobis,

Is. 10. 15.

si putemus aliquid nos esse, cum nihil simus! Et vero, quod multa saepe bona vel non succedant, vel in ipso successu insperate abrumpantur, nihil dubitandum quin plerumque *in causa sit superbia, vel quae iam adsit vel quam affuturam* Deus videat, nisi bonum illud opus impediatur. Neque meus hic sensus est, PP. ac FF. carissimi, sed S. Bernardi, licet in alio argumento. *S. Bern. serm. 54, in Cant.* Equidem hanc maxime ob causam non raro praeclara quaedam, ab hominibus etiam Societatis felicissimis coepta initiis, disturbata fuisse ac disturbari cotidie valde timeo. Est enim *Deus zelotes, et gloriam sum alteri non dabit.* *Exod. 20. 5.* *Is. 48. 11.*

31. Videmus tam multos olim ex patribus nostris de re publica litterarum et christiana insigniter meritos, in quibus maiorne sanctitas an doctrina fuerit non immerito dubitaretur (adeo in utraque excellebant), quos neque scientia inflabat, nec principum virorum favor, aut populorum admiratio extollebat, neque rerum praeclare gestarum magnitudo; nihil scilicet sibi tribuebant, omnia Deo, cuius se esse mera instrumenta vere humiles agnoscebant. Nobis, si cetera desint, quae in patribus nostris fuere eximia ac plane admiranda, at certe bona voluntas et cor *plenum,* ut loquitur Apostolus, et praesertim humilitas ne desit; *Coloss. 4. 12.* ut, si in patribus nostris *mirabilem* se ostendisse Deum fateri cogimur, in nos *misericordem* fuisse aliquando nostri posteri gloriari queant. Hoc sit nobis praecipuum, Patres Fratresque carissimi, non altum sapere, non magni aestimare quae agimus, ac si grandia praestemus ac nihil non mereamur, ne primas nobis deferri partes velimus, aut *benefici vocari* ab hominibus gestiamus; *Luc. 22. 25.* cum contra piorum beneficiis vivamus ac sustentemur, et ipsum hoc beneficium sit, quod operam nostram adhibere homines non recusent, beneficium, inquam, tum illorum qui nostra utuntur opera, tum praesertim Dei, cuius instrumenta sumus aut esse certe debemus, cuiusque, si omnia fecerimus quae dicta sunt nobis, *servi inutiles sumus.* *Luc. 17. 10.* Equidem ita plane sentio, si humiles fuerimus, nihil non a Deo nobis et Societati sperare, sin minus, nihil non timere nos posse ac debere, tum nobis tum Societati universae.

exemplo Patrum nostrorum.

32. Ergo in tantis necessitatibus nostrorum temporum, in tanta quae excitata est de Societate exspectatione, sit spes nostra in sola Dei bonitate ac misericordia, humili prece imploranda: *Propter Sion non tacebo, et propter Ierusalem non quiescam.* *Is. 61. 1.* *Ante te omne desiderium meum et gemitus meus a te non est absconditus.* *Ps. 37. 20.* — *Spera in Domino et fac bonitatem,* *Ps. 36. 3. 7.* ait psalmista, *subditus esto Domino, et ora eum . . . et ipse faciet.* *Ibid. 5.* *Ipse faciet,* qui tam multa et magna hucusque pro Societate fecit. Simus tantis beneficiis non ingrati, et *ipse faciet* ut nova et maiora mereamur accipere; praebeamus nos

Denique spes nostra sit in solo Deo.

totos illi regendos et gubernandos, conemur, quantum in nobis est, exhibere nos *instrumenta divina manui* non inepta, et *ipse faciet,* ut, quem ad modum olim, ita his calamitosis temporibus, haec minima Societas Iesu Ecclesiae solacio sit, fidelibus auxilio, suo Sacratissimo Nomini, super omnia laudabili

Ephes. 3. 20. et benedicto, honori et gloriae. *Potens est* enim *omnia facere superabundanter quam petimus aut intellegimus,* ut Apostoli verbis fiducia item plenis concludam, *secundum virtutem, quae operatur in nobis,* secundum gratiam scilicet vocationis nostrae.

Conclusio. 33. Hac itaque humili fiducia laeti in Domino quartum saeculum Societatis ingrediamur et sic agamus annum saecularem, ut splendoris quidem ac pompae nihil admodum haec nostra sollemnitas habeat, (neque enim aut nostra humilitas, aut temporum quae vivimus calamitates id ferunt), sed intentiore studio nostrae in primis perfectionis, tum copiosiore procurando animarum quaestu, hic annus ab omnibus aliis annis distinguatur. Quam in rem quid praestari in universa Societate cupiam, brevi distinctius ad provincias perscribetur.

Interea SS. SS. precibusque omnium vestrum, PP. ac FF. carissimi, me impense commendo.

Romae, XXVII Decembris, MDCCCXXXIX.

Vester in Christo servus,
IOANNES ROOTHAAN.

Quae praestanda omnibus commendantur hoc anno saeculari

Quod nuper in Encyclicis commendavimus, ut nostri omnes anno saeculari novo studio fervorem excitent, id ut assequamur, non est quod nova praescribantur, sed potius ut exsecutionem urgeamus eorum quae in Instituto praescripta sunt, et ut, quae a Patribus nostris excogitatae sunt industriae, in opus deducantur.

In primis unusquisque persuasum habeat, optimum Societatis statum a se ut a ceteris omnibus sociis pendere, in hoc enim consistere, ut suas unusquisque partes fideliter ac strenue exsequatur. Omnibus proinde ac singulis veluti in solidum hanc curam incumbere, fere ut in musico concentu omnes et singuli ad perfectam harmoniam conspirent necesse sit, cui vel unus si desit, praesertim si ex praecipuis, si dissonum sonet, chorus omnis turbetur.

Ergo commendamus enixe, primum quidem superioribus, cum ab horum gubernatione vix non totum pendeat, dein patribus gravioribus, tum ceteris omnibus, ut aliquid temporis

identidem, saltem semel in hebdomada, sumat unusquisque ad perlegendas accurato studio regulas tum summarii Constitutionum et communes, tum proprias officii sui; et si minus in singulis, in praecipuis saltem considerandis ista tria revolvat animo: 1.° Quid sit illud quod praescribitur. 2.° Quam aptum illud sit, quam conveniens ad finem. 3.° Quam accurate illud a se observatum sit. Et in illo veluti speculo se quisque consideret ac reformet. Ea vero, circa quae praecipue consideratio uniuscuiusque versari deberet, sunt fere sequentia.

1.° Qua sit conscientiae puritate; — qua cura culpas etiam leviores vitare soleat; — est enimvero conscientiae puritas primus gressus in via perfectionis.

2.° De intentionis item puritate ac rectitudine in rebus agendis, in munere explendo, in actionibus singulis.

3.° An spiritu *fidei,* ut decet, agatur in vitae suae ratione, et speciatim in oboedientia, in qua nisi vivatur ex fide, fieri non potest ut oboedientia sit, qualem S. P. N. a filiis suis postulat.

4.° In corporis commodis curandis an non aliquid nimii sit: — impedimentum certe non adeo rarum in hominibus Societatis, ob quod nec sibi quis nec proximo proficit ut deberet ac posset.

5.° Qua claritate agat cum Superioribus. — Quomodo observet quae de ratione conscientiae reddenda Constitutiones praescribunt, cum sit hoc unum ex substantialibus Instituti.

6.° Qua diligentia obeat munus suum. — An forte in rebus alienis diligentior sit quam in propriis officii sui.

Denique videat: *Erga Deum,* quomodo se habeat in oratione, in examinibus, in omni communicatione cum Deo. — *Erga superiores,* qua sit reverentia, et etiam caritate. — *Erga fratres,* quo animo sit, quomodo dilectionem et unionem animorum servet ac foveat. — Qua patientia in alienis defectibus ferendis; — et speciatim quo animo sit erga socios alterius nationis vel alterius provinciae, seu praesentes seu absentes. — *Erga externos,* quo zelo sed simul etiam qua discretione, qua prudentia cum illis loquatur et agat. — An zelus sincerus sit et universalis, quique miserabiliores homines non modo non refugiat, sed hos praecipua caritate complectatur.

Haec et quae sunt alia eiusmodi *coram Deo* diligenter quisque consideret, deque iis sese examinet, et imperfectum suum lugeat, et ad emendationem suam serio incumbat. Nemo satis se fecisse existimet; sed illud potius cogitet, si fructum aliquem tulisse sibi videatur, hunc duplicandum, multiplicandum eo uberius, quo animum ipse suum instantius excoluerit.

Quod si cui videatur, id quod saepe a quibusdam obtendi solet, deesse sibi tempus ad legendum et considerandum ita per

otium omnia illa nostro statui propria, impendat huic lectioni et meditationi partem illius temporis, quod cotidie ex regula dari ab unoquoque debet lectioni spirituali, — deque iis ipsis identidem meditationem faciat matutinam, — haec in cotidianis examinibus per partes expendat et examinet, — et ad aliquod eorum etiam examen particulare applicet. Lectio certe Constitutionum S. Patris Nostri, ipsarum inquam Constitutionum non Summarii tantum, Ordinationum item Generalium et Instructionum, si fiat, non per modum studii speculativi, sed eo animo ut videamus quid desit nobis, non poterit non esse vere spiritualis lectio et ad profectum valde opportuna. Quam equidem sacerdotibus nostris omnibus, sed superioribus praesertim et patribus spiritualibus enixe commendo.

Omnium vero maxime exercitia spiritualia hoc anno ab omnibus ut quam accuratissime fiant oro atque obtestor. Iuvabit relegere encyclicam nostram de hoc argumento paucis abhinc annis missam. Quam una cum Exercitiorum libro novis curis edito si multis non inutilem fuisse gaudemus, multis tamen incognitam remansisse et alicubi in angulo aliquo domus vel bibliothecae delitescere etiam nunc dolemus sane, et hanc aliquorum neglegentiam non possumus non moleste ferre.

Quod attinet ad uberiorem animorum fructum hoc anno per nostros procurandum, praeter frequentiores quantum fieri poterit sacras excursiones seu missiones, et usum exercitiorum item spiritualium, quippe quae *arma* nostra sint potentissima (id quod recentissima horum non minus quam priorum temporum experientia comprobavit et cotidie comprobat), pro opportunitate promovendum, *omnibus domibus vel collegiis nostris illud commune sit, ut tempore quod quovis in loco videbitur commodius, exercitia tradantur populo per octiduum vel saltem per triduum, quod dein decantato cum aliqua sollemnitate hymno* TE DEUM LAUDAMUS, *concludatur.* Pro qua sollemnitate, quae celebrari poterit in Europa quidem a die 27 septembris usque ad huius anni finem, extra Europam vero usque ad 27 septembris anni proxime secuturi, a Sanctissimo Domino Nostro Indulgentiam Plenariam impetravimus pro nostris et omnibus fidelibus, qui rite confessi et sacra communione refecti templum nostrum vel oratorium eo die devote visitaverint.

Denique omnes peculiari modo hoc anno Societatis universae statum et incrementum, praesertim vero eius profectum in spiritu vocationis suae, tum in SS. Sacrificiis, tum in orationibus Deo commendent cotidie; ut tum sibi omnes ac singuli, tum Ecclesiae bono, fideliumque auxilio quam plurimum proficiant. Qua occasione, meminerint etiam atque etiam cultum

SS. Cordis Iesu et *B. V. sine labe conceptae* in se et in aliis promovere; cum ex multis argumentis non obscure colligamus, ab nostrorum studio ac diligentia in hoc duplici cultu solide exercendo et in aliis promovendo, omne bonum nostrum et Societatis incrementum, ad Dei maiorem gloriam, magna ex parte pendere.

Pro solis Superioribus

Quae omnibus in communi hoc anno saeculari praestanda commendamus, ea superioribus praecipue commendata cupimus, quorum etiam zelo committitur, ut ea fieri curent in suis quique domibus vel collegiis. Iuvaretque si de aliquo ex argumentis quae attingimus, haberentur exhortationes domesticae, vel etiam spirituales *collationes,* quarum utinam usus inter nostros, iam rarus admodum, ad antiquam frequentiam, saltem inter scholasticos et fratres coadiutores, revocaretur.

Quae vero superioribus peculiaria sunt, sunt fere sequentia. Considerat Superior,

Quam serio gubernationi animum applicet; quam generose taedia, quae in isto munere vel ex rebus vel ex personis non raro obrepere consueverunt, superet.

An officii sui regulas legat identidem, et quo sensu, quo fructu.

Gubernatio sua sitne *spiritualis, suavis, exacta.*

Spiritualis. Curetne oratione ac bonis desideriis totam domum seu collegium velut umeris quibusdam sustinere; habeatne semper ob oculos finem vocationis nostrae, omisso privato quolibet sensu vel affectu; et an ex hoc spiritu gubernare nostros studeat, non rationibus humanis aut politica quadam prudentia. An praeclara illa, quae in Instituto habemus de *exsecutione, de curandis animi morbis,* etc. teneat mente, vel certe consulat ubi opus est, et opportune adhibeat.

Suavis. An curet forma gregis esse ex animo, vitata omni specie dominationis, vel affectatae gravitatis seu auctoritatis affectatae. An subditos, non patres modo, sed omnes, etiam fratres coadiutores, nam et hi *fratres* sunt nostri, benigne excipere, benigne audire, benigne alloqui soleat. An in reprehendendis vel puniendis defectibus modum et ordinem servet in regulis praescriptum. An officialium munera non usurpet ipse sibi, ac si velit ipse per se agere omnia. An consultores audiat libenter, et in rebus decernendis non ita proprio sensu ducatur, ut consultorum sententias solum veluti pro forma, ut aiunt, exquirere videatur.

Exacta. An non sit nimium amans pacis suae, malitque potius ignorare suorum defectus quam illis debitis remediis occurrere. An quae minora videntur in ordine domestico, in religiosa disciplina defectus, non parvi faciat, sinens ita sterni viam ad graviora. An *considerationi* superioribus praescriptae tempus suum ac studium tribuat, quae quidem vel sola orationi coniuncta optimum in Societate superiorem efformaret.

Iuverit denique legere et meditari, et saepe mente revolvere Ecclesiastici cap. 32. primos praesertim versiculos.

Et haec quidem paucis innuisse sufficiat.

EPISTOLA
R. P. N. IOANNIS ROOTHAAN
AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS

De Societatis progressu et periculis

Scripturo de Societatis progressu et periculis

1. Quod iam dudum meditabar, Patres ac Fratres carissimi, quodque ob temporis angustias nimis iam diu distulisse mihi videor, id nunc tandem, confectis postremae Congregationis triennalis negotiis, et patribus provinciarum procuratoribus ab Urbe dimissis (quamvis etiam nunc parum aut nihil otii suppetat), exsequi tamen omnino neque ultra differre statui; ut aliquid scilicet litterarum darem ad universam Societatem, quibus sensa mea de Societatis felici progressu cum omnibus vobis communicarem, et quae in hac nostra quotannis crescente familia mihi animo obversantur pericula timenda indicarem, quo ab illis diligentius nobis cavere, Deo adiuvante, coniunctis studiis ac viribus conemur.

ipsa eius incrementa eam sollicitudinem creant,

2. Cum enim videam, utique non sine solacio, hisce postremis annis Societatem incrementa cepisse et capere in dies non mediocria, maiora certe quam vel desiderare vel sperare ausi essemus, cum sociorum numero tum domibus et operibus non parum auctis et ampliatis, iam dudum magna sollicitudine pro meo munere animum urgeri sentio, ne, dum procedit et crescit Societas, si forte non crescat virtute ac spiritu neque ex constitutionum norma procedat, male illi incrementum, male processus vertat, et aliquando *extrema gaudii luctus occupet.*

Prov. 1. 4. 13.

quam omnibus Sociis communem esse cupit.

3. Quam quidem sollicitudinem meam communem mecum habere omnes nostros vehementer desidero; neque eos tantum, qui seu provinciis, seu collegiis ac domibus praepositi, praecipuo quodam modo in partem sollicitudinis meae vocati sunt, verum omnes omnino, unumquemque pro gradu suo; quoniam

omnes unius corporis membra sumus, cuius sanitas et incrementum, ut omnibus, si tamen viva eius membra sumus, necessario cordi esse debet, ita ab omnium et singulorum procedendi modo certa quadam ratione dependet.

4. Est sane, PP. ac FF. carissimi, quod admiremur divinam clementiam, et ad grati animi sensa dulcissima erga benignissimam Dei misericordiam fovenda excitemur, dum tanta Societatis incrementa in hac temporum nostrorum iniquitate consideramus. Cum enim in tanta rerum publicarum perturbatione, in tanta piorum amicorum multis in locis impotentia et depressione, in tanta adversariorum multitudine et potentia et audacia, miraculi instar videri possit, quod Societas nostra vel subsistat, suisque in sedibus saltem imminuta conservetur, omnem sane spem cogitationemque nostram excedit, quod illam tot inter impedimenta et obstacula progredi neque tardo gressu videamus, crescentem quotannis non exiguo Sociorum numero et multiplici operum ad Dei gloriam susceptorum accessione. Verum haec ipsa incrementa Societatis, ut ex una quidem parte merito nobis solacio sunt, ita ex altera parte curam nostram provocare et sollicitudinem exacuere debent, ne qua in re divinae bonitati nostraeque vocationi desimus. Mihi quidem certe ex his tantis Societatis, hisce praesertim temporibus, incrementis, timorem exoriri fateor (est enim amor timore plenus), ac timorem multiplicem. Plura enim mihi ex tam rapidis progressionibus pericula, nisi diligenter caveamus, et gravia sane pericula imminere posse existimo.

Tanta enim illa sunt, ut ex ipsis oriatur timor multiplex:

Scilicet:

5. Ac primum quod occurrit periculum mihi magnopere timendum, illud est ne, sive ut tot ac tanta iam suscepta opera sustentemus, sive ut nova quae multis in locis offeruntur ac fere importune obtruduntur suscipiamus, cogamur quodammodo vel inviti faciliorem reddere petentibus quibuscumque Societatis ingressum, ac pluribus aliquando pateat porta, quibus clausa esse deberet. Profecto si susciperentur inepti vel indigni, et ita suscepti retinerentur, et retenti ad vota post biennium nuncupanda, quantumvis exigua spe profectus, admitterentur, nemo non videt qualis brevi tempore in Societate colligenda foret quam S. Pater vocat hominum *turba,* quamque ille nullo modo ei convenire declarat; futura scilicet ad confundendam et perturbandam, non ad iuvandam et promovendam Societatem. Etenim si vel ipsa hominum quorumcumque, etiam optimorum, multitudo incommodis carere non potest, cum semper, qualescumque simus, homines simus et *filii hominum,* quorum quisque humanum nihil a se alienum esse existimet necesse est, atque adeo defectus et miserias, naturae nostrae labili ac fragili inhaerentes, pro multitudine hominum multiplicari

1º Ne sine delectu admittantur candidati,

vel inepti, vel indigni,

cum summo detrimento, tum Societatis,

necessitate quadam pronum est, quid fieret, si nec delectus ille haberetur quem constitutiones requirunt, et numerum facere plus aequo cordi esset? scilicet impedimenta, non adiumenta conquirere dicendi essemus; cum non raro vel unus non recte ambulans multorum bene progredientium profectum vel prorsus impediat, vel certe multum retardet. Neque omittam illud etiam detrimentum animadvertere, quod ex nimia hac facilitate timendum merito est, quod scilicet ex aliquorum, qui tanta vocatione indigni vel ad eam inepti sunt, admissione, fieri facile potest ut alii, qui ad Societatem vere vocati se sentiant essentque aptissimi, ab eadem petenda absterreantur, quum merito ex iis quae vident dubitare incipiant, an Societas vere etiam nunc ea sit quam Ignatius condidit, qui magnum haberi delectum in admittendo volebat, magnosque enimvero et generosos animos ad hanc suam militiam postulabat.

quod praecipue Nostris cavendum;

6. Ergo non praepositos modo Provinciales, Rectores, et Noviciorum Magistros, sed et quotquot vel consultores vel examinatores sunt candidatorum, et confessarios, et omnes omnino nostros (quoniam nemo fere est, cui non aliquando aliquis suum Societatis ingrediendae desiderium manifestet), omnes inquam, etiam atque etiam monendos existimo ne mox veluti invento thesauro gaudeant; sed videant in primis an ille qui Societatem postulat, talis sit qui eidem ad maiorem Dei gloriam vere utilis esse possit ac velit, et praesertim an ad virtutis perfectae stadium ingrediendum animo sit bene dispositus et comparatus. Qua in re nemo se umquam decipi sinat falsa caritatis specie, quod utile futurum videatur ei, qui petit, admitti. Non solum enim caritas erga Societatem, utpote universalior, particulari huic longe anteire debet, sed experientia etiam constat, ne illorum quidem ipsorum plerumque qui non recte dispositi admittuntur, verum procurari bonum, quando illi serius ocius, ingenti suo non minus quam Societatis damno, Societatem ultro deserunt aut inviti deserere cogendi sunt.

tum illorum ipsorum qui sic admittuntur.

2º Ne ad munera Societatis adhibeantur Nostri non formati,

7. Alterum periculum priori affine ex operum multitudine, tristi sane necessitate, enasci video, quod scilicet, ut illis susceptis suscipiendisque quomodocumque satisfiat, adhibendi non raro sint ante tempus aliqui, et fortasse non pauci, qui necdum satis ad vitam nostram informati sint. Quod certe ubi fiat, versabuntur illi in gravissimis Societatis ministeriis cum suarum animarum ipsiusque vocationis amittendae discrimine, et Societatis incomparabili detrimento, et famae apud externos, et gloriae Dei et salutis animarum iactura. Ita scilicet multa dum fient, saepe non multum fiet, quod ad tot ac tantas res gerendas nec animorum praeparatio nec vires sufficiant.

8. Atque utinam, Patres Fratresque carissimi, utinam haec quae attigi pericula, quibusdam in locis solum cavenda pericula dicenda essent, nec potius detrimenta iam ex parte suscepta et lugenda! Etenim si ex tot tantorumque operum et operarum multiplici labore, multis in locis fructus colligi non paenitendos magno animi nostri solacio videmus, non desunt tamen alicubi, qui suis in officiis, seu superiores seu subditi, non illam ponant industriam et sollicitudinem, non illa virtutis solidae documenta exhibeant, quae in Societatis hominibus et Deus et mundus ipse exspectat; qui quae in regulis seu communibus omnium seu propriorum officiorum praescripta sunt, vel non satis cognoscere vel non satis cordi habere videantur; non desunt fortassis aliqui operarii minime *inconfusibiles,* qui ab illis, quos reprehendit Apostolus, parum solliciti se discernere, *quae sua sunt* magis quam *quae Iesu Christi quaerere* videantur; qui ferme, quae placent libenter quidem suscipiant, quae minime placent aversentur, declinent, studiose variisque artibus ubi tale quid incidat sese excusent, et fortasse aliquando, cum *nolle* se dicere vel non audeant vel erubescant, *non posse* se simulate etiam dolentes conquerantur. At his postremis, si qui essent, equidem illa gravissima Sancti Spiritus verba seria meditatione ponderanda proponerem: *Si dixeris: vires non suppetunt; qui inspector est cordis, ipse intellegit, et servatorem animae tuae nihil fallit; reddetque homini iuxta opera sua.* O Patres mei Fratresque carissimi, quantum erubescere nos et confundi et humiliari necesse est, dum ista cogitamus; et simul quid supremus dux et caput Societatis Christus Iesus, quid post eum Societatis conditor Ignatius, quid patrum nostrorum exempla ab Societatis hominibus postulent ac iure suo requirant, consideremus. *Filii* enim *Sanctorum sumus!* Ne, quaeso, ne quisquam nostrum sibi de se rebusque suis placeat, sed an Deo et Christo, an Ignatio Patri, totque eius dignis olim in terra filiis, in caelo nunc sociis, sua placeant, frequenter cogitet et meditetur, seque ad meliora semper aemulanda, cum divina gratia, excitet atque inflammet.

ut iam fortasse magno cum Societatis damno accidit,

2. Tim. 2. 15.

Philip. 2. 21.

reparabili tamen si, qui tales sunt, se ipsi excitent.

Prov. 59, 21.

Tob. 2. 18. et 8. 5.

9. Et quoniam sermo incidit de defectu promptitudinis oboedientiae, quae, ut omnes novimus, in Societate virtus est characteristica, qua totum eius corpus continetur et qua omnium nostrum, non subditorum modo, verum etiam superiorum quorumcumque, etiam Praepositi Generalis, vita omnis et actio consistit et regitur, aliud periculum, quod sane gravissimum hac in parte, ex praesentium temporum vel calamitate vel insania, impendere Societati, nisi multum vigilemus, video, non possum non indicare.

3° Ne in Societatem introeat spiritus libertatis et independentiae,

a postrema Congregatione generali notatus,

10. Qualis sit hac nostra aetate dominans in mundo spiritus, nemo est qui ignoret. Ille nimirum spiritus, de quo postrema Congregatio generalis Decr. XXVII. superiores omnes etiam atque etiam monendos existimavit: *ut mundi spiritum,* inquit, *qui superbiae spiritus est, omnis subiectionis impatiens, undique, his praesertim temporibus, irrumpentem, omni conatu a nostrorum animis arceant ac repellant; eique spiritum nostri Instituti, qui praecipue in humilitate et oboedientia consistit, strenue opponant.*

qui iam in mundo vel a pueritia omnes inficit,

11. Enimvero spiritum istum *libertatis* seu potius licentiae et *independentiae* ita mentes hominum, summorum, infimorum, omnisque adeo aetatis occupasse videmus, ut vel in pueritia plerique iam hac veluti peste afflati appareant. Talis namque miserando fato esse non raro solet prima domestica educatio, quo in illa tenera aetate puer proterviorem se et impudentiorem exhibet, eo ingeniosior, eo amabilior ab imprudentibus parentibus laudari et celebrari consuevit. Itaque adulescentes et iuvenes, praeceptorum suorum ac moderatorum dicta, facta, discutere, iudicare, condemnare, parati semper. Provectiores aetate, etiam inscitissimi quique et de vulgo homines, de rebus publicis, sacris, profanis cognoscere, deque illis disceptare, et supremos etiam magistratus, etiam praesules et pastores Ecclesiae libere carpere, non modo vitio sibi minime vertunt, sed hoc sibi velut suo iure usurpant.

in cuius aura et nos vivere cogimur,

12. Iam vero in hac eadem, ita dixerim, atmosphaera licentiae et dissolutionis etiam nos vivimus; hanc eandem auram *independentiae* etiam nos haurimus ac respiramus. Quam ergo timendum, ne nostrorum etiam animos aliquando commune hoc malum inficiat! Quod si accidat umquam quomodo stabit salvaque manebit inter nos religiosa oboedientia? Quicumque ad nos accedunt Societati nomen daturi, ex hoc mundo, qualis nunc est, ad nos veniant necesse est. Quam vero difficile, ut quem a teneris unguiculis habitum contraxerunt, maiores suos eorumque dicta factaque omnia examinandi ac diiudicandi pro libitu, cum Societatem ingressi deponant, nisi virtute et generosa sui victoria veterem consuetudinem et naturam edomantes, alia prorsus, non iam mundi, sed evangelii sensa concipiant.

et qui propterea nimium facile serpit inter nostros iuvenes,

13. Gravissimum profecto hinc periculum Societati eiusque vero ac genuino spiritui imminere, nemo non videt. Et vero iam non nullae aliquando auditae querelae de isto spiritu *libertatis* et *independentiae* inter iuvenes praesertim nostros serpente, quorum aliqui superiorum suorum dispositiones in colloquium inducere, ad crisim revocare, libere improbare non vereantur. Qui si forte in studiis litterarum, in librorum delectu, in scientiarum tractatione, non praescriptam studiorum nostrorum ra-

tionem, non traditam a professoribus et moderatoribus normam, sed suum ingenium propriamque libidinem, perinde ac si lege nulla aut regula astricti essent, sequi ratione aliqua sinantur, unice bonum sibi beatumque putent; qui altius etiam assurgentes, non quae ad se ipsos tantum, sed et quae ad collegii in quo degunt, ad provinciae, ad universae etiam Societatis gubernationem pertinent, incredibiliter sibi sapientes, discutiant iam et diiudicent. Quid, quaeso, Patres Fratresque carissimi, quid fiat de Societatis oboedientia, si (quod avertat Deus) pestilens iste spiritus inter nos invalescat? quid de Societate fiat universa, si talem spiritum retinentes ac foventes iuvenes nostri scholastici, hoc animati, ad sacerdotium, ad gradum, ad professionem ascendant, ad Societatis ministeria, in scholis, in cathedris, in gubernatione etiam aliquando adhibendi? Agent scilicet istiusmodi homines in officiis sibi demandandis, in ministeriis, non iam ex regularum praescripto, non *iuxta proprium modum nostri Instituti,* ut constitutiones et regulae loquuntur, sed nimirum *modo* quisque *suo; suo modo* docebunt, *modo suo* et contionabuntur et sacras missiones obibunt. Quod si quando istorum aliquis etiam ad gubernandum admoveatur, gubernabit scilicet domum sibi commissam *modo suo, suo modo* administrabit omnia; spiritualia, litteraria, temporalia, omnia pro ingenio mutabit, destruet, aedificabit; aget ut dominus, non ut superior religiosus, cui certa agendi norma praescripta in Instituto sit, qui et ipse *sub potestate* sit *constitutus,* ut oboediens ipse oboedientiam exigat, cui consultores additi sint quorum consiliis iuvetur; sed ipse sibi scilicet et consilium erit et institutum et omnia.

cum subversione spiritus oboedientiae,

Math. 8. 9.

14. Ergo omnes moneo et adhortor et per Christi Iesu viscera obtestor ut invigilemus nobis et Societati, et caveamus sollicitudine quanta possumus maxima, quisque pro gradu et condicione sua, a malo teterrimo, quod vel solum, si mundi iste spiritus inter nos serpere sineretur, si cresceret, si quod avertat Deus! praevaleret umquam, ad nos perdendos et ad Societatem funditus evertendam sufficeret.

et totius Societatis pernicie.

15. Iuverit meminisse, PP. ac FF. carissimi, Societatis vocationem ad instar militiae esse et militiae propriam condicionem recordari. Videte, quaeso, etiam hoc ipso tempore quo ea quam dicunt *libertas* et *independentia* tanto in honore est, et ipsarum rerum publicarum quarundam veluti fundamentum et praesidium habetur, videte, ut in illis etiam regionibus ubi maxime homines his nominibus gloriantur, in militia tamen eam nec admittunt umquam nec admittere possunt; ut in pace aeque ac in bello, qui militiam sequuntur, seu sponte sua seu coacti milites, omnes, summi, infimi, duces non minus quam gregales,

Quae cum instar militiae sit, militum potius necessariam oboedientiam aemulari debet,

oboedientiam servare, oboedientia contineri et regi pergunt. Itaque istos non obaudivisse dicto, imperium detrectasse, vel etiam illud discutere voluisse, grande piaculum, delictum capitale semper habitum fuit et habetur et habebitur necessario semper.

praesertim cum simus milites voluntarii Christi ducis.

16. Iam quid nos, qui non qualescumque et quomodocumque humana condicione milites sumus, sed vocatione divina nostraque libera electione, summo Dei beneficio, *milites Christi* sumus, et *sub Christi vexillo Deo militamus,* quid nos, inquam, de oboedientia sentire par est? Ergo vexillum hoc nostrum perpetuo nos oboedientiae admoneat, quippe qui ducem sequamur Christum, *qui factus est pro nobis oboediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Hoc, inquam, *Christi vexillum* oboedientiae nobis necessitatem absolutam persuadeat, et quam turpe, quam probrosum nobis sit, quam universae huic Christi cohorti perniciosum in oboedientia nos deficere intellegamus.

Philip. 2. 8.

Haec interna pericula si vitabimus, adeo non dolendum erit de externis,

17. Venio denique ad alia pericula, alterius plane generis, extra nos et extra Societatem posita, ad pericula scilicet persecutionum et eversionum, quae aliquibus in provinciis, hoc ipso tempore quo haec scribo, extrema omnia Societati minantur. Hic vero ego, PP. ac FF. carissimi, in primis fateor libenter, mihi quidem nullum maius solacium in hoc meo munere reperiri, quam cum video perdurare semper et magis etiam in dies exardescere hominum impiorum in Societatem inimicitias et odia et furores. Quid enim? parcite mihi; dicam enim quod sentio, et spero equidem absque cuiusquam offensione. Mihi in hoc meo munere satisfactum esse, fieri non potest ut dicam umquam aut cogitem. In iis enim quae recte per nostros geruntur (et geruntur sane non pauca et passim per orbem fere universum), non nisi debitum denique nostrum explere censendi sumus, *servi* semper *inutiles;* at vero quae minus recte habent, quaeque mihi, prae quocumque alio in Societate, aut ignorare aut non considerare pro officii debito non licet, ea animum pungant semper et excrucient necesse est, quod longe semper nos abesse videam ab ea perfectionis forma pulcherrima, quae nobis a sancto parente nostro, ad nobilissimum vocationis nostrae finem consequendum, ad maiorem Dei gloriam per nostram propriam perfectionem et proximorum salutem propagandam, proposita est. Itaque multa semper mihi desideranda relinquuntur, semperque dolendum est et gemendum, dolendumque etiam porro fore intellego et gemendum, dum vivam. *Ante te,* Domine, *omne desiderium meum, et gemitus meus a te non est absconditus. Propter Sion non tacebo, et propter Ierusalem non quiescam.* Haec est et esse debebit mea perpetua ad Deum oratio.

ut, quamvis lugeamus imperfectum nostrum,

Luc. 17. 10.

Ps. 37. 10.

Is. 62. 1.

18. Verumtamen cum haec inter Societatem videam a Christi Deique et Ecclesiae hostibus ita semper impeti et oppugnari, ut in illam primum semper insurgant, illam sibi disturbandam, disiciendam, disperdendam, evertendam etiam funditus, si daretur, existiment, animos addi mihi maerenti sentio, et intellego minimam hanc nostram infirmam licet et imperfectam Societatem, esse tamen veram nunc Ignatii Patris filiam, in qua scilicet patrum nostrorum, si minus opera at spiritum certe vel ipsi adversarii agnoscant et reformident. Undenam alioqui, Deus bone! ita ego tacitus mecum, undenam ob paucorum religiosorum hominum adventum vel praesentiam tanti timores, tales tantaeque tragoediae? quorsum illud tam indefessum impiorum hominum studium, tantus labor, tanta opera impensa, ut in tot cotidie libellis et ephemeridibus declamationes et calumniae in Societatem ad nauseam usque repetantur et novis coloribus inducantur? Hoc certe magnum mihi solacium, haec singularis gloria nostra coram Deo, Patres Fratresque carissimi, hoc divini favoris in nos documentum videtur certissimum et argumentum, quod per eius misericordiam nos etiam hisce temporibus non sumus de mundo. *Si* enim *de mundo fuissetis,* inquit Dominus, *mundus quod suum erat diligeret; quia vero de mundo non estis, propterea odit vos mundus.* Ceterum, ne mundi minas et odia nimium timeamus, illud etiam adiungit: *confidite, ego vici mundum.* Quae verba fiduciae plena cum illa ipsa nocte protulerit, qua iamiam ad passionem et ad mortem ibat, quid, quaeso, sub eius vexillo timendum cui vel crucifigi et mori vicisse fuit?

ex iis ipsis confidere possimus, nos etiamnum veros esse Iesu socios.

Joan. 15. 19.

Joan. 16. 33.

19. Sed quia in hisce externis periculis quaedam etiam sunt nostrarum partium, haec ego paucis vobis proponere, et his finem dare huic epistolae constitui.

In quibus periculis nostrarum partium est,

20. Valida itaque tempestas irruit in nos variis in provinciis, est *enim* nobis *contrarius ventus.* Videamus, quaeso, quid olim Christi discipuli fecerint, cum ventis adversis et procellae fluctibus eorum navicula iactaretur. In iis enim, quae ipsi fecerunt, fere contineri video quae mihi videntur potissimum his in adiunctis commendanda.

imitari Christi discipulos adversis fluctibus iactatos in navicula,

Matt. 14. 24.

21. Primum, quod omnes ubique nautas naturalis prudentia docuit, vela certe collegerunt discipuli, ne ventis furentibus exposita navem vel everterent vel in scopulos, in litora confringendam conicerent. — Hanc ego prudentiam ita imitari debere nostros existimo, ut tempestatibus iactati calumniandi materiam adversariis, quantum salvo officio fieri potest, subtrahant, caveantque ne quam praebeant causam adversariis vel praetextum, acrius Societatem et aliqua iuris specie impugnandi. Enimvero incredibile est quam oculati sint adversarii nostri in rebus

1° colligendo vela per prudentiam in agendo;

nostris omnibus et actionibus observandis, quin etiam vias investigant explorandi quid vel in familiari sermone a nobis forte proferatur, ut si qua detur quamcumque mali speciem arripiant et occasionem sumant vehementius in nos insurgendi. Quod si annales nostros consulimus, paucas fortasse inveniemus Societatis clades graviores, in quibus non aliqua alicuius e nostris imprudentia memoretur, quae quamvis plerumque sine culpa, ansam tamen aliquam vel praetextum aliquem praebuisse malevolis videatur. Aliquando certe vel unius hominis minime mali, sed imprudentis, dictum aut factum Societati damna gravissima intulit, cum detrimento utique gloriae divinae et salutis animarum irreparabili. Scilicet, si quid ab aliquo imprudenter agatur, recta intentio excusationem quidem habere poterit apud Deum, sed tristes imprudentiae effectus neque impedire bonus animus neque tollere potest. Ergo *provideamus bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus; quoniam dies mali sunt; ab omni specie mala,* in dictis, in factis, *abstineamus nos, ut qui ex adverso est vereatur, nihil habens malum dicere de nobis,* nihil saltem quod verum sit aut veritatis speciem habeat, quantum fieri potest; ut dum *omne malum dicant adversum nos, mentientes* dicant quem ad modum Christus ait, ubi in persecutionibus ferendis beatitudinis summam constituit. Zelum ipsum discretione temperemus. *Caritas Christi urget nos,* inquit Apostolus, quae quidem verba, tantum abest ut zelum quemvis etiam indiscretum suadeant, ut potius, si proprium graeci textus verbum, quo Apostolus usus est, consideremus, frena zelo adhibenda esse doceant, pro rerum, hominum, temporumque ratione, modo laxanda scilicet modo contrahenda. Illud certe tenendum, ut zelum quisque exercere studeat, non qualemcumque sed *secundum scientiam;* maximeque superiorum consiliis regi se ac dirigi sinat, qui non immerito latina voce *moderatores* dicuntur, quorum sit modum ponere suis eorumque zelum moderari, et vel exstimulare vel coercere, ut non modo ne parum fiat, sed etiam ne quid nimis.

Rom. 12. 17. — Ephes. 5. 16. — 1. Thess. 5. 21. — Tit. 2. 8. — Matth. 5. 11. — 2. Cor. 5. 14. — Rom. 10. 2.

2° coniunctis viribus remigando per caritatem;

22. Alterum quod in tempestate discipuli fecerunt, illud est, ut maxime coniunctis viribus communem salutem procurare sategerint. Certe si aliquando orta fuit *contentio* inter illos, homines imperfectos, conquirentes inter se ac disceptantes *quis eorum videretur esse maior,* contentionis locus in iactata nave non fuit, ubi de omnium salute agebatur. — Ita, Patres Fratresque carissimi, externae impugnationes intimae inter nos unionis vinculum artius astringant necesse est. Et beata sane tempestas, cuius fructus exsistat perfectior inter nos caritas! Si umquam alias, his temporibus maxime *idem sapiamus, idem*

Luc. 22. 24. — Philip. 2. 2. et 3. 16.

dicamus omnes, ut nobis ex Apostoli verbis Sanctus Pater Noster commendat, et quo magis extrinsecus impetimur, eo magis nobis invicem adhaereamus coniuncti. Nihil ad sustinendos sine damno nostro adversariorum impetus opportunius, nihil ad nostrum solacium in adversis efficacius, nihil ad salutem et victoriam obtinendam potentius; ut contra nihil ad augenda pericula nostra funestius, nihil inimicis nostris optabilius quam animorum aliqua inter nostros ipsos dissensio. *Divisum est cor eorum, nunc interibunt,* exsultantium inimicorum vox est. Contra, *Frater,* inquit Sapiens, *qui adiuvatur a fratre, quasi civitas firma.* Quod si vel duo soli intime coniuncti urbi munitae et inexpugnabili comparantur, quid de tam multis in una domo, in una provincia, in una Societate artissimo caritatis Christi vinculo unitis non sperandum?

Osee. 10. 2. *Prov. 18. 19.*

3° laborando remis per humilitatem;

23. Tertium est, quod fluctibus iactati discipuli, cum ventorum impetu non modo provehi non possent, sed illos declinare quantum poterant cogerentur, *laboraverint in remigando;* ministerio scilicet maxime laborioso et humili insudabant. — Et nos, Patres ac Fratres carissimi, ubi ad adversariis nos gravius vexari, fors etiam impediri a celebrioribus ministeriis contingant, labori pro animarum salute nihilo minus insistamus humiliter; bene mereri de omnibus, de pauperibus praesertim et miserabilibus hominibus, alacri studio curemus; humiliora minusque speciosa ministeria libenter admittamus et exerceamus strenue; et quoniam immortalis memoriae Pius VII, cum Societatem restitueret, eius homines *validos fore remiges* speravit, videamus ut ne spes tantas frustremus. Nulla melior, nulla eloquentior dicteriorum omnium et contumeliarum et calumniarum quae in Societatem iactantur confutatio, quam quae factis, rebus inquam bene gestis, optime de omnibus etiam inimicis merendo conficitur.

Marc. 6. 48.

4° excitando et desiderando Magistrum per fiducialem orationem.

24. Denique discipuli, in tanta necessitate constituti, Dominum ac Magistrum suum, vel puppi dormientem excitantes, vel in monte procul absentem desiderantes votisque omnibus vocantes, a quo etiam nonnisi coacti discesserant, ab ipso salutem exspectarunt et consecuti sunt. — Eadem ratione nos, Patres Fratresque carissimi, prudenter agentes, caritate invicem coniuncti, et pro opportunitate proque viribus humiliter ac strenue laborantes, fiduciam nostram omnem collocemus in Domino, *qui potens est; qui a tantis periculis* Societatem *eripuit et eruit; in quo speramus quoniam et adhuc eripiet.* Ille licet obdormiscere interdum videatur, reipsa tamen *non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israël.* Licet aliquando se abscondat et procul abesse videatur, tamen invocatus prece humili, *in tempore opportuno dicet: ecce adsum. Confidite et nolite*

Luc. 1. 49. *2. Cor. 1. 10.* *Ps. 120. 4.* *Ps. 31. 6.*

Is. 58. 9. Marc. 6. 50. Ps. 26. 1.

timere. Dominus illuminatio nostra et salus nostra, quem timebimus? Dominus protector vitae nostrae, a quo trepidabimus?

Conclusio.

25. Igitur, Patres Fratresque carissimi, quae nostrarum sunt partium diligenter agamus. Interna illa quae supra commemoravi pericula caveamus, et externa haec non erit quod nimium formidemus, *quia nulla nobis nocebit adversitas, si nulla nobis dominetur iniquitas.* Veri ac genuini simus Patris Ignatii et Societatis Iesu filii, vel certe tales esse omni cura, omni etiam nostri ipsorum victoria conemur. Deo nos et Christo toto corde, non verbis aut sterili affectu, sed vere, sed generose, animo, voluntate, vita et factis vocatione nostra dignis, cotidie afferamus. *Probemus* corda nostra, *nosmet ipsos tentemus,* iuxta Apostolum. *Quis nos separabit a caritate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio?... In his omnibus superamus, propter eum, qui dilexit nos.* Haec si vere, si ex animo dixerimus, Christi Iesu si vere fuerimus, dicemus cum fiducia quod discipuli in mari: *Domine non est tibi curae, quia perimus?* Et unusquisque nostrum pro se fidenter ingeminabit: *O Domine quia ego servus tuus, ego servus tuus, et filius ancillae tuae. — Tuus sum ego, salvum me fac.* Et vero salvos faciet suos benignissimus Iesus, et *exsurgens imperabit vento et mari, et fiet tranquillitas magna,* ac tandem in suo obsequio modicum aliquantulum iactatos et exercitatos in portum beatae aeternitatis deducet. Amen.

2. Cor. 13. 5. Rom. 8. 35. Luc. 10. 40. Marc. 4. 38. Ps. 115. 16. Ps. 118. 94. Matth. 8. 26.

Omnium Vestrum Sacrificiis et Orationibus me impense commendo.

Romae, XXIX Ianuarii, MDCCCXLV.

Omnium servus in Christo,
IOANNES ROOTHAAN.

EPISTOLA
R. P. N. IOANNIS ROOTHAAN
AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS

De praesenti calamitate

In praesenti calamitate afferenda solacia et hortamenta.

1. Sub anni huius initium, cum ad universam Societatem de felicibus eius incrementis scriberem, pericula simul quae provinciis quibusdam imminere videbantur haud obscure indicabam, Patres Fratresque carissimi. Nunc vero, cum iam non pericula solum, sed damna non levia sane subeant provinciae

Galliae, quae florere maxime coeperant, et operibus ac fructibus zeli non in Europa modo, sed et in Asia et in America et in Africa tam bene de Ecclesia deque animarum salute merentur, non possum quin omnes vos iterum alloquar, quo non solum animos omnium in partem vocem illius quam illi carissimi fratres nostri patiuntur calamitatis, sed etiam quae consolari possint afferam, et simul ea omnibus addam hortamenta, quae si pronis animis excepta in opus deducantur, et praesentibus malis remedium afferri et maiora posse praecaveri spero et confido in Domino. *Fidelis* enim *Deus,* qui, modo nos ipsi fideles fuerimus, *non patietur* nos *tentari supra id quod* possumus, *sed faciet etiam cum tentatione proventum.* *1. Cor. 10. 13.*

2. Et solacio quidem merito esse omnibus debet, quod Sanctissimus Dominus noster, qui Societati se amantissimum parentem exhibere non cessat, quantumvis importunis precibus sollicitatus et incredibiliter pressus, nihil tamen eorum quae in Societatis Gallicae damnum ac perniciem instantissime postulabantur concesserit; immo vero diserte negaverit se ullo pacto auctoritatem suam interponere aut posse aut velle in Societatis destructionem, quam scilicet auctoritatem nonnisi in aedificationem se habere omnem sanctissime profitebatur. Neque vero alia fuit omnium Patrum Cardinalium, qui in consilium vocati fuerunt, sententia. Quod si nihilo minus quaedam capta fuere consilia, quae sine gravibus quidem incommodis executioni mandari non possunt, et ipsa tamen ex sincero amore Societatis eiusque in Gallia conservandae studio unice profecta fuisse certo constat. Visum fuit scilicet prudentiae esse ac discretionis, ut in tanta tempestate nostri in Gallia aliquorum commodorum iacturam facerent, quo naufragium quod minitari videbatur effugerent. Itaque consiliis ducti, quibus nostris hominibus repugnare nefas est, sponte ea sustinent religioso obsequio, ad quae ferenda vix ac fortasse ne vix quidem cogi potuissent inviti.

Solacio sunt Ecclesiae praesidum amor in Soc. et prudentia,

3. Atque hoc religiosae oboedientiae, Ignatianae scilicet virtutis, documentum, quod nostri in Gallia praebent, non minimum est etiam solacii simulque optimae spei haud inane fundamentum. Cum enim prudentia, ex Sancti Patris nostri sententia, non eorum sit qui iussa faciunt sed eius qui imperat, profecto quo gravior res est, de qua agitur, et quo maior est iudiciorum de re quae in deliberationem venit discrepantia, eo procul dubio maius est religiosi obsequii meritum apud Deum, cuius scilicet voluntatem ita manifestatam, quantumvis grave nobis accidat, amplectimur. Quod ubi facimus, illa Dei ac Domini nostri *fidelissima caritas,* ut idem Pater noster loquitur, certissime diligentibus se omnia, etiam quae maxime videntur

et Sociorum in Gallia religiosum obsequium.

mala, in bonum convertet, et faciet de tenebris lucem splendescere, famulosque suos per vias etiam obliquas, etiam contrarias, deducet ad finem maioris gloriae suae. *Cogitationes* quidem *mortalium timidae, et incertae providentiae nostrae;* at Patris caelestis *providentia gubernat* universa, *attingens a fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter.* Cui cum nostri in Gallia socii in re praesenti oboedientes sese committant, est profecto quo bene sperent et confidant, pervulgato Spiritus Sancti promisso innixi: *Vir oboediens loquetur victoriam.*

Sap. 9. 14. — *Ib. 14. 3.* — *Ib. 8. 1.* — *Prov. 21. 28.*

Hortandi autem sumus:

4. Iam quid porro et illis et nobis agendum maxime existimem accipite.

1. Pet. 5. 6.

1° Ut humiliemur sub manu Dei;

In primis illud Petri praeceptum: *Humiliamini sub potenti manu Dei,* nobis dictum hoc maxime tempore putandum est. Neque enim nos decet, homines Deo deditos et religiosis praeceptis institutos, ita adversariorum odiis eorumque artibus et machinationibus ea quae nobis eveniunt tribuere, ut a causis secundis non continuo ad causam primam, ad Deum, sub quo et in quo et illi et nos *vivimus et movemur et sumus,* usque et usque oculos convertamus. *Si erit malum in civitate,* ait Propheta, *quod Dominus non fecerit?* Ergo Dei manum in omni adversitate cernamus et adoremus et sub illa humiliemur necesse est.

Act. 17. 28. — *Amos 3. 6.*

quod, iam saepe commendatum,

5. Ita, Patres mei Fratresque carissimi, humiliemur, inquam, necesse est. Quod enim in primis ipsis, quas sub huius muneris mei initia dabam ad Societatem, litteris instantissime commendavi, quod saepius deinceps, immo semper fere repetivi, id nunc maxime inculcandum et instantius quam umquam censeo. *Eadem,* dicam cum Apostolo, *eadem vobis scribere, mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium.*

Philip. 3. 1.

etiamnum aliquibus certe inculcandum est,

7. Video enim et animadverto semper aliquos e nostris hoc monito indigere. Dum enim alii Societatis filii, qui multa praeclara agunt, ubi fructus uberes laborum suorum colligunt, verae virtutis studiosi Petrum in illa mirabili piscatione stupentem imitantur, et ex animo, ut par est, ingeminant: *Exi a me, Domine, quia homo peccator sum:* alii interdum, qua nescio vanitate dicam an stultitia, sibi nihil non deberi honoris et existimationis putant, eo solum nomine quod de Societate sint, quamvis ipsi fortasse vix non otiosi ac desides. Videntur, qui tales sunt, gloriam *Socii Iesu* solam adamare, onera vero huius tanti nominis refugere, nec meminisse, in celebri illa visione S. Patri nostro supplicanti ut cum sociis admitti in Iesu Societatem mereretur, Iesum *cruce onustum* apparuisse, precibusque Ignatii, *ita ut erat cum cruce,* annuisse: quo intellegeremus, in hac quidem vita in *Socii Iesu* nomine non gloriam,

Luc. 5. 8.

qui frustra Soc. gloriam sibi arrogant,

non honorem, sed crucem, sed labores nobis propositos esse debere. Verum hominibus in solida virtute parum confirmatis omnia, etiam optima quaeque et sanctissima, in vanitatis ac spiritualis cuiusdam superbiae pabulum convertuntur.

7. Equidem et maiorum nostrorum virtutes, et praeclare etiam sociorum nostri temporis facta, et piorum hominum in Societatem benevolentiam, et improborum odia, vexationes, persecutiones, Societati decori esse et honori maximo, et ego sentio atque haec grato erga Deum animo saepe recolere ad solacium gestio. Sed tamen, nisi caveamus nobis et apostolici effati meminerimus: *Qui gloriatur, in Domino glorietur; non enim qui se ipsum commendat, ille probatus est;* nisi ex alienis bonis ipsi tanto magis humiliemur in nobis, ex bonis illis facile mala nobis et universae Societati culpa nostra parabimus.

grato quidem animo memorandam,

2. Cor. 10. 17.

8. An vero, ita saepe ego mecum dum ista cogito et pertimesco, an fieri potest ut deesse nobis putemus quo humiliemur? Quid? patrum nostrorum gloria filios inflabit, tantorum tantillos? Bonorum aestimatio, impiorum odia? ast utrique in nobis spiritum Societatis inesse existimant. Hunc illi amant, hi oderunt; qui si desit in nobis (deerit autem profecto, ubi deerit vera et sincera humilitas), pro amore illorum, pro horum odio, contemptum scilicet utrorumque merebimur.

sed humilitate conservandam;

9. Deus bone! quantum confundi nos et humiliari, si vel parum sapimus, necesse est, si quae nostra a nobis vocatio postulat, si quae forma vitae nobis in constitutionibus patrumque exemplis proposita est, cum iis quae in nobis reperimus, ubi tamen aliquando in nosmet ipsos descendimus nosque non dissimulanter inspicimus, conferamus? Ubi, ita ego mecum, ubi in me inque aliis mei similibus, illud erga Deum orationis assiduae intimaeque cum eo communicationis studium ardens? Ubi erga proximum zelus indefessus, incommodorum non patiens modo sed amans, et in ea libentius opera effusus, maxime ubi sic postulet oboedientia, quae minus habeant speciosi apud homines? Ubi erga nos ipsos, humilitatis vel, ut rectius dicam, humiliationis amor et paupertatis et mortificationis et omnis crucis Christi? Atque haec erat patrum nostrorum gloria; haec sola nostra esse gloria potest, si veram quaerimus, non inanem neque mundanam.

Quae quanta sit oportet, si nos cum Constitutionibus et Patrum exemplis conferamus!

10. Dicam quod sentio, Patres Fratresque dilectissimi, neque nunc primum dicam, dixi enim et hoc alias. Ego sic existimo: si vexetur Societas multis in locis, odio illam Christi ac Dei vexari manifestum est, atque hoc ex capite gloriosum sane nobis est vexari. Ita enim omne docet Evangelium, neque ullus maior honor cogitari potest quam qui Apostolis contingebat, ut *propter Christum purgamenta huius mundi* essent,

Vexationum duplex causa: odium impiorum, et nostrae culpae

1. Cor. 4. 10. 13.

omnium peripsema. Simul tamen minime dubitandum esse arbitror, quin multa nobis accidant iusto iudicio Dei, ob mea, ob aliorum ex nostris peccata et defectus, et praesertim quidem ob defectum humilitatis.

Quam quidem humiliter agnoscentes, remedium malis afferemus.

11. Quo ex capite vexationes quaecumque, quam inique inferuntur ex parte hominum, tam iuste immittuntur ex parte Dei, quem eo severius castigare nostras culpas aequum est, quanto sanctior est vita quam profitemur. Itaque nostri illi, qui aliis in locis, in Gallia modo, *patiuntur propter iustitiam,* digni habiti tanto honore, fortasse nobis auctoribus patiuntur, ob culpas nostras. Ita porro nos existimare, nostrumque imperfectum lugere, et saltem humiliari et confundi coram Deo, ut iustum et aequum esse sentio, ita maxime, si quidquam aliud, utile fore ac salutare, tum nobis singulis tum universae Societati, omnino persuasum habeo.

Matth. 5. 10.

Nam Deus humilibus dat gratiam.

12. Nullum equidem malorum nostrorum remedium praesentius, nullum efficacius invenire est. Non enim fallitur Dei promissio : *Humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam.* Et quidem humiliare se in bonis, naturae humanae difficilius, facilius in malis. Verum *in omnibus,* inquit, *humilia te.* Fructus autem humiliationis certus et numquam fallax : *et coram Deo invenies gratiam,* gratiam illam, qua sola indigemus et quae sola tueri et salvare nos et Societatem nostram poterit. Neque enim est quod in ulla alia re fiduciam nostram collocemus, non in hominum quorumcumque favore aut benevolentia, nam et hominum gratia fallax et *vana salus hominis;* non in virtute nostra neque in benefactis aut meritis, quae et pauca sunt et Dei ipsius dona, qui profecto bonorum nostrorum non eget. In sola itaque eius gratia et misericordia spes nostra omnis sita est, si firmam ac solidam quaerimus. Quae gratia cum humilibus et vere ac sincere humiliantibus se promissa sit, ad humilitatem, Patres Fratresque carissimi, ad humilitatem corde et animo et in omni verbo et facto sectandam serio aliquando incumbamus. Stat enim aeternumque stabit Iesu Christi verbum, quod numquam praeteribit: *Qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur.*

Ps. 59. 13.

Luc. 14. 11.

2° Ut ex humilitate nostra assurgamus ad Deum per orationem,

13. Neque tamen quae de humilitatis necessitate dixi, ita velim intellegi, ut in hac nostra miseria et infirmitate consideranda haerendum nobis esse existimemus, sed ut ex illa ad Deum assurgentes, qui est *adiutor in tribulationibus,* ad orationem inquam, in qua nostra sunt arma nostraque defensio, recurramus. Ait autem Sapiens : *Oratio humiliantis se nubes penetrabit... et non discedet, donec Altissimus aspiciat.* Et est enimvero tempus tribulationis tempus ad orandum aptissimum.

Ps. 45. 2.

Eccli. 35. 21.

Sit autem oratio nostra humilis nostrarum confessione culparum, sit fervens ex intimo sensu nostrae necessitatis.

14. Sit, inquam, in primis humilis. Nam si, iuxta Ecclesiasticum, *sapiens*, cum *aperiet os suum in oratione*, ante omnia *pro delictis suis deprecabitur*; si David in afflictione positus, licet *multiplicatam esse super se iniquitatem superborum* dicat, ante tamen dixerat: *Priusquam humiliarer, ego deliqui*; licet *superbos* sentiat *iniuste iniquitatem fecisse in se*, tamen prius culpam suam fatetur: *Cognovi*, inquit, *Domine, quia aequitas iudicia tua, et in veritate tua humiliasti me*; si ita non modo David paenitens, sed etiam sanctissimus atque innocentissimus Daniel, *vir desideriorum*, in principio orationis suae *confitebatur peccata sua et peccata populi sui*, aequum sane est ut et nos ab accusatione nostri ipsorum orationem nostram auspicemur.

humilem nostrarum confessione culparum,
Eccli. 39. 1. 7.
Ps. 118. 69.
Ibid. 67.
Ibid. 78.
Ibid. 75.
Dan. 9. 23.
Ibid. 20.

15. Sit deinde oratio nostra fervens ex intimo sensu nostrae necessitatis. Quem quidem sensum, ut verum fatear, omnes passim preces, quas cotidie fundere ex Ecclesiae praecepto solemus, et exprimere et supponere mihi videntur. Quis enim psalmos davidicos plerosque, eos certe qui ad precandum pertinent, dum attentus recitat, non intellegit voces esse *satagentis*, ut S. Augustinus observat, *solliciti, in tribulatione positi?* Quid item consuetae Ecclesiae preces? Quid illud in sollemni precatione totiens repetitum *miserere, miserere?* Quid illa invocatione, primum ad Virginem Matrem, tum ad omnes et singulos sanctorum angelorum caelitumque choros incessanter ingeminata: *Ora, ora pro nobis?* Quid illa ad Agni thronum deducta supplicatio, et per omnia vitae mortisque eius mysteria obsecratio, ut *liberet nos, liberet ab omni malo?* Quod haec et cetera omnia, quae precando cotidie usurpamus, nisi animos supponunt in miseriis, in necessitatibus, in angustiis, in tribulationibus constitutos?

et ferventem ex intimo sensu necessitatis nostrae.

16. Sane orandum nobis est, Patres Fratresque carissimi, et multum orandum, et humiliter et ferventer orandum, neque pro iis tantum fratribus nostris quos manus Domini iam tetigit, sed et pro universa Societate. Nam quae in uno nunc regno fiunt, etiam tum in Helvetia tum alibi, vel iam tentari vel tentatum iri non est dubitandum. Communis omnium causa agitur et communis debet esse omnium oratio.

et quidem totius Societatis.

17. Equidem neminem esse in Societate existimo, qui non preces fundat, Sacrificia offerat, etiam praeter commune regularum praescriptum, pro praesentibus Societatis necessitatibus, cum nemo sit ad quem de Societatis vel periculis vel calamitatibus rumor saltem aliquis non pervenerit. Ne tamen meo desim officio, commendare impense orandi studium pro tot ac tantis necessitatibus praetermittere non possum. Cumque plura in mentem venirent, quae praescribi possent, ut oratio

Quare praescribuntur preces, praeter ordinarias,

ex oboedientia vim et efficaciam maiorem acquireret, cetera cuiusque devotioni et filiali amori, quo Societatem matrem prosequitur, relinquens, *unum Sacrum* a singulis sacerdotibus et *unam Coronam* ab iis, qui sacerdotes non sunt, quovis mense praeter consueta suffragia indici per proxime futuros sex menses praescribendum duxi, pro nostris in Gallia praesertim et in Helvetia degentibus, proque universae Societatis incolumitate.

quibus Deus exoretur;

18. Oremus, Patres Fratresque carissimi, pro tribulatis fratribus nostris, ut det Dominus vel conservet potius omnibus illis fortitudinem animumque generosum in cruce ferenda pro Christi amore, det animi pacem inter pugnas cotidianas, det constantiam, det spiritum pietatis conservare inter occasiones dissipationum, det *gratia stabilire cor,* ut *modicum passos ipse perficiat,* ipse *confirmet,* ipse *consolidet;* ceteros quoque nostros ubicumque degentes faciat *praeparare corda,* ut *in omnibus* ubique *glorificetur* Deus, et humili prece exoratus Societatem suam servare ac tueri dignetur, nobisque non *Romae* solum, ut olim Sancto Patri nostro promisit, sed ubique terrarum, vel inter quascumque impugnationes quorumcumque hominum, pro sua pietate *propitius sit.*

Hebr. 13. 9.
1. Pet. 5. 10.
2. Par. 19. 3.

Tob. 12. 8.

et unus dies ieiunii statuitur.

19. Et quia *bona est oratio cum ieiunio,* precesque mortificatione fulciuntur et redduntur efficaciores, quod in *spiritu humilitatis et in animo contrito suscipere* precantes soleat Dominus, et benignius ac citius et plenius exaudire, aliquid etiam paenitentiae praeter consuetum ut precibus adiungat, unumquemque vehementer exhortor in Domino, cum discretione tamen nec sine superiorum suorum licentia. *Unum diem ieiunii* celebrari ab omnibus cupio, pro quo, ubi tempestive perferri hae literae poterunt, statui velim diem qui anniversarium diem confirmatae primum Societatis antecedit, scilicet vicesimum sextum huius mensis. Alibi vero diem designandum superioribus seu provincialibus seu localibus relinquo.

Conclusio.

20. Ergo, Patres Fratresque carissimi, sit nobis tempus hoc tribulationis tempus gratiae et precum, sit renovandi spiritus omnibus nobis occasio et incitamentum. Oremus, et proviribus ita agamus, ut persecutiones quas patitur Societas, quasque Sanctus Pater noster inter praecipua divinae bonitatis in Societatem beneficia numerare solebat, nostris hisce temporibus ne sint ob culpas nostras poenae potius divinae iustitiae. Sanctissimi parentis nostri monitis ac praeceptis quam possumus accurate ac fideliter obtemperantes, ipsum multa cum fiducia invocemus, petamusque, ut illud sollemne suum praecandi genus, quod in terris degens nos docuit, in caelis pro nobis exerceat, per Mariam ad Iesum mediatorem, per Iesum ad Dei

misericordiarum Patris thronum accedat, supplicationesque suas nostris adiungens, has reddat oculis divinae maiestatis minus indignas. Oremus, ac de necessitatibus et periculis et persecutionibus Societatis minus et parcius cum hominibus, saepius et amplius et copiosius cum Deo et cum caelitibus loquamur. Quidquid demum accidat, omnem vitae nostrae rationem ita instituamus, id curemus, in id intendamus, ut grandis illa et magnifica Christi promissio nos non omnino indignos inveniat: *Beati eritis, cum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos mentientes, propter me*: *gaudete et exsultate, quoniam merces vestra multa est in caelo.* *Matth. 5. 11.* *Luc. 6. 23.*

Cuius tanti boni tantaeque beatitudinis, tanti gaudii tamque copiosae mercedis, ut et ego vobiscum particeps esse merear, omnium vestrum precibus et Sacrificiis me impense commendo.

RR. PP. ac FF. in Christo carissimi.

Romae, XII Septembris MDCCCXLV.

Omnium servus in Christo,
IOANNES ROOTHAAN.

EPISTOLA

R. P. N. IOANNIS ROOTHAAN

AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS

De temporum nostrorum acerbitate et studio perfectionis

Inter atroces calumnias, quibus undique impetimur,

1. Quod pro mei muneris debito iam non semel feci, Patres Fratresque carissimi, tum primis gubernationis meae annis tum alias deinceps, ut in tanta temporum in quae incidimus acerbitate, occasione accepta ex iis, quae vel quibusdam in locis Societas patiebatur, vel quae graviora etiam merito exspectari vel timeri posse videbantur, consolandos vos et exhortandos omnes per litteras putarem, idem mihi praestandum esse nunc maxime existimo, cum, Deo ita permittente, maiore quam umquam alias violentia, idque vix non ubique terrarum, venenatis plane inimicorum telis impetimur. *Spiritus* enim *mendacii*, calamo innumerabilium scriptorum effusus, per ora omnium fere populorum ita versatur, ut iam dominari plane mundo videatur, et plebium animos contra Societatem nostram ita excitare, *3. Reg. 22. 23.*

ut nihil iam sit non modo tam iniquum, tam nefarium, sed etiam nihil tam absurdum tamque incredibile, quod, ubi de nobis rebusque nostris dicatur, non et credibile et veri simile immo et verissime dictum apud plurimos, summos, infimos, habeatur. Non libri modo et libelli, maiore quam umquam alias numero, fabulis ignominiosissimis referti, omnibus fere linguis circumferuntur et passim avidissime lectitantur, sed innumerabiles ephemerides cotidianis calumniis et contumeliis plenae, pro horum temporum effreni scribendi legendique licentia, in omnium manibus versantur, omnium oculis usurpantur, omnium mentes occupant, et in circulis, in conventibus, in officinis omnis generis sparguntur cotidie, ut timeri possit ne aliquando pluribus in locis, quod alicubi accidisse dolentes meminimus, plebes caecae et illusae, in nos tamquam in humani generis hostes et pestes, tamquam in horrenda inferni monstra, in homines publica abominatione et exsecratione dignos, aliquando impetu facto insano furore desaeviant. Omnino in Societatis cymbam intumescit mare, feri fluctus assurgunt eamque operiunt undique, vix non fatiscimus sub tanta tempestate, naufragium certe tam taetra procella minari videtur in dies. Neque enim est quod nostra pericula verbis dissimulem, Patres Fratresque carissimi, cum detrimenta iam non levia passi simus variis in locis, iis etiam in regionibus in quibus minus videbatur tale aliquid exspectandum, et nisi Deus avertat, maiora merito timemus. Unde non raro consilii inopes, nullum humanum re-
2. Pet. 20, 12. perientes remedium, *hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad Deum,* tanto quidem fidentius caeleste praesidium implorantes, quanto minus opis suppetit in humanis.

solacium afferunt:

2. Attamen, Patres Fratresque carissimi, tot inter tantasque difficultates, solacia quaedam etiam non desunt, quae vos ignorare aequum non est.

1º Ecclesiae Praesidum et bonorum favor,

3. Solatur nos in primis plerorumque sanctorum Ecclesiae praesulum, plurimorumque etiam nunc piorum hominum constans favor et defensio, praeque omnibus sanctissimi pastorum principis, qui nuper divinitus Ecclesiae datus est Christi Vicarius, Pii IX, propensa in Societatem voluntas. Quem cum Societatis amantissimum iam dudum antea experti essemus, nunc ad pontificale solium evectum multo etiam magis illam protecturum defensurumque, pro suprema qua in terris pollet auctoritate, non speramus modo sed certo confidimus.

2º ministerii nostri a multis expostulatio,

4. Solatur deinde inter tot tamque multorum odia et acerbitates augescens aliorum Societatis operam expetentium desiderium et studium ardens, ut adeo operariorum copia faciendo operi, quod multiplex passim offertur, desit. Accedit, quod magis etiam solatur, quod passim nostrorum hominum ministeriis

ita favere divina bonitas dignatur, ut copiosiore fructu videatur velle nobis dolorem ex malevolorum inimicitiis conceptum lenire, et impiorum maledicta bonorum gratulationibus compensare.

5. Solatur etiam quae extra Europam in longinquis regionibus a nostris hominibus colligitur messis. Quae cum in dies latior albescere videatur, plures semper operarios postulat, ex quibus dum non pauci strenue instantes operi immatura morte occumbunt, non deficiunt qui eorum occupare locum unice expetant. Quod certe apostolici spiritus, vivi semper in Societate et vegeti, argumentum, ut mihi et vobis solacio esse merito debet, ita spem etiam praebet in Domino et fiduciam quantumvis iactatae, servandae tamen medias inter tempestates per Dei misericordiam Societatis.

3° missionum longinquarum successus.

6. Verum haec quae dixi solacia cum humana videri possint, Patres Fratresque carissimi, venio ad illud quod praecipuum, maxime proprium est, et a Sancto Ignatio Patre Societati multis precibus et lacrimis impetratum a Deo, et filiis pro hereditate omnium pretiosissima relictum. Sane quod maxime apostolicum est et evangelicum et plane divinum, et ad quod praecipua quadam ratione in Societate instituimur, illud est, ut non theorice tantum pia meditatione cogitemus et admiremur, sed practice sentiamus et experiamur illam *beatitudinem,* quae in persecutionibus pro Christo sustinendis consistit.

4° praecipue beatitudo, quae in sustinendis persecutionibus consistit,

7. In primis evidens est unicuique et exploratum, odium illud prope dixerim phreneticum, quo mundus iste Societatem prosequatur, suam inde originem capere, quod Christum Iesum eiusque Ecclesiam odio habeat. Itaque dum maledicta in nos isti homines iactant, dum contra nos mendacia quaevis incredibili impudentia congerunt, illud in nos agunt *ad litteram,* quo *beatos* fore suos dixit Christus Dominus: *Beati estis cum maledixerint vobis, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos, mentientes, propter me.* Et iterum: *Beati eritis, cum vos oderint homines, et cum separaverint vos, et exprobraverint, et eiecerint nomen vestrum tamquam malum propter Filium hominis.* Perpendite singula, Patres Fratresque carissimi, et quam apte, quam proprio sensu ista nos experiamur videte, et meditando singula, promissam beatitudinem degustate, in iis praesertim verbis: *cum dixerint omne malum adversum vos mentientes,...* et: *cum eiecerint nomen vestrum tamquam malum, propter Filium hominis,* quae sane, singulari quodam privilegio Societatis, cotidie experimur.

quam evidens est, Societatem experiri.

Matth. 5. 11.

Luc. 6. 22.

8. Neque vero est quod hanc *beatitudinem* labefactari aut eripi nobis quodammodo existimemus, ex eo quod aliquando alicuius e Nostris vel culpa aliqua vel imprudentia, sive occa-

Neque enim culpas qualescumque nostras insectantur impii,

sionem sive materiam contumeliis istis et calumniis praebuisse videatur. Nam in primis quid est quod homines omnibus publice vitiis inquinati (loquor enim de praecipuis calumniarum auctoribus et inventoribus), si quem in aliquo nostrorum naevum deprehendant, hunc tam avide arripiant, amplificent, exaggerent, tantumque odium in illam qualemcumque culpam, et propter illam in universam Societatem, et tragoedias usque excitent? Quid est quod homines, qui ipsi *laetantur cum malefecerint, et exsultant in rebus pessimis,* tanto tamque acerbo zelo in nostris hominibus vitium quodcumque persequantur, quod in se suisque non modo tolerabile ducunt, sed et ut laude dignum omnibus artis litterariae et pictoriae coloribus depingunt et exornant? Sed nimirum spiritum et nomen Societatis propter Iesu nomen et spiritum odio habent. Quid, quod ipsi non tam *nos* detestari se, quam Institutum nostrum, ingenue plerique profitentur? Atqui sanctissimum est Institutum nostrum, quod totum in Christi Iesu imitatione fundatur et continetur. Nos vero qui homines sumus, labiles et fragiles, si aliquando a virtute deflectimus, ab ipso Instituto nostro deflectimus, cuius absolutam rationem si perfecte exsequeremur, essemus profecto omni ex parte perfecti, quamquam utique in hac mortalitate, in qua omnis perfectio non nisi inchoata haberi potest, in tanta praesertim hominum nostrorum multitudine, obtineri nequit, ut non identidem aliquid ab aliquo peccetur. Verum qui Institutum nostrum odio se habere profitentur, peccata in nostris nullo utique iure reprehendere convincuntur, neque alio nomine istam larvam zeli pro virtute assumunt, nisi quod in nobis, qui Iesum nos sequi profitemur, Iesum ipsum odio habeant.

Prov. 2. 14.

sed Societatis nomen propter nomen Iesu.

9. Iam quodnam, quaeso, maius ac divinius solacium, Patres Fratresque carissimi, quam *partem aliquam et societatem donari nobis cum Sanctis Apostolis et Martyribus,* partem, inquam, illius beatitudinis omnium sublimissimae, quam Christus, ut S. Augustinus observat, ultimo loco in illo celebri sermone suo posuit, tamquam supremam et perfectorum propriam, quamque proinde Apostoli in suis epistolis ubique magnifice extollunt, in qua unice gloriabantur ipsi et fidelibus gratulabantur. *Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini,* ita Apostolus ad Philippenses. Et Petrus: *Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis: quoniam quod est honoris, gloriae, et virtutis Dei, et qui est eius spiritus, super vos requiescit.* Et Iacobus: *Omne gaudium existimate, Fratres mei, cum in tentationes varias incideritis, scientes quod probatio fidei vestrae patientiam operatur. Patientia autem opus perfectum habet, ut sitis perfecti*

Hoc nullum nobis maius esse potest ac divinius solacium;

Philip. 2. 29.

1. Petr. 4. 14.

Iac. 1. 2. seq.

et integri, in nullo deficientes. Et iterum: *Exemplum accipite, Fratres, exitus mali, laboris et patientiae, Prophetas.... Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt. Sufferentiam Iob audistis, et finem Domini vidistis.* Et iterum Paulus, *spectaculum* se suosque *factos esse mundo et Angelis et hominibus* gloriabatur: *maledicimur,* inquit, *et benedicimus, persecutionem patimur et sustinemus.... tamquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema.* An vero etiam nos nostrumque nomen non *purgamentum mundi et omnium peripsema,* dono Societati proprio, factum videmus? Scilicet in hoc praeclarissima Christi imitatio, in quo capite suo *Catholica Mater Ecclesia edocta est,* ut Ven. Beda loquitur, *contumelias et mortem ipsam non timere, magis magisque roborata, non resistendo sed perferendo, filiis suis ad gerendum certamen gloriam triumphalem inspiravit.* In hoc maxime divina elucet gloria, ut, sicut Unigenitus Filius die passionis suae, quam *beatam* vocare Ecclesia non dubitat, Patrem maiore honore affecit quam omnibus vitae suae laboribus et miraculis, ita servi eius patiendo magis quam agendo gloriam Dei promoveant; facti scilicet hac ratione victimae divinae gloriae, in quo longe praeclarissima Christi imago et similitudo exhibetur. Quae cum ita sint, ista mundi in Societatem odia et contumelias in nostrum nomen iactatas, merito insignem gloriam esse nostram reputabimus, et praemium, coronam, qua vel in hac ipsa mortali vita nihil maius, nihil pretiosius, nihil optabilius cogitari possit.

Ibid. 5. 10.

1. Cor. 4. 9. 12.

cum summa tamen humilitate suscipiendum,

10. Verum, Patres Fratresque carissimi, haec ego dum mente pertracto, simulque in me et in meam miseriam et nihilum oculos reflecto, non possum non tanto bono me indignissimum sentire et profiteri, ac divinam bonitatem admirari et obstupescere, quae tanta me, una cum Societate nominis sui, dignatione prosequatur. Atque hunc sensum, Patres Fratresque carissimi, summopere cupio mecum vobis omnibus esse communem, idque nobis valde necessarium existimo. Timor enim aliquando me incessit, fateor, ne forte tanta gloria crucis Christi nos in nobis ipsis extollat et humilitatem, in qua numquam non defixos nos manere oportet, labefactet. Quod sane cavendum maxime. Nam in primis, quid magis absurdum quam illud ipsum, quod provehere nos deberet ad illum *gradum in vita spirituali tam pretiosum, quem* S. Pater *tertii modi humilitatis* nomine nos docuit, ipsum inquam, vanitatis ac superbiae spiritualis aut incitamentum aut alimentum fieri? Deinde, ut ab eodem parente nostro docti et instituti sumus, si gloriari nobis in Christi cruce licet, ita gloriandum, ut meminerimus, quidquid illud sit quod pati contingat, parum valde atque adeo nihil esse, si cum iis quae Christus passus est conferatur; ut

adeo non nisi *aliquomodo* eum nos imitari, *aliquomodo* ei similes reddi posse, idque semper cum nostra ipsorum abiectione, et praeter omne meritum nostrum fateamur. Denique infinitum discrimen, quod inter omnes undequaque miserrimos et peccatores, et Christum Regem gloriae, cui aeternus debetur honor, intercedit, quantum deprimere nos ac rubore suffundere necesse est? Quod si qui, vel amici imprudentes vel male feriati inimici, causam nostram cum Ecclesiae causa ita communem faciunt, ut vel stulte vel ad maiorem nobis creandam invidiam, Ecclesiae Dei necessarios nos esse fingant; procul absit a nobis eiusmodi cogitatio, probe scientibus, Deo, cuius aeternis promissis Ecclesiae institutio innixa est, nullum hominem neque ullam hominum congregationem esse necessariam. Qui si cuius opera uti dignatur in Ecclesiae suae causa vel promovenda vel tuenda, insigne beneficium praebet, non meritum rependit, qui *potest etiam de lapidibus suscitare filios Abrahae.* Cui proinde, ut alias me dicere memini, unusquisque nostrum, et suo et universae Societatis nomine, intimo animi sensu supplicandum est illis Prophetae verbis: *Conserva me Domine, quoniam speravi in te. Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.*

Matt. 3. 9.

Ps. 15. 1.

et vero ac efficaci perfectionis nostrae studio;

11. Cum hoc verae humilitatis sensu, Patres Fratresque carissimi, ne quae aliis temporibus commendavi hic repetam, utque uno verbo complectar omnia, verum et efficax perfectionis desiderium ac studium coniungamus.

Etenim si quid est quod et ad Deum nobis placandum, et ad hominum etiam voluntates nobis conciliandas valere possit, illud profecto est, ut vocationis nostrae, Patres Fratresque carissimi, memores simus, et ad perfectionis studium, in constitutionibus ac regulis nobis propositae, serio et constanter incumbamus. Hoc ego ante omnia, ut mihi, ita vobis omnibus cordi esse, tum ad singulorum tum ad Societatis universae incolumitatem, summopere desidero.

Quod voto promisimus,

Matth. 19. 21.

12. Unusquisque enim nostrum, cum ad Societatem accederet, vocem Christi audivisse censendus est: *si vis perfectus esse... veni, sequere me.* Ad hanc invitationem respondens quisque, voto Societatem ingrediens, secuturum se Christum professus est, ut in eius imitatione, harum constitutionum et regularum observatione, perfectionem consequeretur. Quare iam unusquisque serio se colligat, et in Dei conspectu quo animo sit ad illam perfectionem assequendam examinet, vigeatne in se etiam nunc illud desiderium, illa voluntas, quae vocationis suae principium fuit, vel certe esse debuit. Quos si illud elanguisse, si, quod Deus avertat, emortuum illud atque exstinctum in se reperiat, per Dei amorem resuscitet gratiam illam primam

quae sibi data fuerat, iis mediis quae in Societate abunde suppetunt. Hoc enim Dei gloria, hoc cuiusque pax et salus, hoc Ecclesiae, hoc Societatis bonum ab unoquoque nostrum postulat atque exigit. et a nobis requirit

13. Ecqua enim alia ratione illam quam Deo debemus gloriam rependere nos posse existimabimus, nisi iuxta vocationem qua vocati sumus ambulemus, nisi Dei voluntatem Instituti nostri legibus expressam exsequamur, et haec agendo ei placere per omnia et ante omnia studeamus? Ad hoc utique in hac Societate vivimus, et si hoc non agimus, quid agimus et quorsum vivimus? 1º Dei gloria,

14. In hoc nostra pax et salus. Nam *vita in voluntate eius,* inquit, profecto non in facienda nostra propria voluntate. Ita demum *invenietis requiem,* inquit Christus, *animabus vestris,* ita *iugum meum suave et onus leve* reperietis, si *illud tollatis super vos, si mites et humiles corde* meum exemplum sequamini; scilicet, si superbiam et sensualitatem et omnem amorem proprium, qui *corporis peccati,* quod Apostolus vocat, caput est et principium, constanti conatu reprimamus et expugnemus. 2º nostra pax et salus, *Ps. 29. 6.* *Matth. 11. 29.* *Rom. 6. 6.*

15. Hoc Ecclesiae bonum requirit, in qua viri perfecti, ii quos Christus Dominus *sal terrae et lucem mundi* esse dixit, praecipua sunt non solum ornamenta, sed praesidia et veluti columnae. Hi sunt, qui in Ecclesiae corpore, veluti ossa solida, reliqua debiliora membra sustentant; qui sicubi deficiant, ibi fidelium vulgus vix quidquam opis habet reliquum quo se sustentet; atque haud raro fit, ut deficiente vita spirituali in interitum miserrimum ruant. Quid? quod vel ipsam fidem in vastissimis regionibus, seu Orientis seu Septentrionis, tum maxime interiisse constat, cum sal infatuatum esset, cum qui vitae sanctitate ceteros praeire debuissent, defecissent. Tanti est esse in Ecclesia qui perfectionem non vitae solum statu et condicione, sed factis omnique vivendi ratione profiteantur. 3.º Ecclesiae bonum, *Matth. 5. 13. 14.*

16. De Societate vero, Patres Fratresque carissimi, quid dicam? Equidem sic existimo, nec quemquam fore qui non eiusdem sit mecum sententiae arbitror, Religiosorum Ordines omnes, et hos inter peculiari modo pro sua vocatione Societatem, a Deo constitutos in Ecclesia, ita conservari ac promoveri, si vocationi suae respondeant, si finem ob quem conditi sunt fideliter consequi studeant, verbo, si perfectionem sibi propriam vere ac sincere sectentur; quam si neglegant, non esse cur eos Deus porro in Ecclesia sua conservet. Immo vero potius iusto iudicio illos interire patietur, et alios suscitabit qui religiosae perfectionis fructum ferant. Inscrutabilia sunt iudicia Dei, Patres Fratresque carissimi, quae adorare ac vereri summopere debemus. A sacris litteris discimus, hinc, ob unius non recte 4º incolumitas Societatis.

ambulantis culpas, in acerbas quandoque calamitates universam gentem incidisse; hoc in Achan, hoc in David, in aliis; inde, ob unius perfecti gratiam salvos saepe fuisse multos, ut in Noe, in Abraham, in Moyse, in aliis plurimis. Quod si hinc spes, inde timor, videat unusquisque qui in Societate vivit, utrum consuetudine vivendi sua praesidio Societati apud Deum sit, an vero nocumento. Profecto si in Societate, quod avertat benignissimus Deus! oboedientia labefactata, si paupertas neglecta iaceret, si vanus humanae gloriae amor invalesceret, si spiritualium rerum cura neglegeretur, si regularum et constitutionum observantia deperiret, si langueret zelus animarum, quid, quaeso, Societas in agro Ecclesiae terram occuparet frustra? Semen quidem frugiferum Ignatii spiritus in mundo consevit, quod in arborem crevit feracissimam. Quid vero si, quod interdum nec sine confusione nec sine timore videmus, alii, qui de Societate non sunt, vel semel exercitiis Ignatii exculti, spiritum Societatis et zeli maiorem concipiunt quam aliqui qui in Societate vivunt, Ignatii Patris filii, in eius domo enutriti, eius documentis non semel, sed saepius, sed continenter instituti sine fructu? Sane, qui eiusmodi sunt, vocationis suae obliti, ii tantum abest ut in persecutionibus, quarum occasione hasce scribo litteras, beatitudine illa quam perfectorum esse dicebamus gloriari possint, ut potius timendum vehementer sit ne, ubi calamitas aliqua in Societatem ingruat quae illos ipsos propius attingat, a vocatione sua deficiant, aliquando futuri viles a Christi vexillo transfugae. Memores enim esse debemus, quod
Judith. 8. 22. fortissima illa Iudith monebat, *quia sicut tentati sunt patres nostri... et per multas tribulationes probati, Dei amici effecti sunt... et omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles,* ita illi qui *tentationes non susceperunt cum timore Domini... exterminati sunt... et perierunt.* Quam deplorabile foret, Patres Fratresque carissimi, quam pudendum, si quod omnibus nobis salutis et gloriae sempiternae pignus esse debet, id aliquibus e Nostris occasio fieret dedecoris ac perdi-
Hebr. 6. 9. tionis! Verumtamen, ut loquar cum Apostolo, *confidimus de vobis meliora et viciniora saluti: tametsi ita loquimur.* Ita plane speramus et confidimus in Domino, fore ut in probatione fideles nostri omnes, eo etiam artius Christo duci sese devinciant, Societatem eo maiore caritate complectantur, vocationem suam eo ardentius adamare ac perfectius explere satagant, quo pluribus et gravioribus peti se in illa intellegunt maledictis hominum improborum et minis. Quem quidem fructum, fructum, inquam, maioris fervoris et caritatis et sollicitudinis, iam non paucos ex hisce vexationibus in dies colligere, non sine maximo
2. Cor. 1. 9. solacio nostro videmus. Modo *ne simus fidentes in nobis, sed*

in Deo qui suscitat mortuos, qui Societatem exstinctam olim ad novam vitam revocavit: *qui eam de tantis periculis eripuit et eruit*: *in quem speramus, quoniam et adhuc eripiet.* *Ibid. 10.*

17. Quare, ut finem scribendi faciam, neque enim plura scribere temporis angustiae permittunt, illud unum superest, ut ad extremum ad orandum impense Deum eique supplicandum, per Ignatii Patris merita, per Immaculatae Virginis patrocinium, id quod iam sponte procul dubio facitis, vos etiam atque etiam adhorter, *quia vana salus hominis.* Mihi quidem, Patres Fratresque carissimi, ex quo acrius ac vehementius tentari et concuti res nostrae coeperunt, opportuna hisce temporibus illa visa est oratio, quae sex illis psalmi 118 versiculis comprehenditur, qui postremi sunt in hora tertia divini Officii, et cotidie a nobis quotquot sacerdotes sumus recitantur. Conclusio. *Ps. 59. 13.*

Cognovi Domine quia aequitas iudicia tua, et in veritate tua humiliasti me. — Merito unusquisque nostrum in principio orationis accusator sit sui. Neque enim in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem Domini, sed in miserationibus multis. Itaque in spiritu humilitatis et in animo contrito, propter culpas nostras humiliati, suscipiendos nos esse speramus, confitentes peccata nostra, quia iustus est Dominus et rectum iudicium eius. *Ps. 118, 75 seqq.*

Fiat misericordia tua, ut consoletur me; secundum eloquium tuum servo tuo. — Pauperes enim facti nimis et miseri, nec sine culpa nostra, imploramus misericordiam Domini, in qua sola speramus, qua sola ut consoletur nos indigemus; eumque verbi sui humiliter admonemus, quo servo suo Ignatio olim promisit, se ipsi et sociis eius *Romae propitium fore.* Hoc verbum suum, ut adhuc fecit, ita porro explere dignetur rogamus.

Veniant mihi miserationes tuae, et vivam; quia lex tua meditatio mea est. — In lege Domini meditantes die ac nocte, eiusque sanctissimam voluntatem, quam nobis constitutiones et regulae et vivus sanctae oboedientiae sermo ignorare non sinunt, fideliter exsequentes, miserationes eius cum fiducia exspectabimus et vivemus.

Confundantur superbi, quia iniuste iniquitatem fecerunt in me; ego autem exercebor in mandatis tuis. — Superbi inimici Ecclesiae Christi et Dei iniqua faciunt in nos, calumniis nos opprimentes, et laborant ut deleatur nomen nostrum, quia contrarii sumus operibus eorum. Tantum ne obliviscamur legis Domini, sed in illa fideliter et constanter nos exerceamus. Ut illi confundantur petimus, non ut in furore suo arguat eos Dominus aut in ira sua corripiat eos, sed ut confundantur, ut iniqua spe perdendi nos frustrati humilientur, et humiliati salvi fiant.

Convertantur mihi timentes te et qui noverunt testimonia tua. — Sunt enim etiam inter illos, qui ceteroqui Deum timent, quique fide et vitae officiique condicione causam nobiscum communem habent, qui sive zeli aemulatione, quae humana miseria est, sive praeconceptis olim adversus nos nostrumque Institutum opinionibus, quibus tam facile inde a prima aetate multi imbuuntur, sive etiam aliqua alicuius e nostris vel culpa vel imprudentia offensi, adversariis sese nostris, quod sane dolendum maxime est, adiungere quodammodo videantur. Hi ut erga nos aequiores fiant precamur, quod summopere ad maiorem communis Domini gloriam et Ecclesiae utilitatem optandum est.

Fiat cor meum immaculatum in iustificationibus tuis, ut
Luc. 10. 42. *non confundar.* — Hoc denique *unum est necessarium,* Patres mei Fratresque carissimi, omnibus et singulis. Haec ergo suprema sit petitio nostra, hoc omnium ardentissimum desiderium et studium, ut in omnibus huius viae et vitae vicissitudinibus, inter adversariorum odia et calumnias et impetus, quidquid demum pro Dei beneplacito acciderit, immaculatos nos servemus, non modo exteriore vitae honestate et actuum omnium verborumque moderamine, sed in conspectu Domini, interioris virtutis prae ceteris studiosi, servemus in omnibus animi pacem, humilitatem, patientiam; ne quis umquam odii vel aversionis aliusve inordinati animi impotens affectus cor nostrum afflet atque inficiat. Ita non confundemur in aeternum,
1. Petr. 5. 10. sed sperantes in se *Deus omnis gratiae, qui vocavit nos in Societatem Filii sui Iesu Christi in aeternam suam gloriam... modicum passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque. Ipsi gloria et imperium in saecula saeculorum.*

Omnium vestrum SS. SS. et precibus me enixe commendo.

Romae ipso die SS. Nomini Iesu sacro
I Ianuarii MDCCCXLVII.

Omnium servus in Christo,
IOANNES ROOTHAAN.

EPISTOLA
R. P. N. IOANNIS ROOTHAAN
AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS

De Cultu Sacratissimi Cordis Iesu

1. Quas imminere Societati calamitates iamdudum nec semel vobis innuebam, Patres et Fratres carissimi, neque enim difficile erat ex iis quae coram agebantur futura coniicere, eas demum irruisse in nos videtis et nobiscum doletis. Provinciae plures eaeque florentissimae eversae, Domus ereptae aut etiam direptae, Socii, patres, fratres, iuvenes, senes dispersi, spoliati fere rebus omnibus, a sacris obeundis ministeriis prohibiti, a scholis et cathedris abacti, plerique asylum quaerere in exsilio coacti; atque haec omnia non principum aut ordinatae potestatis voluntate, sed paucorum factiosorum hominum conspiratione, a quibus ubique fere rudis plebecula excitata, et in furorem, in phrenesin acta, omni contumelia in nos debacchata est. In tanta clade, qua pars Societatis fere dimidia prostrata iacet (et quid porro futurum sit, solus ille scit qui scit omnia), solacium nobis simul et auxilium quaerendum esse dum sentio, occurrit illud commune miseris omnibus apertum perfugium, sanctissimum Cor Iesu, ex quo illae suavissimae prodiere ac prodeunt perpetuo voces: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis.* De quo quidem dulcissimo argumento aliquid ad vos perscribere dudum mihi erat in votis. Quod quum tandem, invitante qua premimur temporum acerbitate, aggredior, non ego argumenta vobis afferenda esse existimo, quibus ad SS. Cor Iesu colendum, ad omnem in illo fiduciam collocandam, ad *coniciendam in illud omnem sollicitudinem* vos exhorter. Haec enim vobis omnibus praesto sunt, et melius et copiosius, quam brevibus litteris fieri a me posset, exposita habentur in plurimis libris doctrina ac pietate refertis, qui in omnium manibus versantur. Illud potius, huius de quo loquimur SS. Cordis cultus exercitatio et studium eumdem promovendi, quam proprium sit Societati nostrae paucis recolam.

In praesenti clade

solatium et auxilium nobis praebebit cultus SS. Cordis Iesu exercendus et promovendus.

Matth. XI, 28.

1. Pet. V, 7.

2. Peculiarem Cordis Iesu cultum, qui praecedentibus saeculis nonnisi paucorum eorumque sanctitate insignium virorum proprius fuisse videtur, (cuius quidem rei exempla luculenta exstant in S. Augustino, in S. Bernardo, in Lud. Blosio, in Ven. item Lud. de Ponte nostro, nostrisque item Did. Al-

Etenim historia cultus illius et Societatis vicissitudines

varez de Paz, Ant. Gaudier, Ioan.-Bapt. Saint-Jure aliisque compluribus), saeculo demum decimo septimo fidelibus omnibus communem fieri coepisse, atque ex illo tempore per universum orbem propagatum esse non ignoratis. Nostis etiam, Christum dominum ad hunc sanctissimi Cordis sui cultum communiter omnibus fidelibus commendandum, opera usum fuisse venerabilis virginis Margaritae Mariae, cuius virtutes, post accuratam ac severissimam, ut fieri a S. Sede Apostolica solet, vitae eius, scriptorum omnium, et caelestium etiam, quae in eius vita referuntur, gratiarum discussionem, anno superiore a regnante summo Pontifice Pio IX, heroicae declaratae sunt. Nostis, in hoc tantum opus, quum de novo festo in Ecclesia celebrando, deque novo ritu instituendo, novisque item sacris imaginibus publice proponendis ageretur, socium et adiutorem piae virgini designatum ab ipso Domino fuisse, pietate non minus quam doctrina praestantem virum Patrem Claudium de la Colombière, nostrae Societatis hominem. Nostis, quam acriter primum impugnatus fuerit a multis hic idem cultus sanctissimi Cordis, quasi periculosae novitatis inventum, ut etiam veluti haereticae pravitatis figmentum, aut certe haeresim olens a plurimis traduceretur; inter defensores porro eminuisse potissimum Societatis nostrae doctos viros, qui sanctissimum cultum non modo ab omni vitio periculoque immunem propugnarunt, sed eius etiam excellentiam et utilitates ita demonstrarunt, ut tandem adversarii, nisi qui parum catholice sentirent, victas dederint manus, et Sedis Apostolicae non solum approbatio, sed et favor multiplex, quem piorum fidelium per universum fere orbem sanctus ardor praecesserat, et comitatus semper et subsecutus est, omne dubium sustulerit. Illud etiam a plerisque vestrum non ignorari existimo, ex eo tempore eosdem fuisse passim Societatis impugnatores acerrimos, qui sanctissimi Cordis cultum impugnare perrexerunt; quin adeo, quum Romae calamitosis illis temporibus sub utroque Clemente XIII et XIV omni arte et vi a nostris adversariis ageretur de Societatis exstinctione, eodem tempore actum ab iisdem incredibili studio fuisse, ut sanctissimi Cordis introductus iam passim cultus damnaretur. Quos quidem, quum in eo quod Societatis abolitionem spectabat, altissimo Dei consilio, miserabili tandem victoria exsultarunt, in altero tamen, quod Sanctissimum Cor Iesu impugnabant, victores exsistere non permisit Deus. Quin etiam paulo post, in sollemni atque dogmatica damnatione pseudo-synodi Pistoriensis, vindicatus fuit a Pio VI SS. Cordis honor et cultus. Haec omnia passim nota omnibus. At quod a plerisque vestrum adhuc ignorari arbitror, quodque maxime ad rem nostram pertinet, illud est quod subiungam.

3. Ego, Patres et Fratres carissimi, multo antequam Societas a SS. Patre Pio VII novae vitae redderetur, quum ad eam, in solo tunc Rossiaco Imperio superstitem, singulari et eo quidem tempore valde raro Dei beneficio admissus essem, illam in omnium nostrorum animis haerentem ac defixam sententiam reperi: « Quod conservata illic esset non sine prodigio Societas, quodque paulatim augeri coepta esset, id Sacro Cordi Iesu in acceptis referendum esse; et porro, quod sperabatur de futura eius restitutione in universum orbem, id pariter ab eodem Sanctissimo Corde unice sperandum ». Id caelitus dato indicio, minime vano, pro certo habebatur. Hinc peculiaris quaedam SS. Iesu Cordis colendi ratio pluribus ante annis praescripta servabatur inter nostros, eiusque cultus omni studio promovebatur apud externos, piis sodalitibus in quovis Collegio institutis, festoque SS. Cordis die omni cum sollemnitate celebrato. Omne Societatis incrementum inde potissimum pendere, si magno zelo cultus hic, tum in nostris tum in aliis promoveretur, omnibus erat persuasum. In encyclicis quidem litteris, quibus viginti fere retro annis P. Stanislaus Czerniewicz, Vicarii Generalis tunc officio fungens, ad hunc ipsum SS. Iesu Cordis cultum socios adhortatus erat, quaeque singulis annis, aliquot ante eiusdem festum diebus, in publica mensa legebantur, illo, memini, utebatur prooemio: « Ad illud usque tempus confugisse socios ad Sanctos Societatis, opem illorum in tam multis necessitatibus implorantes, nec fraudatos quidem spe sua fuisse. Multa tamen et maiora, quae sperarentur, etiamnum desiderari, quae adhuc frustra petiissent. Ergo iam ad ipsum Cor Iesu confugiendum, sperandumque fore, ut aliquando ad Sanctos nostros insonti illa expostulatione uti liceret, qua olim S. Scholastica fratrem suum Benedictum compellasse legitur: *Rogavimus vos, et audire noluistis; rogavimus Deum nostrum, et exaudivit nos* ». Quae vero iis litteris praescribebantur in honorem Sanctissimi Cordis pietatis exercitia, ea praestitimus in Provincia Albo-Rossiaca toto decennio, quod a meo in Societatem ingressu ad tempus usque optatae ac speratae semper restitutionis Societatis excurrit; et post obtentum hoc tantum beneficium, quod SS. Cordi potissimum tribuebatur, eadem praestare perreximus, usque ad nostrum ex illo Imperio exsilium.

praesertim si attendimus quae ex Provincia Albo-Russiaca hic referuntur, suadent illum nobis peculiari modo proprium esse debere.

4. Iam si quaeramus, Patres et Fratres carissimi, cur nobis singulari quodam modo proprius ac praecipuus esse debeat SS. Cordis Iesu cultus, rationes plures sese offerunt. Horum prima sine dubio et omnibus potior, quaeque vel sola profecto sufficeret, ea est, quod ipse Dominus eo ipso tempore, quo Cordis sui cultum introduci ac celebrari in Ecclesia prae-

Idem suadent rationes intrinsecae: 1° ipsa Domini nostri voluntas non obscure manifestata;

ciperet, hoc ipsum velle se, ut per Societatem maxime praestaretur, non semel neque obscure edixerit. Atque erat sane conveniens, ut Societas Iesu tota se daret in vota Iesu de Cordis sui cultu tam miris sed veris modis manifestata. Quae quidem Iesu vota non piae solum imaginationis venerabilis virginis effectus fuisse, ex iis quae ex illo tempore contigisse in Ecclesia novimus, cum ipsius Ecclesiae approbatione sollemni, omnibus catholicis extra dubium positum est.

2o ipsum nomen Societatis Iesu;

5. Praeterea vero, nonne plane conveniens erat, ut Societas, quae nomine Iesu, ipso Iesu sic volente, insignita erat, in omnibus quae ad Iesu cognitionem et amorem et gloriam pertinent, partem semper sibi praecipuam assumeret? Ut quae Iesu tota est, et cum Iesu prospera habet et adversa modo peculiari communia, ea in eius etiam Cordis amore et cultu promovendo excelleret? Quumque Societas nos in vita Iesu meditanda, quod mentalis orationis cotidianae ex regula praescriptae perpetuum fere argumentum est, illud ante omnia ac praecipue spectandum ex P. Ignatii instituto doceat, ut Iesum semper magis intime cognoscamus et ardentius amemus et pressius ac perfectius sequamur: nonne conveniens erat, ut eadem nos peculiari studio ad apertum iam fontem illum inexhaustum sanctitatis ac bonitatis virtutumque omnium, ad ipsum, inquam, Cor Iesu sacratissimum contemplandum praecipue et cognoscendum et amandum et imitandum invitaret, atque compelleret?

3o vivendi ratio nobis propria;

6. Mihi quidem, Patres et Fratres carissimi, eo maxime nomine commendandus esse nobis cultus SS. Cordis, nostrisque hominibus praecipue convenire videtur, quod quum vitam communem degamus, externis fere semper ministeriis distenti, singulari prorsus cura nobis prae aliis religiosis internum spiritum internasque virtutes colere necesse est, ex quibus omnis actio nostra vim suam ac virtutem et meritum etiam derivet; ne forte exteriori cortice bonae vitae operumque zeli contenti, oleum operamque perdamus coram Deo, qui intuetur cor, quique profecto iure suo illud a nobis requiritur, ut quod ad virtutum exercitia spectat, plus intus in corde geramus, quam quod exterius hominum oculis apparet. Etenim ad humilitatem et mansuetudinem nos informans Dominus Iesus: *Discite,* inquit, *a me, quia mitis sum et humilis corde. Corde,* ait, id quod pariter de omnibus aliis virtutibus ab hoc divino exemplari discendis intelligendum est. Hac enim conditione sublata, virtutes nostrae, ut mundanorum hominum, ut ethnicorum, non tam virtutes quam *artes* essent dicendae. Quinam enimvero huius tam necessarii documenti exsequendi modus aut praestantior

Matth. XI, 29.

aut efficacior esse potest, quam ipsius Cordis Iesu Ducis nostri cultus, per contemplationem et amorem et imitationem sedulo exercitatus?

7. Quod si scopum, quem in cultu Sanctissimi Cordis sui inter fideles introducendo sibi Dominus proposuit, consideremus, magis etiam intelligimus, cur proprius ac peculiaris ille Societati nostrae esse debeat. Voluit scilicet Iesus, ut in hoc *fine saeculorum, dum refriguit iam caritas multorum* appropinquante tempore *defectionis,* quam reipsa cernimus vix non ubique in dies magis praevalere, novo hoc remedio pii cultus SS. Cordis sui succurreretur fidelibus, ne *in errorem* et laqueos *inducerentur etiam electi.* Quid vero magis conveniebat, quam ut Societas, divino Numine eo fine instituta, ut velut novum esset militanti Ecclesiae subsidium ac robur, quo hostium undique ingruentium impetum reprimeret ac retunderet, aut certe retardaret, hoc novo praesidio cultus SS. Cordis ipsa potissimum utendum sibi esse intelligeret? Et quis est qui ignoret, quantae efficaciae fuerit haec ipsa SS. Cordis Iesu cultus propagatio, ad innumeros fideles conservandos, animandos, et ab universali quodammodo apostasia praeservandos? Quum enim quaquaversus debacchata impietas blasphemiis Iesum eiusque sanctissimam religionem impeteret, et coniuratorum in Ecclesiam agmina ad omnia sacra evertenda prorumperent, quanto fuit fidelibus praesidio, peculiari studio recolere amantissimi Salvatoris beneficia, passionem eius et mortem et Sanctissimae Eucharistiae institutionem, ac veluti demandatum sibi munus assumere reparandi iniurias, quae in hoc praesertim amoris Iesu mysterio ab apostatis, a falsis christianis, a pravis catholicis, ab ipsis adeo non paucis sacerdotibus inferuntur, in hoc sanctum opus sancto novoque ardore sese devovere, et sodalitates pias hunc in finem institutas inire, quae murum se opponerent pro Domo Dei, quaeque nefandis consortiis consortia pia obiicerent?

4° scopus quem in cultu SS. Cordis sui proposuit sibi Dominus.

Matth. XXIV, 12.

Ibid. 24.

8. Haec et his similia qui consideret, simulque Societatis finem, conservandi scilicet confirmandique sub Christi vexillo fideles, et sub illud quam plurimos a Luciferi castris abductos congregandi, sibi ob oculos ponat, non erit profecto quod miretur, a Iesu Duce suo Societatem peculiari modo ad SS. Cordis sui cultum exercendum et promovendum vocari atque compelli. Neque erit quisquam inter nos, si tamen spiritu Societatis proprio agatur, qui invitanti vocantique Iesu ad Cordis sui cultum, eo fine eoque animo quem diximus exercendum, non omni studio, prompto alacrique affectu, sibi respondendum esse sentiat.

Concluditur Societatem peculiari modo ad hunc cultum exercendum et promovendum vocari.

Nec sufficit externum cultus exercitium; sed intimo animi affectu satisfaciamus ardenti SS. Cordis desiderio.

9. Scio equidem, Patres et Fratres carissimi, omnibus nostris illud esse commune atque in usu positum, ut aliquas in honorem SS. Cordis Iesu preces quotidie persolvant, ut prima saltem feria VI cuiusque mensis aliquid praeter consuetum in eiusdem piissimi Cordis honorem agant, et pro reparandis iniuriis Christo illatis in SS. Sacramento deprecentur. Vix enim quemquam esse inter vos existimo, qui haec et similia pia obsequia sacratissimo Cordis praestare non soleat. At quod caput est, Patres Fratresque carissimi, illud est, ut haec omnia bene quidem *secundum consuetudinem,* non tamen *ex* mera consuetudine quantumvis pia fiant. Nobis itaque necesse est, ut pia ista exercitia, animo semper exporrecto ad Iesu vota ac desideria de Cordis sui cultu explenda, mente et corde ipsi eiusque amori intime devotis frequentemus. Nobis necesse est, ut considerata temporum iniquitate ac perversorum hominum incredibili conatu in malum, eo ardentius in bonum Dei Iesuque honorem in nobis aliisque promovendum, cotidie nos excitemus. Nobis necesse est, ut praesertim quotquot sacerdotes sumus, et divinum officium recitamus, et sacrum Missae sacrificium cotidie celebramus, utrumque *in unione illius divinae intentionis, qua* Iesus *ipse in terris laudes Deo persolvebat,* persolvamus. Atque omnes quidem id profiteri consuevimus sub ipsum horarum canonicarum initium, atque idem certe in sacro Missae sacrificio celebrando, si minus ore at corde saltem, praestare censendi sumus. Quibus quidem verbis ipsum Cor Iesu nobis ut exemplar affectuum nostrorum omnium in his divinis mysteriis diserte proponimus. Haec itaque duo praecipua munera sacerdotalia ita exsequi studeamus necesse est, ut laudem Christo et honorem pro tam multis, quibus impetitur cotidie, iniuriis ferventer exhibeamus, et viva fide ac pietate et amore intenso in sacro altaris sacrificio offerendo hominum ingratorum sive incuriam sive contemptum et contumeliam, aliqua ratione resarcire conemur, ac demum pro nostrae vocationis debito animarum zelo in nostris erga proximum ministeriis ardeamus. Haec omnia cultus SS. Cordis nobis persuadebit.

Moveat nos cotidie grassans perversorum impietas,

10. Quid enim, Patres Fratresque carissimi? Videmus quanto studio, quantoque labore impii homines suum prosequantur finem corrumpendi omnia; videmus quanta perseverantia suam rem, vel Luciferi potius, urgeant; videmus quam magno, quam deplorando successu, vix non universali, id agant; mundum videmus erroribus ac sceleribus magis ac magis in dies undique mergi. An, quaeso, siccis haec oculis, an frigido corde istas tantas ruinas spectare poterimus? neque ad opponenda consilia consiliis, industriam industriae, operam operae,

laborem labori excitabimur? Quod si quandoque aliud agere non detur, nonne saltem *ad salvandas reliquias Israel* totos nos debere impendere et superimpendere intelligimus? An de cetero gemitibus et lacrimis Cor Iesu Salutaris nostri, quoniam ad hoc ipse invitat et se exauditurum ita orantes promittit, ad misericordiam nobis mundoque implorandam non pulsabimus?

Rom. IX, 27.

et studeamus cotidiana meditatione sensa SS. Cordis magis cognoscere,

11. Verum ad haec sensa in nobis excitanda semperque fovenda, illud potissimum commendandum vobis mihique ipsi sentio, Patres et Fratres carissimi, ut accurata meditatione, id quod etiam Iesus virgini suae maxime commendabat, ipsius Sanctissimi Cordis sensa et affectus cognoscere cotidie magis studeamus. Id vero consequemur, si facta dictaque Iesu ex Evangelio pro nostro Instituto meditantes, reflexione facta, ad Cordis ipsius affectus in his expendendos animum applicabimus. Quantum inde fructum ad nostram propriam perfectionem, quantum inde zeli ad proximorum salutem et perfectionem procurandam hauriemus, quantum in cognitione et amore, indeque in imitatione Christi Iesu proficiemus!

ut, secundum verba Apostoli, ab Ipso virtutes omnes nobis necessarias doceamur,

12. Iuverit, Patres et Fratres carissimi, Apostoli verba nobis applicare: *Nos autem,* inquit, *revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur, a claritate in claritatem, tamquam a Domini Spiritu. Nos,* qui Iesu socii dicimur et esse cupimus, *revelata facie,* non ut in antiqua lege in figurarum aenigmatibus, sed postquam *in terris visus est et cum hominibus conversatus est* Salvatorem Iesum quasi oculis nostris spectantes, *speciosum forma prae filiis hominum, cuius in labiis diffusa est gratia,... nos,* inquam, *revelata facie gloriam Domini speculantes* (*omnis autem gloriae eius,* plane ut *filiae regis,* maxime quum inter mortales ageret, *ab intus,* in Corde), *Cor* itaque Domini nostri *speculantes, in eamdem imaginem* per imitationem *transformabimur, a claritate in claritatem,* a virtute in virtutem, a bono in melius, a perfecto in perfectius, in humilitatem semper profundiorem, in patientiam semper robustiorem, in mansuetudinem semper suaviorem, in oboedientiam semper generosiorem, in ardentiorem semper caritatem, in zelum semper fervidiorem simulque benigniorem, in hominem usque perfectiorem in omnibus actibus suis; idque non utique nostris viribus aut industria, sed *tamquam a Domini Spiritu.* Etenim si *nemo potest dicere: Dominus Iesu, nisi in Spiritu sancto,* quanto magis ad interiora Iesu aliquo modo penetranda, ad Cor eius sanctissimum contemplandum, Spiritus sancti gratia omnino necessaria est?

II. Cor. III, 18.
Baruch III, 38.
Ps. XLIV, 3.
Ibid. 14.
I. Cor. XII, 3.

et apertum eius latus ingredientes accipiamus:

13. Verum hoc Spiritus sancti auxilio confisi, ipsoque Iesu ad hoc invitante, quoniam *latus eius* non percussum aut vulne-

ratum in cruce, sed *apertum* ab Evangelista dicitur, ut S. Augustinus observat, ingredimini, quaeso, Patres et Fratres carissimi, ostium salutis, divinitatis sacrarium; ac thesaurum infinitum virtutum et gratiarum in eo latentem speculando, contemplando et meditando vobis effodite, et inde quae ad vestram, quae ad aliorum salutem et perfectionem vobis necessaria sunt, accipite.

Ioan. XIX, 34.

humilitatem,

14. Vultis humilitatem? Videte qualis in omni vita sua, ab ipsa nativitate ad mortem usque, in omni actione sua Iesus fuerit; videte quomodo habitus fuerit ab hominibus, idque ideo quia ipse ita elegit, ita haberi *ipse voluit,*... et quae fuerint in Corde eius humilitatis sensa, quanta huius virtutis aestimatio et amor discite.

mansuetudinem,

15. Vultis mansuetudinem? Videte Iesum inter homines plerumque rudes ac rusticanos conversantem, discipulos sibi eligentem, qui quae vel clarissimis verbis enunciabat plerumque non intelligebant, iudaicis praeiudiciis ita occupati, ut ad ultimum usque vitae eius tempus, usque ad ipsum eius in caelum ascensionis diem, temporale etiam regnum et mundanam ambitionem somniarent. Observate in omnibus verbis et factis eius, quam mira, quam divina suavitate eos admoneat, corrigat, portet velut in sinu suo, et quam sollicitus ab improborum contemptim eos increpantium aggressione defendat. Et qualis quantaque sit illius Cordis dulcissima caritas et mansuetudo, ex aliqua saltem parte intelligite.

benignitatem,

16. Vultis benignitatem? Videte viscera eius ad omnes humanas miserias intime commoveri. Viduam cernit plorantem unici filii sui mortem... *Noli flere,* inquit, et redivivum desolatae matri restituit. Mulierem in adulterio deprehensam ad se deductam videt, extremo supplicio destinatam... e malignorum accusatorum et iudicum manibus divino artificio ereptam compellat: *Mulier, ubi sunt qui te accusabant? Nemo te condemnavit? nec ego te condemnabo. Vade in pace, et noli amplius peccare.* Videt turbam defatigatam esurientem: *Misereor,* ait *super turbam..., deficient in via... quidam ex eis de longe venerunt...* et insigni prodigio tantae necessitati occurrit. At misericordiae et benignitatis eius tot sunt documenta, quot sunt in Evangelio descripta miracula. Verum qualia putatis fuisse Cordis illius sensa, quae in talia verba, in talia facta prorumpebant?

Luc. VII, 13.

Ioan. VIII, 10, 11.

Marc. VIII, 2, 3.

resignationem et oboedientiam,

17. Vultis in Patris caelestis beneplacitum resignationem et oboedientiam? Videte eum *pauperem et in laboribus a iuventute,* quin adeo ad infantia *sua, fugientem* crudelis Herodis iras, in materna domo vilibus distentum ministeriis, in humili opificio desudantem, totos triginta annos agere, vel ignotum ho-

Ps. XXXVII, 16.

minibus vel contemptum... Audite dicentem in omnibus: *Ita, Pater, quoniam sic fuit placitum ante te.* Audite de ipsa sua tam atrocibus plena ignominiis ac tormentis passione et morte dicentem: *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* Et quae fuerit in illo Corde sui totius in omnia gravissima atque durissima oblatio plena, promptissima, generosissima, cognoscite.

Matth. XI, 26.

Ioan. XVIII, 11.

18. Ad apostolica munera exercenda vocati, vultis qualis esse zelus vester debeat, edoceri? Videte Iesum pauperes, rudes, parvulos praecipuo amore complectentem: *Talium est,* inquit, *regnum caelorum.* Audite dicentem: *Non veni vocare iustos, sed peccatores.* Audite reprimentem nimios discipulorum ardores, ipsius honorem vindicare volentium: *Nescitis,* inquit, *cuius spiritus estis.* Videte summa semper benignitate cum peccatoribus etiam publicis agentem, ad invidiam usque et amaram censuram Pharisaeorum. Ubi vero cum hisce fictis falsisque adversariis, cum hypocritis agit, quos solos cum aliqua acerbitate reprehendisse legimus, advertite quae de illo irato scribit S. Marcus, c. 3: *Circumspiciens eos cum ira, contristatus super caecitate eorum ...* et intelligetis, iram ipsam sanctissimam atque iustissimam in illo Corde dolore et compassione fuisse temperatam.

zelum verum,

Matth. XIX, 14.

Ibid. IX, 13.

Luc. IX, 55

19. Ad alios gubernandos vocatus, vis discere, qua ratione imperii potestas tibi exercenda sit? Vide Iesu in iubendo modestiam. Nimia fortasse tibi videbitur ... et tamen *ascendens in unam navim, quae erat Simonis,* ROGAVIT *eum,* ait Lucas, ROGAVIT Iesus Simonem, *a terra reducere pusillum.* Eum ipsum scilicet esse vides, de quo alibi scriptum legis: *Tu autem Dominator virtutis, cum tranquillitate iudicas, et cum magna reverentia disponis nos.* Discipulos suos rudes et ignorantes docet patientissime, tolerat imperfectos, maestos et abiectos erigit et exhilarat. Quod si semel (semel, non amplius ni fallor) eum dure aliquem illorum increpasse legimus, tum scilicet fuit, quum discipulus ille imprudenti zelo pro Eius ipsius honore eum a passione et morte subeunda tentabat avertere: *Vade retro, Satana, scandalum es mihi.* Ast quae nobis Iesu vitam meditantibus non occurrunt exempla uberiora et grandiora! Cor illud benignissimum, vel cum ipso Iuda (quem furem esse, ac traditorem fore scelestissimum, ac tandem a se culpa suae perfidiae avulsum iri in aeternum, certa scientia noverat), ita exterius agere Iesum docuit, ita nihil suspicionis de eo manifestare, ita dissimulare omnia, ut nemini Apostolorum, quum in ultima coena denunciari sibi audirent unum ex ipsis fore qui eum traderet, nemini eorum, inquam, in mentem venerit vel leviter suspicari, illum unum fortasse Iudam esse posse.

modum regendi alios,

Luc. V, 3.

Sap. c. 12.

Matth. XVI, 23.

Profecto Superior qui Cor Iesu sibi proponat, nae ille intelliget verba S. Patris nostri, in formula Instituti Pontificibus ad approbandum oblata, de Societatis Praeposito: *In praelatione sua . . . benignitatis ac mansuetudinis et caritatis Christi semper sit memor.* Ex iis autem quae in Generali requiruntur ceteri etiam Superiores, quid in se requiratur intelligere iubentur P. IX. c. 6. Quam equidem admonitionem tamquam ex ipso Corde Iesu descriptam merito existimemus.

sed praesertim amorem quo Cor illud SS. aestuat,

20. Pauca tantum ut videtis, Patres et Fratres carissimi, ad particularia descendens delibo, sed numquid hanc *Domini gloriam speculari* poterimus quin, adiuvante ipsius *Domini Spiritu,* paulatim *in eamdem imaginem transformemur*? De amore vero huius Sanctissimi Cordis in nos quid dicemus? Vereor sane, ne pauca dicens nihil dixisse videar, et tamen de illo tacere nonne nefas sit? *Dilexit me,* inquit Apostolus, et quod Apostolus dixit, idem unicuique nostrum dicendum est: *Dilexit me et tradidit semetipsum pro me.* Omnino *tradidit* semetipsum Iesus, ita ut nihil de se sibi reservaret . . . *tradidit semetipsum,* et quorumnam manibus, Deus immortalis! et ad quae et qualia, ut in se et de se fierent, *tradidit*? Videte Iesum, in omni primum vita, ab ipso conceptionis momento ad finem usque, . . tum maxime in passione et morte sua, victimam pro nobis oblatam, *quia ipse voluit.* In illa passione tam acerba sibi, tam beata nobis, Cor illud amantissimum an forte nimium se pro nobis, quamvis indignissimis et ingratis, an nimium se fecisse aut passum esse existimavit? *Quum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Itaque *pridie quam pateretur, qua nocte tradebatur,* notate tempus et horam, ne semel oblatus in cruce victima esse nostra desineret, sacrosancta *corporis et sanguinis sui mysteria discipulis tradidit celebranda,* ut adeo post mortem etiam suam victima nostra esse numquam cessaret. Et *hoc facite,* ais, o bone Iesu, *in mei memoriam.* Est scilicet ardenter amantium, optare summopere ut sui memoria ab amato servetur. Et erat scilicet timendum, ne tui tuorumque immortalium beneficiorum recordatio apud nos excideret? Ita plane. *Dilexisti me, et tradidisti temetipsum pro me,* nec semel aut iterum tradidisse contentus, tradis te ipsum pro me cotidie, . . . semper. Semper victima nostra esse et manere statuis . . . Quin etiam in ipsa caelesti gloria hanc tibi victimae speciem servas, et victimam te nostram fuisse et esse gloriae tibi ducis ducesque sempiternae.

Gal. II, 20. — *Is. LIII, 7.* — *Ioan. XIII, 1.* — *I. Cor. XI, 23.* — *Canon. Miss.* — *Luc. XXII. 19.*

quique inflammabit amorem nostrum ad toleranda fortiter adversa.

21. Ergo, Patres et Fratres carissimi, hunc tantum amorem in Corde Iesu latentem, sed tam miris ac magnificis argumentis se prodentem contemplantes, non admirabimur, non venerabimur, non amore sincero, ardenti, inflammato, semperque

magis ardenti, magisque inflammato, compensare aliquo modo statuemus? Amor ille Cordis sui fuit Iesu ad magna pro nobis agenda et patienda stimulus numquam deficiens... Nonne vicissim et amor noster nequaquam verbis aut sterili affectu contentus, ad fortiter agendum et patiendum nos efficaciter excitabit, ita quidem ut *numquam dicat: sufficit?* Cor Iesu contemplabimur amoris simul et doloris pelagus infinitum... et non intelligemus hosce duos affectus, amoris et doloris, nostrae etiam vitae veluti polos quosdam esse debere seu cardines, ut semper amor dolorem leniat, dolor perficiat amorem? Utinam versetur nobis semper ob oculos huius SS. Cordis imago! In ea spinas, crucem, et hians vulnus videmus, flammas item undique erumpentes. Sunt haec doloris simul et amoris Iesu symbola. At vero radii, quibus Cor ipsum undequaque cinctum cernimus, non modo gloriam huius Sanctissimi Cordis nobis repraesentant, sed et spiritualis luminis eiusque practici, quo maxime indigemus, copiam significant, quae ex hoc Corde ad omnes, qui illud venerantur, illuminandos et accendendos diffunditur. *Videte,...* non amplius *venite et videte...,* sed *gustate et videte.*

Prov. XXX, 15.

Ps. XXXIII, 9.

Exhortatio ad socios dispersos.

22. Denique ad vos iam sermonem converto, Patres et Fratres carissimi, quorum dispersio et calamitas, ut hasce tandem litteras de Corde Jesu scriberem, occasionem proximam praebuerunt. Vos ego dispersos video, ut columbas, quas vel teter nimbus dissipavit, vel milvi conspectus fugere et asylum ubicumque tandem quaerere coegit. Sit vobis, sit omnibus nobis Cor Iesu perfugium in tempestate securissimum. Ad hoc ipsum apertum est lancea latus Iesu, ut nos reciperet verum *foramen petrae* vivae, quae Christus est. *In foraminibus petrae, in caverna maceriae.* Erit in hoc Sacro Corde omnibus nobis locus. Cor enim est amplissimum, habet Iesus, melius quam qui figura eius fuit Salomon, *latitudinem cordis, sicut arenam quae est in litore maris.* In hoc Sanctissimo Corde suo, melius etiam quam *in abscondito faciei suae* abscondet nos Iesus *a conturbatione hominum... salvos nos faciet a pusillanimitate spiritus et tempestate.* In hoc Corde discemus, quod maxime nobis necessarium est, *rapinam bonorum cum gaudio sustinere, scientes nos habere meliorem et manentem substantiam;* discemus exsilium cum exsultatione subire, *quoniam non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus.* In hoc discemus omnia damna nostra lucra reputare, de paupertatis incommodis ut de lectissimis paradisi fructibus laetari, ignominiam pro illo illatam summum nobis honorem, praeter omne meritum nobis concessum, aestimare. Quidquid demum angustiarum, quidquid poenarum obtigerit, omnes illas poenas et angustias nostras, singulorum simul et universorum, primum Cor

V. 14.

Cant. II, 14.

III. Reg. IV, 29.

Ps. XXX, 21.

Ps. LIV, 9.

Heb. X, 34.

Heb. XIII, 14.

illud sustinuisse pro nobis intelligemus, quoniam, ut *iniquitates omnium nostrum,* ita poenas et onera omnium *portavit.*

Is. LIII, 11. In illo afflicti solacium, gravati et onerati levamen, debiles et vacillantes firmissimum praesidium, timentes et pavidi animum generosum, et quando etiam omnis humana ratio sperandi meliora sublata videatur, spem et fiduciam reperiemus fore, ut

Ps. CII, 9. *non in perpetuum irascatur, neque in aeternum comminetur* benignissimus noster Iesus.

Emerget ex hac tempestate Societas.

23. Equidem, Patres et Fratres carissimi, hanc ego spem indubitatam foveo. Emerget ex hac tanta, tam tetra tempestate Societas, immo purior et vegetior emerget, et gratior divinae Maiestatis oculis, et ad gloriam eius promovendam aptior, quam adhuc fuit, atque paratior. *Reposita est haec spes mea*

Iob. XIX, 27. *in sinu meo.* Quem tam faustum, tam optatum exitum ut res

Matth. XXIV, 22. nostrae afflictae habeant, utque *abbrevientur dies isti,* qui probationis ac tentationis dies sunt, utque cunctis det Dominus vir-

Rom. VIII, 37. tutem *in his omnibus superandi propter eum* qui *dilexit nos,*

I. Mach. IX, 10. nec *inferamus crimen gloriae nostrae,* nec *matrem* Societatem *contristemus*, nec Domino amanter nos visitanti eiusque amantissimis de nobis consiliis desimus, Sanctissimi Cordis Iesu cultum novo fervore diligentius in nobis foveamus.

Quaedam praestanda.

24. Ut autem aliquid etiam in particulari praescribam, proximum SS. Cordis Iesu festum, quantum loci cuiusque ac temporum ratio permittet, cum sollemnitate celebrabitur. Praemittatur in communi triduum, quo singulis diebus media hora dabitur orationi coram exposito SS. Sacramento tempore opportuniori ante coenam, et in uno ex his tribus diebus, a Superiore statuendo, fiat ieiunium et disciplina. Ceterum orent omnes Sanctissimum Cor Iesu ad intentionem nostram, quae alia non est, nisi ut de inexhausto illo gratiarum thesauro misericordiam suam magnam et miserationes suas multas, tam super Societatem nostram et maxime super socios dispersos, quam super Ecclesiam universam eiusque caput Romanum Pontificem, denique super mundum universum dignetur effundere. Respiciat enim nos tantum et misereatur, et sufficit nobis.

Conclusio.

25. Finem hisce litteris imponam illis verbis, quibus S.

II Petr. 3, 18. Petrus suam secundam epistolam conclusit: *Crescite in gratia et cognitione Domini nostri et Salvatoris Iesu Christi.* Hoc dabit Sacri Cordis eius cultus, qualem vobis hisce litteris exposui et commendavi, languide licet nimis et frigide. Sed ipsum Cor Iesu ad se accedentes illuminabit et accedent. Crescentes in cognitione, et in amore crescitis et amorem sequetur imitatio, ipsaque rursus imitatio et amorem pariter et cognitionem usque et usque crescere faciet, aptioresque in dies nos reddet ad cognitionem et amorem Iesu, in quo est

vita aeterna, in proximorum etiam animis pro nostra vocatione promovendum. *Crescite in gratia et cognitione Domini nostri et Salvatoris Iesu Christi. Ipsi gloria, et nunc et in diem aeternitatis. Amen.*

Omnium vestrum SS. Sacrificiis et precibus me enixe commendo.

Octava Ascensionis Domini, MDCCCXLVIII

IOANNES ROOTHAAN.

EPISTOLA
R. P. N. IOANNIS ROOTHAAN
AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS

De Cultu purissimi Cordis Mariae

1. Nuper, tot ac tantis calamitatibus pressi, ut in sanctissimo Corde Iesu refugium quaereremus, litteris datis ad universam Societatem, vos omnes, Patres et Fratres carissimi, adhortatus sum. Imperfectam esse adhortationem, imperfectum proposuisse me remedium existimarem, nisi appropinquante purissimi Cordis Mariae festo, ad huius etiam cultum, quamvis omnes satis fere iam incensos non dubitem, pro necessitatibus tamen nostris, paucis vos excitarem. Etenim, ut S. Bernardus ait, *opus est mediatore ad Mediatorem Christum, nec alter nobis utilior quam* Maria. Itaque videmus, quandocumque ad colendum Iesum Salvatorem novae institutae fuere lapsu temporis festivitates, mox analogas, proprio quodam Ecclesiae instinctu, introductas fuisse ad Dei Matrem simili modo colendam, quoniam, ut ad Patrem per Iesum, ita ad Iesum per Mariam accedendum esse, axiomatis instar semper habitum est, quum Iesus Mediatoris quidem sed simul et Iudicis personam gerat, Maria non nisi Matris, et Iesu et nostrae.

Epistola haec velut corollarium est praecedentis.

2. Hinc ubi primum Cordis Iesu cultus, divino Numine publice haberi coepit, mox etiam cultus purissimi Cordis Mariae frequentari inter fideles non cessavit. Nec minus Societas, quae sese totam esse Mariae inde a Parente Ignatio professa semper est, uti Iesu Cordis Sanctissimi ita et cultum immaculati Mariae Cordis promovere numquam destitit. Addite, Patres et Fratres carissimi, quae hisce postremis annis Deus non obscura dedit suae voluntatis indicia, tam multis editis prodigiis per institutam Parisiis sodalitatem sub invocatione puris-

Societas, sese totam esse Mariae semper professa,

simi Cordis Mariae *pro conversione peccatorum,* quae brevi tempore fructus salutis per universum orbem tam amplos tamque mirandos protulit, ut nihil simile in annalibus Ecclesiae per omnia retro saecula reperiatur. Addite quod nos ipsi Romae, anno 1837, experimento didicimus, quam sit in materno Mariae Corde praesidium efficax et salutare. Scilicet in lue asiatica Romae tum furente, quum ter centum plerique per omne tempus quod lues tenuit inter aegros et moribundos interque etiam cadavera infecta versarentur diu noctuque, voto nuncupato in huius purissimi Cordis honorem, patrocinium potentissimum ita sensimus, ut non modo neminem amissum, sed ne tactum quidem morbo vel unum e Sociis lugendum habuerimus, praeter omnem sane expectationem, ac secus omnino quam alibi acciderat. Quid autem dicam de potiori etiam Matris optimae favore, quae tales, inter illa pericula, timidis etiam maxime ac trepidantibus Sociis animos indidit, ut nemo fuerit, qui non libenter lue tactorum auxilio et solacio sese impenderet ac superimpenderet, totius Urbis non minore admiratione quam aedificatione gratique animi significatione sollemni. Quam ergo Mater clemens et pia, sub immaculati Cordis sui nomine invocata, in illo periculo opem tulit, hanc in praesenti etiam calamitate eam allaturam, quidni fidenter speremus?

anno 1837, Romae, Eius patrocinium experta,

in praesenti etiam calamitate Illam sibi auxiliaturam sperat.

Quare quaedam praestanda in proximo festo Cordis Immaculati.

3. Quare, Patres et Fratres carissimi, proximum Cordis immaculati festum, quod in dominicam post octavam Assumptionis eiusdem Virginis incidit, ita celebrari a nobis cupio, ut huius piissimi cultus promotionem peculiari modo cordi nobis esse palam fiat. Sabbato festum praecedente ieiunium praemittamus. *Bona* enim *est oratio cum ieiunio.* Ipso vero die festo sacrum faciant Patres, Fratres coronam recitent, pro praesentibus Societatis necessitatibus.

Tob. XII, 8.

Quid nobis orandum.

4. Oremus autem, Patres et Fratres carissimi, supplicemus Cordi piissimo, ut Ipsum *laudari se* a nobis, a Societate universa, *dignetur,* eamque quamvis adeo imminutam defendat, protegat, servet, in iis praesertim sedibus in quibus adhuc subsistere sinitur. Oremus, supplicemus Cordi piissimo, ut Socii omnes, accurata legum nostrarum observantia, beneque merendo de omnibus deque sancta Matre Ecclesia, Virginis optimae protectionem porro promereri contendant. Oremus et supplicemus Cordi piissimo, praesertim quotquot sumus socii dispersi, ut hoc tentationis ac probationis tempore ad salutem et perfectionem nostram utamur, *ut fiat* nobis *cum tentatione proventus.* Impetret omnibus Mater clementissima constantiam in tribulatione, et qui a solitis ministeriis impediti sunt, illis gratiam imploret bene utendi isto otio, ad animos praeparandos, ad recolenda studia sacra, ad orandum prolixius, denique ad

reddendos se magis idoneos divino operi, quando dabitur denuo in Domini vinea laborare. Si *lux mundi* esse per ministeria publica prohibemur, *sal terrae* esse per privatam conversationem verbo et exemplo unusquisque studeat. Nemo diffluat, nemo torpescat, nemo deficiat,... nisi forte sint qui *ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis*. Nam quod *ventilabrum* sit *in manu* Domini, quod *purget aream suam*, id non modo noxium non erit Societati, sed optandum maxime *ut et qui probati sunt, manifesti fiant in nobis*. Horum e numero ut quisque sit et esse perseveret, ad Matris Cor piissimum Iesuque simillimum semper respiciat, illudque non colere solum piis precibus sed et imitari omni studio conetur.

Mth. V, 13. — *I. Io. 2, 19.* — *Luc. III, 17.* — *I. Cor. XI, 19.*

Sanctis Sacrificiis me impense commendo,

Die 24 iunii 1848,

Vester in Christo servus,
IOANNES ROOTHAAN

EPISTOLA
R. P. N. IOANNIS ROOTHAAN
AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS

De Spe ex praeteritis calamitatibus concepta

Occasio scribendi

1. Grande solacium, Patres et Fratres carissimi, afferre nobis dignata est divina Bonitas, quum die 21 elapsi Septembris in basilica Vaticana gaudere nos fecit sollemni beatificatione B. Petri Claver et paucis diebus post novo nos gaudio cumulavit, quum promulgaretur decretum SS. D. N. Papae Pii IX, quo declaratum est Martyrium *signis et miraculis a Deo ita illustratum et confirmatum*, ut quandocumque procedi possit ab beatificationem vel canonizationem Ven. Patris Ioannis de Britto Missionarii et Martyris Madurensis, qui et ipse Societatis est filius. Hac occasione, Patres et Fratres carissimi, non possum, quin vobiscum paucis saltem sensa illa communicem, quae a tempore, quo in domos nostras post saevam procellam remigravimus, animo meo alte infixa haerent, quaeque manifestare per litteras temporis augustiae mihi usque adhuc non concesserunt. Nunc autem, ut id ultra non differatur, inter alia et illa plane singularia me incitant, quae in ultimi huius decreti promulgatione accidisse et ego et alii mecum observarunt. Facta est haec promulgatio ritu solito sollemniori die

S. Michaeli sacra, in templo hospitii Innocentiani, sub invocatione huius caelestis militiae principis, magno hominum lectissimorum e clero et populo concursu.

Quid dixerit gratias agens summo Pontifici;

2. Decreto a S. R. C. Secretario publice lecto, ego pro more brevi sermone Sanctissimo Patri gratias egi, simulque exsultationis nostrae sensa declaravi, quod Deus, *qui mortificat et vivificat,* solidas eiusmodi et caelestes consolationes nobis, eo ipso tempore concedere voluerit, quo tantis tribulationibus Societatis fidem probare dignatus est et adhuc probat. Et postquam dixissem, me in his non posse non agnoscere benignissimam Providentiam, cuius Sanctissimus Pater fidelissimus et tutissimus esset interpretes et instrumentum benevolentissimum, subiunxi verbis a me prius in hunc modum non praeparatis: *Persuasum mihi esse, Deum Dominum nostrum per haec magis magisque animare et excitare nos velle ad excutiendam nostram tepiditatem et ad imitanda, vel saltem aemulanda egregia fratrum nostrorum maiorum exempla.*

quid Pontifex responderit

3. Ad hunc meum sermonem Sanctissimus Pater, ut est consuetudo, respondit, sed non consueto modo. Respondit enim oratione solito longiori, voce alta et sonora, dicens inter alia: *Illud Societati Iesu cum Ecclesia commune esse, ut doloris et gaudii vicissitudines experiatur, et cursum suum medias inter procellas et tempestates teneat et prosequatur.* Tum mihi et Societati gratulatus benignissima verba adiecit, quibus nos adhortatus est ad constanter exercendas virtutes vocationis nostrae proprias: *abnegationis scilicet nostri ipsorum, mundi despicientiae et caritatis.* Ad astantes dein conversus: *Itaque,* ait, *quae Societati dico, ut Patrum suorum vestigiis insistendo in coeptis pergat, omnibus, et clero specialiter, dicta velim; etenim sine sui abnegatione, sine mundi despicientia non potest stare caritas, nec sine caritate sanctitas.*

modo, simili occasione et loco, plane insolito.

4. Postquam verbis ardentissimis has veritates omnibus inculcasset, SS. Pater mihi, toti Societati et clero universo impertitus est Apostolicam benedictionem, quam Praelati aeque ac ceteri astantes flexis genibus exceperunt. Haec omnia, uti iam dixi, SS. Pater voce firma et incitata protulit, modo, simili occasione et loco, plane insolito. Neque ego solus fui, iterum dico, qui quod in hac Sancti Patris agendi et dicendi ratione prorsus erat singulare observarim. Non minus enim ea res et alios, qui saepius iam eius modi sacris ritibus interfuerant, admiratione affecit.

In abnegatione nostri, despicientia mundi et caritate versatur totum Institutum.

5. Iam vero, Patres et Fratres carissimi, nostrarum sane partium esse arbitror, ut quotquot Societatis sumus haec iusta adeo et sancta verba, tam sollemniter a Vicario Iesu Christi nobis inculcata, gravissime advertamus. Ea enim continent, qui-

bus maxime nobis opus est, ut vocationi nostrae, ut instituto nostro respondeamus. Hoc autem totum in his virtutibus versatur: primum quidem in nostri ipsorum abnegatione et mundi despicientia, dein in exercitio caritatis. Immo his virtutibus innititur tota praxis evangelii a Christo Domino nobis traditi, et a S. P. N. Ignatio practice nobis applicati in suis Exercitiis spiritualibus, in quibus tamquam in germine continentur Constitutiones et Regulae nostrae, quae vicissim variis modis easdem virtutes, praecipue vero nostri abnegationem tamquam principium practicum et totius aedificii spiritualis fundamentum, nobis commendant. Qua propria abnegatione deficiente, Christus Iesus terribilem illam suam denunciat et ingeminat sententiam: *Non potest, non potest meus esse discipulus...* *Luc. XIV, 33.*
Non est, non est me dignus. *Matth. X, 37.*

6. Scitis, Patres et Fratres carissimi, a tempore, quo gravissimum onus sollicitudinis totius Societatis mihi impositum vidi, me voce et litteris ad universam Societatem datis, non cessasse a commendanda, quo possem spiritus ardore et intensissimo studio, maxima hac obligatione, tamquam condicione sine qua non possimus tales esse, quales nos velit S. Pater noster eiusque Institutum. Hoc primis meis litteris *de amore Societatis Iesu et Instituti nostri,* hoc aliis decursu plus quam viginti annorum operosae meae administrationis scriptis litteris inculcavi. Et quum *de Exercitiorum spiritualium studio et usu,* et quum recurrente Anno Saeculari Societatis nostrae scriberem, et alia quacumque occasione, vos excitare conatus sum ad tantopere desideratam et adeo semper necessariam spiritus renovationem.

Ad quas virtutes, iam antea saepe hortatus,

7. Nunc ergo, Patres Fratresque carissimi, quales sumus in hac re? Aperte vobis confiteor, spinam cordi meo haerere acutissimam, quae me diu noctuque transfigat. Quum scilicet procellas illas, quae a pluribus annis impendebant, tandem in Societatem nostram, in Italia specialiter, erumpere viderem, me ipsum de tantis calamitatibus consolabar, dicens tacitus intra me: « Ecce advenit tempus, quo Dominus ipse in nobis omnibus renovationem spiritus est operaturus. *Ecce* accepit *ventilabrum in manu sua... ecce purgabit aream suam.* O! quam speciosa, quam renovata in spiritu fervoris, optima hominum aetate digno, prodibit ex his aerumnis Societas, quando dispersa eius membra, illi scilicet Socii iterum coniungentur qui in medio tantarum et tam acerbarum vexationum salvi et vocationi suae fideles remanserint! » Haec mecum volvens solabar in Domino, et fratres nostri, qui me viderunt in variis extra Italiam Provinciis, quas adinstar peregrinantis invisere mihi contigit, tranquillam, immo laetam fiduciam observare poterant, quam

ut denuo excitet, post saevas procellas,

Luc. III, 17.

non minus animo alebam, quam extrinsecus quoque manifestabam.

inquirit quales simus in spiritu: ferventioresne,

8. Interea tempestas sedata est, idque longe celerius, quam sperari humano modo poterat. Non expletis duobus annis, quasi miraculo, in plerasque domos nostras, quas vi compulsi deserere debueramus, remigravimus, iterumque qui post horrendum cataclysmum superstites fuimus, convenimus. Et quod magis mirandum, vehementer desideramur, etiam atque etiam requirimur, in illis etiam locis ubi paulo ante ipsum nomen nostrum implacabili odio et exsecrationi esse videbatur. Verum enimvero una cum tantis causis consolationis et gaudii in Domino, quid videmus? Ego quae video, Patres mei et Fratres carissimi, dicam vobis eo animi candore, quem in conspectu Domini vobis debeo, et ob illam fidelitatem, quam dilectissima mater nostra Societas, quae mihi vita ipsa millies carior est et esse debet, a me requirit. Quid igitur video? quid observo? Video utique et observo, non sine exsultantis animi gaudio, non paucos nostros, qui sicuti ante ultimas has calamitates optimo erant in Societate exemplo, homines quales vult, immo quales S. Ignatius formatos in Societate homines esse debere praesumit, *homines vere spirituales, vere humiles et prudentes in Christo ...*, qui sicuti diebus procellosis tales permanserunt, suae nempe vocationis semper memores, omni studio, quantum per temporum adiuncta licuit, in promovendo duplici Societatis fine, propriae scilicet et proximorum sanctificatio intenti, ita et nunc iidem sunt et manent *gaudium et corona nostra in Domino.*

an minus ferventes;

9. Ast video etiam et observo ex altera parte esse adhuc inter nos, nunc quoque, postquam vox Domini nos visitantis ita intonuit, ut non solum dormientes excitare ad salutem, sed etiam si qui mortui fuissent ad vitam revocare debuisset, esse adhuc, dico, qui sicuti ante dispersionem erant, nunc quoque exigui sunt fervoris, exiguae observantiae, et ideo etiam exiguae aedificationis, sui suorumque commodorum amantes, propriae existimationis et vanae hominum opinionis studiosissimi, reprehensionum et animadversionum a parte Superiorum impatientissimi, ad oboediendum difficiles, e quibus quaerendum potius: *quid vis ut faciam tibi?* quam ut operam suam pro tempore et necessitate libere adhiberi sinant. Animadverto inter Nostros reperiri (quorum eheu, quamvis pauci forte, immo paucissimi sint, non ideo tamen sine acerbissimo cordis dolore memorari possum), qui reduces ex dispersione tales se exhibeant quales ante erant: admodum imperfecti, otii magis quam laboris cupidi, officiis ab oboedientia sibi impositis eo languore fungentes, qui non solum menti Societatis vehementer contradicit, sed infaustis quoque quae vivimus temporibus mi-

nime convenit. Quibus temporibus si quod est in humanis remedium, non alibi quaerendum, quam in ardenti zelo operariorum evangelicorum, qui spiritu Dei repleti, prompti sint ad quoscumque perferendos labores, ad quaecumque sacrificia facienda, *apponentes se murum pro domo Dei, et qui se impendant et superimpendant pro animabus.* O Patres mei et Fratres carissimi, si hoc spiritu animati essemus omnes, Superiores et subditi, et Praedicatores et Professores et Magistri et Scholares et Coadiutores, quilibet in suo gradu et officio, vere et proprie intendentes fini vocationis nostrae, nemine quaerente *quae sua sunt, sed quae Iesu Christi*: numquid non putatis, longe alios fructus e tantis et tam diversis nostris ministeriis fore colligendos? Et quamvis pauci simus ad satisfaciendum laboribus, qui ex omni parte urgent, nonne nihilominus, paucis pro multis laborantibus, opera nostra numero etiam amplificarentur? Sed heu! nescio quid sit. Timor me subinde incessit ne Societas ipsa alicubi partem habeat illius incuriae, illius indifferentiae, illius defectus zeli industrii, nervosi et efficacis, quem defectum in tanto civium, bonorum etiam, numero quasi generatim cum dolore animadvertimus, quum interim perversi homines in rebus agendis incredibilem et, ut ita dicam, infernalem prae se ferant vim et efficacitatem.

quamquam praesens tempus maximum fervorem postulat;

Ezech XIII, 5.

II. Cor. XII, 15.

10. Perpendamus, Patres mei Fratresque carissimi, quid Ecclesia, quid ipsi homines saeculi a nobis hisce temporibus exspectent. Et id nobis persuadeamus: si non sumus parati ad generosum sacrificium nostri ipsorum, propriarum nostrarum delectationum, commodorum nostrorum, verbo, ad sacrificium amoris proprii, non possumus esse *de semine illorum per quos salus facta est in Israel.*

exspectat Ecclesia Dei,

I. Mach. V, 26.

11. Inspiciamus exempla Maiorum nostrorum. Erant profecto heroes virtutis, et ideo etiam heroes zeli mirum in modum fructuosi. Non ii solum quos aris impositos colimus, sed quam multi, quam multi alii iustam nobis rationem tribuunt dicendi: *Filii Sanctorum sumus!* Immo iure credimus, *propter Patres* tantas a Dei misericordias ultra omne meritum nostrum in nos diffundi. Tam copiosis autem et tam gloriosis exemplis ecquid non moveremur et excitaremur!

et requirunt exempla Maiorum nostrorum.

Tob. XII, 5.

12. Scio equidem, Patres et Fratres carissimi, non posse hominem *accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de caelo!* Scio a Deo, dum dona distribuat, non omnia omnibus dari, sed et illud scio, liberalissimum Deum dare *omnibus affluenter.* Scio Dei promissionem fallere non posse: *Pater dabit Spiritum bonum petentibus se.* Quin etiam scio, eum qui hunc Spiritum non poscat, vel poscendo ea non removeat, quae ne detur Spiritus obstent et impediant, scio inquam, talem non accepturum illum

Refellitur obiectio.

Ioan. III, 27.

Spiritum, quem manibus pedibusque repellat, mansurumque proinde in miseranda sua mediocritate et ignavia.

Concluditur. 13. O Patres et Fratres carissimi, exsuscitemus nos, et benignissimo Deo in novis Beatis nova exempla simul et praesidia nobis exhibente, multiplicatis intercessoribus, multiplicemus et preces nostras, et preces fundentes in illud simul incumbamus, ut maiori cum ardore nosmetipsos vincamus. Nostis enim, illud *Vince te ipsum* fuisse grande et sollemne axioma S. Patris nostri, a quo magnus Xaverius illud acceperit, acceptumque unice fere suis in Indiarum apostolatu Sociis inculcaret.

14. Vobis, Patres et Fratres carissimi, generosum hunc spiritum proprium Societatis nostrae, ex animo apprecans, vestris sanctis sacrificiis et orationibus me commendo, ut eumdem Spiritum mihi, tanto dono maxime indigenti, impetretis.

Reverendi Patres et Fratres Carissimi,

Romae, X Octobris M.D.CCC.LI.

Omnium Vestrum servus in Christo,
IOANNES ROOTHAAN.

PUNCTA MEDITATIONUM

ET

INSTRUCTIONUM SPIRITUALIUM

Cum Pater Roothaan annis 1848 *et* 1849 *exsul complures Societatis Iesu provincias visitaret, in singulis domibus, ad quas venit, Patres et Fratres tanta cum charitate et suavitate, tanto cum ardore et fervore adhortabatur, ut memoria eius rei ad nostram usque aetatem perduraverit. Multa conservantur testimonia scripta, e quibus nonnulla in alio huius seriei volumine, quod Testimonia Aequalium inscriptum est, publicavimus. Liceat unum afferre. Ioseph Dmowski a. 1861 ad R. P. Manfredini haec scripsit: « Le visite (del Servo di Dio) ... furono da tutti tenute come uno speciale beneficio di Dio ... Le sue esortazioni furono ammirabili ... Fù tanto il suo fervore nel dire e tanta profundità dell'evangelica dottrina, che sembrava ispirato da Dio; i suoi occhi pareva che mandassero le scintille e le parole sembravano sortire dalla sua bocca infiammate da quel fuoco celeste che ardeva nella sua mente e nel suo cuore ».*

Nec mirum est, multos qui eum audirent, puncta meditationum et instructionum sibi rettulisse. Quarum adnotationum eae quae, ut erant uberius et accuratius factae, una cum ipsius Servi Dei scriptis anno 1891 in lucem editae sunt, aliquantulum auctae hoc volumine, mutato ordine, iterum proferuntur.

Manuscripta in Archivo Postulationis gen. S. I. conservantur.

Exercitia Spiritualia
scholasticis Collegii Valsensis data

1-10 Oct. 1848

Dies 1.

I. - *Fundamentum,* fondement de l'édifice de la vie spirituelle, de la sainteté et de la perfection; *Principium,* principe d'ou *tout* découle. Meditatio 1 De Fundamento

Importance de cette vérité. Sans elle *rien,* avec elle *tout.*

P. 1. *Creatus est*... Nous sommes créés de Dieu... Pourquoi? *ut laudet, revereatur.* Toujours cela, rien que cela... Voilà notre affaire à nous... Qu'est-ce que louer?...

P. 2. *Eique serviens*... *salvus fiat*: Voilà l'affaire de Dieu.

II. - *Media.*

P. 1. Non pas précisément, *ut salvi fiant,* mais d'abord *ut serviant, laudent. Reliqua*... tout: 1° *hors de nous*: arbres, plantes... 2° *Nous,* nos sens, nos facultés. Ici se rapporte le mot mystérieux de St Paul: *non facio animam meam pretiosiorem quam me.* Donc même la vie est un moyen pour notre âme en tant que distincte de notre âme... 3° Non seulement nous et ce qui est hors de nous, mais encore tout ce qui nous arrive, les évènements heureux et malheureux... *Reliqua,* tout, tout, absolument tout: moyens. Meditatio 2 De Fundamento

P. 2. *Tantum quantum.* Règle de conduite: rien de plus, rien de moins. 1° Ceux qui servent, les embrasser et s'en servir; 2° ceux qui s'opposent, les détester; 3° les indifférents, les mépriser; et c'est ici la base solide et véritable du mépris du monde. Bien plus, les choses indifférentes, souvent il ne faut pas se *contenter* de les mépriser, il faut les détester... Cette parole exécrable, qui se répète aujourd'hui si souvent, le *confortable,* les aises, les commodités, nous ne saurions trop les détester. Sans doute tout cela devrait être moyen: *Scio abundare et penuriam pati;* mais qu'il est bien plus difficile d'en profiter comme nous devrions, maintenant que notre nature est corrompue!

Cela me plait, cela me déplait, est-ce une raison? Ce qui nous déplait étant plus aisément un moyen, avec quel empressement ne devons-nous pas le saisir? Il faut se mettre la fin devant les yeux et puis tirer une ligne droite. *Tantum quantum.* Et même la mort ne doit pas pouvoir nous empêcher de tendre à notre fin, puisqu'en l'acceptant avec générosité comme sacrifice de nous mêmes à Dieu, c'est un moyen surexcellent d'arriver à notre fin.

Instructio De Exercitiis

Instructio I. *Praefatio.* Quelle oeuvre que de donner les Exercices spirituels! Saint-Ignace trouvait à peine parmi les premiers Pères de la Compagnie un ou deux capables de les donner!... Oeuvre importante, puisque c'est dans les Exercices que nous devons puiser l'esprit de la Compagnie, comme ce sont les Exercices qui l'ont fondée; c'est là qu'elle l'a conservé et qu'elle doit encore le conserver.

1. *Quid sint Exercitia.* Ces Exercices sont exercices de l'*esprit* par similitude avec les exercices du corps... Mais comprenons bien la nature de ces exercices de l'esprit. Ce ne sont point des exercices de l'esprit par la contemplation spéculative de certaines vérités; leur but n'est pas d'enricher notre esprit de nouvelles connaissances, non: *Exercitia spiritualia, per quae homo dirigitur ut vincere seipsum possit,* c'est-à-dire la *pratique.* Ce sont des Exercices spirituels, dirigés, tendant à la pratique.

Deambulare, ire, currere; c-est là l'image de ce qui se passe dans les Exercices. Il en est qui *se promènent,* d'autres qui *marchent,* d'autres qui *courent;* il en est même qui volent... *Courir,* cela ne dépend pas toujours de nous, quoique nous devions tendre à courir et même à voler: *quis mihi dabit pennas?*... Mais au moins ne faut-il pas se contenter de se promener, il faut *marcher.* Il est des religieux, qui pendant leurs retraites se contentent de se promener. Ils vont à petits pas, et puis reviennent sur leurs pas; aussi, après plusieurs années ils sont toujours dans le même état... ils se sont promenés et voilà tout.

2. *Quae media adhibeantur.* Ils se réduisent à deux: 1° s'examiner; 2° prier, méditer, réfléchir.

S'examiner en priant, et méditer en s'examinant, c'est-à-dire, en s'appliquant la vérité que l'on médite; voilà la substance des Exercices. Chose remarquable! Saint-Ignace n'est pas converti par suite de sa blessure, ni même par suite de l'apparition de Saint-Pierre; c'est la lecture réfléchie de la vie de Jésus-Christ et des Saints qui a triomphé de son coeur. Oui, il est vrai de dire, dans la religion et pour les religieux comme

pour les gens du monde: *Desolata est terra, quia nemo est qui recogitet corde.*

3. *Finis.* 1°. Se purifier de ses affections désordonnées; 2°. chercher et connaître la volonté de Dieu.

1°. Se purifier de ses affections désordonnées. Notre coeur s'attache à ce qui lui plait; il repousse ce qui lui déplait... Ce n'est pas là une raison d'agir. Ce qui doit régler nos affections, ce sont nos voeux, nos Constitutions, la règle de S[t] Ignace... Non que les Exercices puissent déraciner *complètement* ces affections désordonnées. Non, notre coeur n'est pas *une pierre,* qui conserve la forme qu'on lui a donnée une fois; il est *de terre,* et c'est une terre mauvaise, qui pousse sans cesse de mauvaises herbes, si le fer n'est pas toujours là pour la purifier.

2°. Chercher, connaître la volonté de Dieu. Dieu veut nous manifester sa volonté; mais il veut que nous fassions effort pour la connaître. D'ailleurs, après l'avoir méconnue si souvent, méritons-nous de la connaître sans peine et sans la rechercher? *Doce me facere voluntatem tuam.*

Cette volonté n'est pas la volonté de Dieu sur notre vocation. Oh! malheur à celui qui s'arrête à la pensée de revenir sur le travail qu'il a déjà fait, et sur cette volonté connue! Oh! malheur à celui qui se persuaderait qu'il y a toujours une porte de derrière, par laquelle il lui est libre de sortir quand il le voudra! Non; cette volonté de Dieu nous la connaissons, nous nous sommes liés pour toujours, et tout est désormais fini!... Mais cette volonté de Dieu, c'est ce qu'il demande spécialement de nous dans notre vocation; ce sont les désirs et les pensées qu'il nous inspire, et les moyens d'accomplir cette volonté.

4. *Quo animo facienda.* Grand coeur; nous offrir pleinement à Dieu, toutes nos facultés, nos sens, tout nous-même, sans limites... ne pas dire: j'irai jusque-là, et pas au-delà... oh! la sainteté est bonne pour d'autres etc.... *Si scires donum Dei, et quis est qui dicit tibi: da mihi bibere!* Oh! si nous connaissions le prix des lumières que Dieu nous donne dans les Exercices, et le besoin que nous en avons, oh! nous ne serions pas tentés de mettre obstacle à l'abondance des grâces de Dieu... Il en est de la lumière surnaturelle comme de la lumière du soleil, au moyen de laquelle nous n'apercevons plus seulement la forme grossière, et même les détails des objets, mais qui nous montre aussi les poussières les plus subtiles, répandues dans l'air. Ainsi la lumière surnaturelle qui éclaire notre âme.

5. *Quid amplius requiratur.* Conditions que demandent les Exercices: 1°. *Recueillement extérieur* (Annot. 20). 2°. *Observation des Additions.* Souvent on retire point ou peu de fruit des Exercices à cause du manque de fidélité à ces petites choses,

auxquelles S[t] Ignace attachait tant d'importance, comme le prouve l'Examen particulier, qu'il faut faire sur la fidélité aux Additions. 3°. *Examen particulier sur les Additions.* 4°. *Recueillement intérieur* surtout. Voilà le grand moyen. Rentrer en soi-même, dans son propre coeur, s'y enfermer.

Meditatio 3
De Fundamento

III. - *Indifferentia.* C'est tout à la fois la *conséquence* et le moyen de mettre en pratique la seconde partie, qui renferme la plus haute et la plus sublime perfection: *tantum quantum.* Se trouver au milieu des créatures, qui toutes nous *attirent* ou nous *repoussent,* et résister à leurs attraits, ou bien ne pas les rejeter parce qu'elles nous déplaisent, oui, c'est la plus haute perfection.

P. 1. *Ambitus.* Saint-Ignace nomme quatre objets, parce que ce sont les quatre objets qui dominent dans le monde. Mais cela n'empêche pas que cette indiffèrence ne doive s'étendre au-delà. Que chacun se place devant sa vie toute entière, et qu'il voie ce qui pour lui pourrait être un obstacle.

P. 2. *Rationi consentanea.* C'est sans raison en effet que nous choisirions quelque chose: la santé ou la maladie... le succès dans nos études, le talent... mais, pauvres avaugles, savons-nous ce qui nous convient?

Cette indifférence doit s'étendre même aux choses de l'ordre surnaturel. Voulons-nous les consolations ou les sécheresses? Et pourquoi?

Mais si cette indifférence, si logique et si raisonnable, est si nécessaire pour tous en général, pour nous, religieux de la Compagnie, il y a un motif particulier qui nous y engage. Nous avons fait à Dieu *voeu* d'Obéissance; or ne devons-nous pas après cela nous abandonner entièrement à la charité très-fidèle de Dieu, *fidelissima Domini caritas,* comme dit Saint Ignace?

P. 3. *Fructus.* Elle donne la *paix,* le *calme,* la *tranquillité.* Le moyen pour arriver là, c'est le *vince teipsum* de Saint Ignace, et que Saint François-Xavier répétait sans cesse, parce que, disait-il, je n'ai pas appris autres chose de notre Père Ignace.

Meditatio 4
Repetitio

IV. - *Repetitio. Finis.* 1°. Combien il est raisonnable et juste que je serve Dieu. Je suis de Dieu, qui m'a tout donné et me conserve sans cesse; donc il est juste et raisonnable que je m'applique tout entier au service de ce bon Maître.

2°. Qu'est-ce que servir Dieu? Servir Dieu, c'est faire sa volonté et non la mienne, cette volonté qui ne signifie rien, qui ne vaut rien, qui est toujours en opposition avec la volonté de Dieu. Or, cette volonté de Dieu se manifeste par les *commandements positifs,* qui obligent sous peine de péché mortel ou

véniel; par les *inspirations particulières;* enfin par les *évènements* heureux ou malheureux, que Dieu veut ou du moins permet.

En me soumettant, je me sauve; et comme je suis appelé à un service plus parfait que le simple chrétien par là aussi je suis appelé à un plus haut degré de bonheur.

3°. Comment dois-je servir Dieu? Avec patience, en réprimant mes passions, et surtout mon amour-propre et ma sensualité. Par ce combat constant, j'arriverai à servir Dieu par tous les évènements même fâcheux, avec *facilité;* et par la pratique et la fidélité à la grâce, je parviendrai même à les accepter avec *amour* et avec *joie,* en quoi consiste la plus haute perfection et la sainteté.

Media. 1°. Tout est moyen: *reliqua* ... tout ce qui est de moi et en moi, sans être moi; mes sens, mes facultés, ma vie, mon temps ... tout cela. Donc, à plus forte raison, tout ce qui est hors de moi, et même les évènements, quelque fâcheux qu'ils puissent être.

2°. Comment dois-je user de ces moyens? *tantum quantum*: rien de plus, rien de moins. Ne compter pour rien l'attrait ou la répugnance. Imiter l'ouvrier, qui ne regarde dans l'usage qu'il fait de ses outils que leur aptitude à tel ou tel ouvrage, et non leur beauté extrinsèque.

Indifferentia. L'indifférence, moyen pour arriver à ce qui précède, c'est-à-dire, à l'emploi et à la perfection de l'emploi des moyens. Tel religieux est arrêté par une montagne, tandis que pour un autre, qui a l'indifférence, cet obstacle est simplement un peu de sable.

1°. Sa *nécessité*: je suis aveugle; je ne dois pas choisir ce que pe ne connais pas.

2°. Son *universalité*: *reliqua* ...

3°. Ses *fruits*: paix, contentement ... Moyen: *Vince te ipsum* ... Jésus-Christ l'a dit: *abnega temetipsum*: *qui non abnegat semetipsum, non potest meus esse discipulus.* Ces vérités sont claires à la raison, mais ne nous bornons pas à cette vue de la raison. Prions Notre-Seigneur de les imprimer profondément dans notre esprit, et surtout dans notre coeur.

Dies 2.

I. - *Triplex Peccatum.* Nous avons considéré notre fin. Rien ici-bas ne peut nous en séparer, si ce n'est le péché. Meditatio 1 De triplici peccato

Dans cette première semaine, St. Ignace se propose d'exciter en nous le regret de nos péchés passés, afin de nous faire commencer une vie toute nouvelle, et les trois exercices fonda-

mentaux de cette semaine concourent admirablement à ce résultat. Le premier excite la confusion, le second la haine et la détestation du péché, le troisième le ferme propos : trois choses qui ensemble constituent la contrition parfaite.

N. B. Faire une attention spéciale à ne pas abandonner un point sans s'en être bien nourri.

P. 1. *Peccatum Angelorum.* Ces créatures, autrefois si parfaites, ne savent plus mainenant que *haïr,* et aussi elles ne sont dignes que de haine. Leur volonté, autrefois si parfaite, est maintenant aussi perverse qu'elle puisse l'être. Or sur cela trois réflexions :

1°. Quelle est la malice du péché, puisque Dieu a créé l'enfer tout exprès pour les pécheurs ?

2°. Quelle est la sévérité de Dieu, et la rigueur de sa justice ?

3°. Que le pécheur se laisse entraîner facilement à la révolte contre Dieu !

Or, ce péché que Dieu déteste et punit si sévérement, combien de fois ne l'ai-je pas commis ! . . .

Et quand je ne l'aurais commis qu'une seule fois, je devrais être ce que sont les Anges rebelles, cette sévérité de la justice, je devrais la subir . . . Donc confusion et honte de moi-même, qui ai pu me rendre si coupable.

P. 2. *Peccatum Adami.* 1° Quel changement, aveuglement et endurcissement ! Quand Dieu l'appelle pour lui demander compte de ses péchés, on voit par ses réponses qu'il ne *comprend* pas son état, et qu''il ne *déteste* pas son crime. Oui, voilà l'effet du péché . . . de plonger l'âme dans un état d'aveuglement et d'endurcissement qui la rend comme *indomptable.* Elle ne peut désormais ni se reconnaître, ni se détester et détester ses fautes, si l'infinie miséricorde ne vient la retirer de cet état pitoyable.

2° Quels effets et quelles suites . . . ! Punition d'Adam . . . malheur de sa postérité . . . et malgré la mort de Notre Seigneur perte éternelle de tant d'infortunés, qu'entraîne au fond des enfers la malheureuse pente que nous avons au mal depuis cette faute.

Voilà donc 1° ce que je suis comme fils d'Adam : *aveugle, endurci,* ne reconnaissant pas et n'avouant pas mes fautes ; 2° ce que je *devrais* être sans la miséricorde de Dieu : destiné à *rouler* de péché en péché jusqu'au plus profond des abîmes . . . Que sera-ce donc si j'ajoute mes propres péchés si nombreux, à celui dont j'hérite en naissant ? . . . Et qu'aurais-je été, si la miséricorde de Dieu . . . ? Donc, confusion et honte.

P. 3. *Peccatum unum.* Voilà cette âme qui est dans l'en-

fer ... Quelle éternelle confusion pour elle! Quelle ne doit pas être ma propre confusion, puisque j'ai si souvent ...

Colloque à Notre-Seigneur crucifié.

II. - *Peccata propria.* Dans le premier exercice Saint Ignace nous indiquait que le fruit à en retirer était la *honte*, la *confusion* de nous-mêmes. Dans le second il veut que nous demandions de plus la *douleur* de nos péchés. Nous devons nous appliquer à répandre des larmes, au moins intérieures, quoique des larmes extérieures en cette matière ne seraient pas déplacées.

Meditatio 2
De peccatis propriis

Appliquons-nous à nous pénétrer de plus en plus de la *confusion* de nous-mêmes, laquelle naîtra de la connaissance plus approfondie, que nous aurons de nous. Le mépris nous est d'autant plus nécessaire que nous travaillons davantage à devenir parfaits. C'est le *sel* qui conserve nos vertus; c'est le lest qui fait équilibre à la cargaison d'une partie du vaisseau. Tout le travail de la perfection se réduit à *s'élever* vers Dieu, pour s'unir à lui, et à *descendre* en nous-mêmes, pour nous connaître et nous mépriser. Voilà pour le second prélude.

P. 1. Il ne s'agit pas ici de faire un examen détaillé de sa conscience, comme pour se préparer à la confession; il est tout simplement question d'avoir une connaissance générale de ses péchés passés, afin de s'exciter à la contrition. Et particulièrement pour ceux qui, dans le monde auraient eu le malheur d'être engagés dans une habitude vicieuse contre la sainte vertù, qu'ils se gardent de remuer cette *boue*.

Au surplus il ne faut pas seulement se rappeler quelques péchés mortels, mais encore quelques-uns des véniels. Car, encore que, par un mystère le péché véniel ne nous rende pas ennemis de Dieu, il n'en est pas moins une désobéissance à Dieu, que par notre fin nous sommes obligés de servir.

P. 2 ... 3 ... 4 ... Pénétrons-nous de ce sentiment, que par suite de notre péché nous avons donné à toute la nature le droit de se révolter contre nous. Il est rapporté au livre des Rois, que lorsque David était poursuivi des insultes du malheureux Séméi, le fidéle Abisaï s'écria: *Quis est iste canis mortuus ... ibo et amputabo caput eius.* L'indignation d'Abisaï était sans doute bien légitime, mais combien davantage l'est celle des Anges contre le pécheur! Saint François de Borgia était bien pénétré de ce sentiment, lorsque rencontrant des boeufs sur la route, il croyait que ces animaux devaient se jeter sur lui; ou encore que les ouvriers devaient sortir de leurs boutiques et venger sur lui les injures qu'il avait faites à Dieu.

Colloque. Remercier Dieu de ses bienfaits. *Confitebor tibi, Domine,... quia eruisti animam meam ex inferno inferiori.*

Instructio. De Additionibus.

Instructio II. *De Additionibus.* Ces Additions ne regardent pas seulement le temps des Exercices, mais toute la vie.

Additio 1. Son utilité est inexplicable. Cette pensée qui termine la journée, est comme la cendre que l'on met le soir sur le brasier. Le matin il n'y a plus qu'à remuer, et le feu est tout prêt.

Additio 2. Pourquoi la première pensée doit-elle être relative à la Méditation? Afin de nous mettre tout de suite en rapport avec la vérité que nous allons méditer, et afin de nous en mieux pénétrer.

(*Sur les deux premiers exercices en particulier*). Dans le premier exercice, c'est un sentiment de *honte* et de *confusion* qui doit nous pénétrer ... Ce sentiment nous convient, et il devrait nous accompagner partout et toujours... oh! que les fruits en seraient précieux! De combien de fautes ne nous préserverait-il pas? comme il nous pousserait à servir Dieu fidèlement!... Oui, ce sentiment de confusion est le nôtre. De combien de bienfaits n'avons-nous pas abusé?... Nous ne nous rappelons pas assez souvent les bienfaits de Dieu; nous passons trop légèrement là-dessus... Et cependant deux fois le jour Saint-Ignace nous ramène aux bienfaits de Dieu (Création, Rédemption, Vocation). Quels bienfaits et combien d'actions ne renferment-ils pas?... Oui, confusion ... A la Sainte Messe n'est-ce pas le sentiment qui domine dans les paroles que nous prononçons? Nous parlons du peuple avec respect et de nous avec humilité. Sans ce sentiment de confusion, comment animer les paroles du sentiment qui leur convient?

Dans le second exercice Saint Ignace nous recommande de nous répéter que nous sommes « de grands pécheurs », et de nous représenter comme « des criminels que l'on conduit à la mort ». Cette double pensée est bien vraie. D'abord grand pécheur; tous, même ceux qui auraient conservé leur innocence baptismale. D'abord celui qui a conservé son innocence baptismale a un motif de plus de s'humilier; car cette conservation est l'oeuvre de Dieu et non pas la sienne. De plus, est-ce qu'un seul péché véniel ne suffit pas pour se dire *grand pécheur?* Et le péché véniel est-il donc si peu de chose? Si Dieu n'en eût prévenu les suites, et ramené au droit chemin, que serait-il arrivé? Le service de Dieu est une ligne droite; le péché véniel se détourne de cette ligne droite. Or, une ligne qui se détourne de la ligne droite, ne la doit jamais plus rencontrer; plus on la prolonge, plus elle s'en écarte... Or en nous, nous devons con-

sidérer ce qui est *de nous,* et non ce qui est *de Dieu* (St Louis de Gonzague). 2°. Enchaîné comme un criminel. Pierre d'Avila disait au prêtre qui l'assistait à son dernier moment : « Mon père, conduisez-vous envers moi comme vous feriez avec un criminel condamné à mort et que vous conduiriez au supplice ».

Additio 3, 4, 5. Ne pas commencer la méditation, sans savoir ce que l'on va faire, et devant qui l'on doit la faire.

Additio 6, 8. Hors des Exercices, rire modéré. Quoi qu'on dise que l'on n'a jamais vu Notre-Seigner rire, cependant je me représente ce bon Sauveur, le sourire toujours sur les lèvres.

Eloigner les pensées étrangères. *Media ad finem* ... Rappelons-nous l'importance de la méditation. Saint-Augustin dit quelque part : *Anima meditabunda, initium sapientiae.*

Additio 7, 9. Jour, obscurité. Saint-Ignace attribuait beaucoup d'efficacité à l'obscurité pour produire la componction.

Additio 10. *Pénitences.* La *Pénitence* est nécessaire pour le succès des Exercices. Il semble que nos premiers Pères aient retiré d'autant plus de fruit des Exercices de Saint-Ignace, qu'ils se sont plus rapprochés de ce que pratiqua Saint-Ignace lui-même (Ex. P. Lefèvre).

